

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
13
22 G
8

# RELECTIO
## DE CENSVRIS
## BVLLÆ COENÆ,

Sacræ Deiparæ de Roſario dicata:

*Autore Fr. Antonio de Souſa Vlyſſiponenſi, ex Prædicatorum familia, Sacræ Theologiæ Præſentato, eiuſdemque in vniuerſitate Sancti Dominici Vlyſſiponenſis primario profeſſore.*





*Cum facultate S. Inquiſitionis, Ordinarij, & Regis.*

Vlyſsipone. Typis Petri Crasbeeck. Anno 1615.

*Eſtâ taixado eſte liuro em reis em papel.*

LIbrum, cui titulus est *Relectio de censuris Bullæ Cænæ*, à Reuerendo & docto admodum Patre Fratre Antonio á Sousa ex sacra Prædicatorum familia, & in ea Lectore Theologo compositum, ordine supremæ Inquisitionis acuratè perlegi. Omnia in eo & doctè & piè continentur, sicut tantum patrem, magistrumque decebat: quia doctè, sacræ Scripturæ, Concilijs, traditionibusque Ecclesiæ, quia piè, bonis moribus non contradicunt, sed potiùs mirabiliter consonant: vnde nihil obstat, imò multa petunt vt doctrina, pietasque Autoris, circa res, quarum cognitio vtilis & necessaria est, in lucē prodeant. Sic cēseo; in nostro conuentu S. Frācisci d'Enxobreguas Vlyssiponensi. Anno Dñi 1615. April. 19.

*Fr. Ludouicus ab Angelis.*

VIsta a informação, podese imprimir esta interpretação da Bulla da Cea, & despois d'impressa torne a este Conselho para se conferir, & se dar licença para correr. Em Lisboa, a 27. de Abril de 615.

*O Bispo de Nicomedia.* *Bertolameu da Fonseca.*
*Antonio Diaz Cardoso.* *Fr. Manoel Coelho.*

POdersea imprimir esta Releição *de censuris Bullæ Cænæ*. Aos 2. de Mayo de 615.

*Damião Viegas.*

DA licença ao supplicante frey Antonio de Sousa que possa mandar imprimir este liuro que se intitula *Relectio de censuris Bullæ Cænæ*, visto as licenças que tem do sancto Officio, & do Ordinario, depois de impresso tornarà para se taixar, & sem isso não correrà. Em Lixboa a 4. de Mayo de 615.

*Francisco Vaz Pinto.* *Fernão d'Ayrez*
*Luys Machado de Gouuea.* *d'Almeida.*

† 2 APPRO-

# Approbatio Censorum Ordinis.

DE mandato nostri admodum Reuerendi Patris fratris Augustini de Sousa Ordinis Prædicatorũ in Prouincia Portugalliæ Prioris Prouincialis, diligenter legi librum, cui titulus est, *Relectio de censuris Bullæ Cœnæ*; compositum à sapientissimo Patre fratre Antonio de Sousa in sacra Theologia Præsentato, ac Lectore primario in Conuentu sancti Dominici Vlyssiponensi. Et non solùm non reperi in eo aliquid nostræ fidei dogmatibus, aut Summorum Pontificum decretis, vel sanctorum Ecclesiæ Doctorum placitis vllo modo contrarium: verum etiam omnia in eo contenta satis consona Catholicæ doctrinæ; quippe quæ multos & difficiles textus sacrorum Canonum secundùm magis probatos Authores, & doctissimé, & luculentissimé non sine magna ipsius Authoris laude explanant, stylo breui, compendioso, resoluto, & (quod difficilimum, & laude dignissimum est) satis claro: vt in materia hac (quæ, quod attinet ad censuras, grauissima est) nihil ampliùs á Theologo viro, aut Canonista desiderari videatur. Quare iudico opus hoc dignissimum, vt prodeat in lucem ad publicam vtilitatem, quæ eo amplior, vt spero, capietur, quo magis libri vacabitur lectioni. Vlyssipone die 23. Feb. Anni 1615.

*Fr. Thomas de sancto Dominico*
*Magister.*

DE mandato Reuerendi admodum Patris nostri Prouincialis Relectionem hanc de censuris Bullæ Cœnæ, authore sapientissimo Patre Fr. Antonio de Sousa Præsentato, ac sacræ Theologiæ in Conuentu S. Dominici Vlyssiponensi primario professore,

attentò

attentè perlegi,nihilque in ea reperi,quod vel fidei Catholicæ dogmatibus,vel Summorum Pontif.aut ſacrorum Conciliorum decretis,vel ſanctorum Patrum ſententijs aduerſetur. Quin potiùs ſolidam, ac Catholicã doctrinam continet, in eaque proponenda, atque explicanda non ſolúm firmis, efficacibusque vtitur rationibus, ſed ſacrorum etiam Canonum textus, iuxta verum ſenſum, ac præſtantiorum Doctorum interpretationem,doctiſsimè exponit,ita vt ſapientiam omnium antiquorum exquirere,ac narrationem virorum nominatorum conſeruare,& in verſutias parabolarum ſimul introire,vt cum Eccleſiaſtico cap.39. loquar, videatur. Et (quod magis mirandum arbitror) quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili fœdere coniungit,videlicet copiam, breuitatem, facilitatem, ac ſecuritatem;quæ omnia, cum eximia quadam ſententiarũ grauitate,facilè in hoc opere comperiet, qui perpenderit,ita vt haud perperam de authore verba illa Eccleſiaſtes cap. 12. dici poſsint: *Quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſsimos,& veritate plenos.* Quapropter opus hoc digniſsimum cenſeo,quòd,vt expeditior cõmuni vtilitati via ſternatur, in lucẽ prodeat. Vlyſsipone die 23. Februarii anno 1615.

*Fr. Ignatius Galuão Præſentatus.*

## *Facultas R. A. P. Prouincialis Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Portugalliæ.*

NOs Frater Augustinus de Sousa Ordinis Prædicatorum in Prouincia Portugalliæ humilis Prouincialis, & seruus, tibi Reuerendo Patri Fratri Antonio de Sousa Sacræ Theologiæ Præsentato, & eiusdem in nostra Vlyssiponensi Vniuersitate primario professori, tenore præsentium, & nostri officij auctoritate facultatem concedimus, quinimò & in meritum sanctæ obedientiæ præcipimus, vt seruatis seruandis Relectionem de censuris Bullæ Cœnæ à te editam typis mandare possis, & mandes, cum ex approbationibus Censorũ Ordinis supra positis, quibus eius examen commisimus, nobis constet illam in communem vtilitatem cessuram; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Datum in nostro Conuentu sancti Dominici Vlyssiponensis 25. die Februarij Anno 1615.

*Fr. Augustinus de Sousa*
*P. Prouincialis.*

AD

# AD VIRGINEM DE ROSARIO OPERIS DEDICATIO.



VM librorum nūcupationes grati animi, atque acceptorum beneficiorū non immemoris indices eſſe ſoleant, & Prædicatorum Ordo, cui ſingulari Dei beneficio, aſcriptus ſum, tibi ò Deipara ſanctiſsima totius virgineæ puritatis norma, ac limes, ſe ſe innumerabilium beneficiorum debitorem continuè profiteatur, neceſſe eſt vt qui ipſis in referenda gratia pares eſſe non poſſumus, certè in habenda, & prædicanda non indiligẽtes videamur. Quapropter tibi laboris mei primitias (primos enim fructus, ſicut & vnigenitus tuus, deſiderat anima tua) dicandas, ac nuncupandas duxi. Ne igitur floſculi noſtri, dum adhuc florent, areſcant, ſed vt hoc potiùs veluti teſtimonio omnium gratiam indies vegetiores aſſequantur, atque adeò in commune omnium, quibus te debitricem copioſiſsima charitate feciſti, vtilitatem prodeant, authori cum ſuo opere faueas, eumque ſacratiſsimi Roſarij tui fragrantia tuearis.

AD

# AD LECTOREM:



*VM cognitio casuum, ac censurarum Bullæ in Cæna Domini legi consuetæ adeó & confessarijs, & cunctis fidelibus necessaria sit, illis nimirum, vt circa pœnitentes talibus obuolutos censuris, Pœnitentiæ Sacramentum rectè administrare valeant, istis verô, vt ea delicta, quibus in tam graues censuras prolabuntur, effugiant; visum est anno superiori auditoribus meis explanationem Bullæ â S. D. N. PP. Paulo V. promulgatæ tradere. Nunc verô annuentibus superioribus, alijsque id suadentibus eam tibi, humanissime Lector, in libello hoc tradendam quoque esse iudicaui. Illam igitur ad te, errores meos commendans (vt Ausonij verbis vtar) libenti animo mitto: næuos enim nostros & cicatrices, inquit ille, amamus, meam tamen in te propensam voluntatem boni consulas, mihique animos facias, vt maiora olim tuis auspicijs experiri libeat; interim veró munus hoc, & si paruũ, ea animi sinceritate, qua offertur, accipias; Hoc enim spero potiûs, quâm vt laudes. Vale.*

# RELECTIO DE CENSVRIS BVLLÆ COENÆ.

BVlla Cœnæ, cuius relectionem incipimus, in tres quasi partes distribuitur. Prima, Proœmium: Secunda, Excommunicationes viginti: Tertia, Durationem, & Reseruationem continet. Excõmunicationes secundæ partis triplicem materiam respiciunt; quædam fidem & religionem; altera libertatem Ecclesiasticam; tertia denique iustitiam, fidemque mutuam inter fideles comprehendit.

## CAPVT PRIMVM.

### *Proponitur, & explicatur Bullæ Proœmium.*

TENOR BVLLÆ.

Literæ processus S. D. N. Pauli Papæ V. Lectæ die Cœnæ Domini, anno 1614.

*Paulus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*



PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace & tranquillitate procurãda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissi- *Bullæ proœmiũ*

tiſsimum in Catholicæ fidei, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, vnitate atque integritate retinenda, & conſeruanda maximè elucet. Nimirum vt fideles Chriſti nō ſint paruuli fluctuantes, neque circunferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris: ſed omnes occurrant in vnitatem fidei,& agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque ſe in huius vitæ ſocietate,& communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat:ſed potiùs in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra,ſub Chriſto capite, eiuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſsimi Petri ſucceſſore, á quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat,augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice,ſic præſentis vitæ quiete gaudeāt, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom. Pontif. prędeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniuerſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolennis eſt, ſpiritualē Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium,& ſalutaria iuſtitiæ arma per miſterium Summi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolenniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm fidei inuiolatam integritatē, publicam pacem,& iuſtitiam,Deo auctore, tueri, vetuſtum,& ſolennem hunc morem ſequentes.

Nota-

## Notationes circa Textum.

1. Literæ istæ Apostolicæ *Processus* dicuntur, & communiter Bulla Cœnæ ab omnibus appellantur. Nomen. *Processus*. antiquum est, & vsitatum: de quo in Clem. 1. de iudic. nihilque est aliud, vt notat Ludo. de Miranda de ord. iud. quęst. 15. art. 1. concl. 1. quám alicuius negotij gesti narratio, & dicitur. *Processus*. per translationem desumpta metaphora á loci mutatione: nam sicuti qui de loco ad locum per alicuius loci spatium peruenit, procedere dicitur; sic & cuiuscumque causæ, siue negotij discursus, siue descriptio, per suos debitos modos, & ab initio vsq; ad finem per suos, vt dicũt, articulos, *Processus*. nuncupatur. Duplex autem, vt
2. notat Greg. Say. lib. 3. de cens. cap. 3. num 4. est processus, seu dupliciter formatur; vel in particulari cõtra aliquam certam personam, vel in generali contra quascũque personas, quæ hoc, aut illud fecerint. Prior processus, specialis vocatur: Secundus verò generalis; prior præteritã, vel præsentem culpam respicit: secundus futuram tantùm. Et iuxta hãc secũdam acceptionem Bulla Cœnæ *Processus* nuncupatur. Quo nomine, vt notat Iacob. de Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 4. ideo appellatur, vt inde fiat manifestum Bullam Cœnæ, si propriè loquendum sit, non legem, vel statutum esse, sed hominis sententiam, vt infra ostendetur. Est igitur Bulla Cœnæ processus quidam generalis contra varia peccantium genera, quo ipso facto excõmunicantur, & cuius absolutio Summo Pontifici specialiter reseruatur, vt post Nauar. in Man. cap. 27. num. 52. tradit Emmanu. Rod. in explicat. Bullæ Cruciatæ, num. 66. fol. 334. & Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 18. 3.

Cum prædicti processus 4.

Bulla Cœnæ cõmuniter appellari soleant, quid nomine isto significetur, explicãdũ superest. Bulla apud Iurisperitos tripliciter accipitur, vt videre est apud Alex. Scot. in dictionario iur. ver. *Bulla*. vel enim accipitur pro sigillo Papæ, vel pro literis datis ab ipso, vel pro ornamento schedulæ; hoc autẽ loco dicitur Bulla charta illa seu schedula, in qua literæ Apostolicæ scribũtur cũ sigillo plũbeo Sũ. Põtificis, quo ipsa charta, seu schedula ornatur. Ab hoc sigillo, quo schedula bullatur, id est signatur, Bullæ denominatio principaliter desumitur: vt ex Rebuf. in praxi benef. in 3. p. signat. tradit Iac. de Graf. vbi su. n. 3

5. Dicitur Bulla Cœnæ, vel Bulla in Cœna Domini, eo quòd à Sum. Põtifice promulgatur feria quinta hebdomadæ pœnosæ: quæ dies Cœnæ Dñi, propter memoriã illius vltimæ Cœnæ, quã Christus seruator cum discipulis suis ante suã passionẽ celebrauit, iuxta legis antiquæ ritũ, & noui Sacramenti institutionẽ, quæ ea die á tota Ecclesia solẽniter recolitur, appellari solet.

Circa antiquitatem huius Bullæ illud tantùm notandũ est ex gloss. in Cle. 1. de iudic. verb. *Solemniter*. 6.
Summos Pontific. ter in anno contra quosdam delinquẽtes processus generales facere consueuisse; nimirum in Ioue sancto, in die Ascensionis, & in festo dedicationis Basilicæ Sanctorum Petri, & Pauli: quibus processibus multos qui modo in Bulla Cœnæ excommunicantur, anathematis gladius feriebat. Pòstea verò in, grauescẽte hominũ malitia, oportuit ad alios criminosos censuram Bullæ extendi, & ampliari. Factum etiam est, vt trinæ publicationis cõsuetudine mutata, semel in anno in die Cœnæ Domini solenniter promulgaretur. De principio prædictorum processuum non cõstat: sed ante Greg. XI. qui fuit anno Domini. 1370. cuiusq; nõ nulli extãt, ortũ habere credũtur.

In

7. In Proœmio reddit Sũmus Pontifex rationẽ, ob quam tam ipſe, quam alij Romani Pōtifices hos proceſſus, & ſententias promulgãdas decreuerint. Ea eſt, vt vnitas, puritas, & integritas Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis retineatur; & vt publica pax, & iuſtitia Deo authore cõſeruetur, & quamuis cõtra ea crimina, quæ Summi Pontifices ob prædictas rationes extirpare intendũt, ſint in iure excommunicationes latæ, vt infra oſtendetur, voluere tamen vel nouas cenſuras, vel ſpeciales reſeruationes addere, vt ab illis criminibus perpetrandis, timore tam acerbę pœnæ, qualis eſt excõmunicatio cum adeo ſtricta reſeruatione, perterriti homines arceantur. Eſt enim excommunicatio grauior pœna quæ ab Eccleſia infertur. cap. *Corripiũtur*. 24. quęſ. 3. per quam excõmunicatus Sathanæ traditur ad affligendũ corpus, & ob quã maiorẽ poteſtatem in excõmunicato, quam ante excõmunicationẽ habet. cap. *Audi deniq;* & ibi gloſ. in verb. *Sathanæ*. 11. q. 3. nam vtitur eo ac pecude ſua cap. *Miramur* in fin. 24. q. 1.

## DISP. I.

## *Vtrum cenſuræ Bullæ Cœnæ ab homine, an à iure dicantur.*

IN hac dificultate Syl. 1 verb. *Excõ*. 7. n. 76. tenet excõmunicationes in Bulla Cœnæ contentas à iure dicẽdas eſſe, eo quód Martinus. V. in principio ſuæ Bullæ ponit hæc verba; *Ad perpetuam rei memoriam*, & in fine illam conſtitutionẽ appellat. Hæ tamen rationes non concludunt, nam verba illa, *Ad perpetuam rei memoriam*, perpetuam firmitatem non ſignificant, ſed perennem apud homines memoriam in tantorũ criminum deteſtationem aſtruunt. Nomen etiam conſtitutionis, vt notat Greg. Say. lib. 3. de cenſ. cap. 1. nu. 20. non ſumitur in ſtricta, & propria ſigni-

ficatione,ſed latè pro quacumque ſententia, etiam ab homine: quod inde colligit, quia initio Bullæ eiuſdem Martini, ipſa annualis proceſſus nũcupatur. Verùm in hac Bulla hoc locũ non habet, cum in ea conſtitutionis nomen nullibi reperiatur.

2 Eandem opinionem, etſi diuerſo fundamento Alfonſus de Viualdo amplectitur in Candelabro in materia de excommu. nu. 54. & in expoſitione Bullæ Cœnæ num. 129. vbi hanc ſententiam poſt Bullas Pij V. Gregor. XIII. & Sixti V. tenendam eſſe affirmat. Primó probat, quia prædicti Summ. Pontifices declarant velle ſe, vt earũ proceſſus eatenus in ſuo robore perſeuerẽt, quoadusque alij ſimiles, vel à ſe, vel ab alijs Romanis Pontificibus promulgentur: quæ clauſula in hac Bulla. §. *Volentes ſimiliter.* inuenitur. Cum ergo a Papa ſummam authoritatem habente lata ſit perpetuis tem poribus duratura, donec alia promulgetur, ſignũ euidens eſt nõ ab homine, ſed á iure dicendã eſſe. Probat ſecundó, quia proceſſus huius Bullæ tantum tẽpus futurũ reſpiciũt. Tertiò, quod nulla indigent monitione, vt cenſuræ illorum incurrantur, ſed ſatis eſt eorũ notitia habeatur. Quartò, quia Bulla Cœnæ expreſſè cõtinetur in iure, nam poſtquã Paulus. II. in Extrau. 3. de pæniten. & remiſſ. quaſdam excommunicationes ſibi reſeruatas numerauit, ſubiecit etiam latas in Bulla Cœnæ. Quod etiam fecit Sixtus IIII. in Extrauag. 5. eod. tit. In hanc ſententiam inclinat Nau. in Man. Latino capit. 27. num. 74. §. *Tertia.* & Suar. tom. 5. de cenſ. diſp. 21. Sect. 1.

Pro reſolutione ſupponenda eſt communis diuiſio excõmunicationis maioris (cuiuſmodi ſunt excommunicationes in hac Bulla contentæ) á doctoribus tradita in Rubri. De ſenten. excommu. & Summiſtis in verb. *Excommuni-* 3

*catio.*

*catio*. qua in excommunicationem à iure, & ab homine latam secatur. Inter quas nonnullæ differentiæ assignantur. Prima est, quòd excommunicatio iuris, seu á iure semper est generalis, non verò contra determinatam personam, sed in tale facientes, vel nõ facientes. cap. *Vt animarum §. Statuto*. de const. in 6. & gloss. in cap. *Romana*. verb. *Futuris*. de senten. excom. eod. lib. Excommunicatio autem ab homine aliquando est generalis, & aliquando contra determinatam personam, cap. *Romana*. §. *Sed nec in specie*. & ibi gloss. de senten. excom. & cap. *A nobis*. 1. eod. tit. Secũda est quòd excõmunicatio iuris durat post mortem conditoris, quandiu ius ipsum durat, ita vt cõtra faciẽtes excomunicentur, vt colligitur ex glos. in cap. *A nobis*. 1. de sentent. excommun. verb. *Non nisi subditi*. & ibi Panormit. num. 12. Sed ea, quæ est ab homine, eo mortuo, vel officio ab eo semoto, desinit ligare contrariũ facientes; at vero excommunicatione detenti non proinde liberantur. Aliæ differentiæ videri possunt apud Doctores supra citatis locis.

Hoc posito, sit prima conclusio; Processus Bullæ Cœnæ, etiam illi, qui clausulam continent de non finiendo, donec alij promulgentur, propriè à iure non sunt dicẽdi. Hãc conclusionem tenet Domin. Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post 5. conclusionẽ fol. 1028. col. 1. Tolet. in Sum. lib. 1. c. 18. Et Sayro lib. 3. de cens. c. 1. n. 16. Et probatur, quoniam huiusmodi processus sunt annuales, & ne morte Pont. desinerent obligare, necessaria fuit specialis declaratio; verùm nouis editis, & promulgatis, sine aliqua reuocatione expirant. Quod à sententijs, & censuris à iure latis alienum est, cum oporteat vt per statutum, siue contrariam consuetudinem vim legis obtinentem, remoueantur. Confirmatur:

4. 1. conclusio.

Sententia iuris legi duratione eſt æqualis: cum ergo lex, quæ eſt regula ſemper regulans, perpetuo duratura ſanciatur; ſententia non minoris firmitatis, & durationis iudicabitur. Vnde ſiqua ſententia robur immutabile non habeat ob crimina, quæ bonum Eccleſiæ regimen, ad vnitatẽ, integritatemque fidei, & pacis conſeruationem exigit, vt frequenter per additionem, vel detractionem vetentur; proculdubio à iure dicenda non eſt. Quod manifeſtum quidem eſt de ſententijs in Bulla Cœnæ comprehenſis; cum experiẽtia doceat ab omnibus feré Summis Pontificibus Bullam mutari.

5. 2. *Cõclusio.* Secunda concluſio: Proceſſus Bullæ, licèt aliquid iuris participent, abſoluté loquendo ſunt ab homine. Hanc concluſionem tenet Sayro, à qua non diſcederent authores citati pro præcedenti concluſione. Probatur: Quoniam huiuſmodi proceſſus non ſunt leges, vel ſtatuta perpetua, ſed annuales proceſſus, ceſſantque ſine noua reuocatione: ergo abſoluté ſunt ab homine. Quod aliquid iuris contineant, ex argumentis pro opinione Viualdi factis eſt manifeſtum, præſertim in bullis, quæ declarant vim ſuam habere, donec aliæ promulgentur. 6.

3. *Cõclusio.* Tertia concluſio: Etiam antequã apponeretur clauſula poteſtatis Bullæ prorogatiua, qui incurreret excommunicationem latam in ea, non proinde maneret abſolutus mortuo Põtifice. Ita habetur. ca vnic. de maior. & obed. in 6. docentque Panor. c. *A nobis.* num. 12. de ſent. excom. Tol. c. 18. Say. num. 19. cit. locis, & communiter omnes. Ratio eſt: Nullus liberatur ab excommunicatione, quam incurrit, niſi per abſolutionẽ, cap. *Cum deſiderES.* c. *A nobis.* 2. c. *Sicut nobis.* de ſententia excom. Sed ceſſatio excommunicationis non eſt abſolutio: ergo qui in excommunicationem

nē inciderat, morte Pōtificis non manet absolutus. Quod in omni excommunicatione ab homine seruatur. Dixi, *Qui inciderat*, quia post mortem Pontificis, in cuius Bulla non erat clausula prorogatiua, qui contra fecerit, excōmunicationem non incurrit: differt enim inter vtrumque casum: nam emortuo Pōtifice Bulla statim desinit obligare, quia cum sit ab homine, cum illo expirat. Vnde contra faciens, nullā prohibitionem transgreditur. At verò iam excommunicatus deliquit in Bullam vim suā, & robur habētem. Quæ differētia, ac tēporū distinctio in omni excōmunicatione ab homine est maximè notanda á confessarijs, vt sciant quādo pænitenti est absolutio impendenda, vel neganda.

7. Argumenta pro opinione Viualdi, quatenus cum nostra sententia pugnant, soluēda sunt. Ad primum dicendū est Bullam hanc perpetuæ firmitatis nō esse neq; omnes ordinationes, & iussa Pontificum esse á iure, quanuis ipse summa polleat authoritate. Ad secundū respondetur, censuras etiam ab homine tātùm, futurum tēpus posse respicere, cum ordinare ad hoc, vel illud tēpus, á legislatoris volūtate depēdeat. Ad tertium respondetur, illas tantùm cēsuras ab homine monitione indigere, quæ aduersus aliquem particularem feruntur, non verò quæ generaliter, & in communi sunt latæ. Ad quartum dicēdū est in illis Clem. non ita esse contentas Bullæ Cœnæ censuras, quasi ibi specialiter ferantur, aut reseruentur; sed solummodo latas esse recensetur: aliás non indigerent noua repititione, nec opus esset declarare in suo robore permanere, quoadusq; nouæ promulgarentur. Solum igitur iura illa citata declarant nō esse mentem Summ. Pont. vt á casibus specialiter Sedi Apost. reseruatis per generales concessiones homines absoluantur.

## DISP. II.

### *Vtrum per annuales Bullæ repititiones, ex cõmunicationes in ea, vel in iure latæ multiplicentur.*

1. PArs affirmatiua suadetur: Circa crimina á Bulla Cœnæ prohibita sũt in iure excommunicationes latæ, vt infra fiet manifestum; sed annuales Bullæ repetitiones nouas addunt excommunicationes; ergo multiplicãtur annualibus Bullæ repetitionibus. Et confirmatur: Excommunicationes Bullæ sunt ab homine, vt supra diximus: quæ vero in iure continẽtur, sunt á iure; ergo sunt diuersæ. Probatur consequentia, tum ex differẽtia præcedenti disputatione asignata; tum etiam, quia ab excommunicatione à iure, quæ non est reseruata, potest Ordinarius absoluere, non autem ab ea, quæ est ab homine, cap. *Pastoralis. §. Praeterea.* de offic. ord. 2

1 conclusio. Pro resolutione sit 1. conclus. Excommunicationes in Bulla Cœnæ comprehensæ circa eadem crimina, per annuales illius repetitiones non multiplicantur. Hæc conclusio est manifesta, nam promulgata noua Bulla, præterita desinit obligare: ergo circa eadem crimina plures Bullæ excõmunicationes actu non dantur.

2 conclusio. Secunda conclusio; Per nouam Bullæ repetitionẽ excommunicationi antea in iure latæ circa idem crimen, noua non additur. Hanc tenet Nau. in Manu. c. 27. num. 54. & in c. *Ita quorundam.* de Iudæ. notab. 11. num. 4. Probaturque ex l. *Ita quorundam.* ff. de verb. obligat. vbi dicitur quòd excommunicatus amplius excõmunicari non potest, sed denunciari potest excommunicatus. Quæ lex intelligitur, non quasi idẽ non posit circa idem plurries excommunicari, hoc enim 5

enim falſum eſt, ſed quia regulariter ab eodem circa idem crimen aliquis bis excommunicari nō prǣſumitur, niſi id ex mente ſuperioris conſtet. Aliàs enim quot ſunt in iure excommunicationes latæ contra hæreticos, tot manerent excommunicationibus innodati: quod valde acerbū videtur. Dixi, *ab eodem*, nō ſolum perſona, ſed dignitate. Vnde excommunicatio, quæ eſt in iure, & quæ à Summo Pontif. in Bulla fertur, ab eodem dimanāt, & eædem omnino cenſentur. Solùm igitur per Bullæ repetitionem reſeruatio ſuperadditur.

Ad argumentum in cōtrarium, ex dictis patet ſolutio. Ad confirmationē reſpondetur, quando circa idem crimen in iure excōmunicatio præceſſerat, nouam ab homine non ferri, ſed per promulgationem, vel tantùm declarari excōmunicationem iam eſſe latam, vel, ſi quid additur, eſſe nouam conditionem, nimirum reſeruationem. Vnde mortuo vel amoto iudice, à quo cenſura prouenerat, addita conditio ceſſat, non autem cenſura in iure præcedens.

## DISP. III.

### *Quæritur quādo Bulla Cœnæ poſt promulgationem Romæ editam, obligare incipiat.*

Ratio dubitandi, quæ in hac difficultate ſe primò offert, hæc eſt: Bulla antiqua poſt nouæ promulgationem ceſſat obligare, vt conſtat ex eâdem Bulla §. *Volentes*. vbi id Sūmus Pontif. apertè dicit, & noua nō ſtatim ac promulgatur, obligat abſentes, cū nec dum ſufficienter eſſe promulgata cenſeatur, quod ad obligandum neceſſariò requiritur, vt communis Doctorum ſententia tenet. Vnde colligi videtur per aliquod tempus ceſſare obligationem Bullæ reſpectu particularium Prouin-

Prouinciarum, & Regnorum. Cum enim constet nouam in die Cœnæ editã, & promulgatam esse, non obligantur absentes antiqua, neque etiam noua, cum hactenus plenam eius notitiam minimè habeãt; ergo medio illo temporis interuallo post cessationẽ veteris, & ante nouæ plenam notitiam de obligantur absentes. Neque argumenti vim euadet, qui dixerit eodem modo constare de cessatione antiquæ, ac de publicatione nouæ, proindeque absentes semper Bullæ obligatione cõstringi; quia & si de publicatione nouæ Bullæ cõstet, quid in ea specialiter prohibeatur, non est certum, & ignoratur, præcipuè cũ diuersis tẽporibus á diuersis Summis Pontif per additionem, & subtractionẽ Bulla varietur.

2. Cõclusio. Pro resolutione istius difficultatis sit prima cõclusio. Bulla Cœnæ Romæ promulgata eos, qui in remotis partibus degunt, regulariter ante duos menses non obligat. Hanc in terminis iuris communis circa leges Pontificias, tenent Sylu. verb. *Lex*. nu. 6. & 7. qui refert Panor. & Ioan. And. Armil. verb. *Lex*. num. 11. & verb. *Constitutio* nu. 3. Nau. in Manu. c. 23. num. 44. & lib. 1. cõs. cõs. 1. de cõstitu. q 4. Et. probatur: Lex ciuilis, quæ rigorem summum nõ continet, nec iuri Canonico, nec Apostolicis sanctionibus contradicit, etiam in foro Ecclesiastico militat, c. 1. &. 2. dist. 10. & notat gloss. in verb. *Adiuuãtur*. c. 1 de noui oper. nuntiat. & ibi Canonistæ omnes: sed lege ciuili statuitur vt lex non obliget ante duos mẽses, Authen. *Vt facta noua constitutiones*. collat. 5. Neque talis lex iuri Canonico aduersatur, ergo Bulla Cœnæ non incipit obligare in partibus remotis nisi post duos menses á publicatione in Curia facta. Minor dum asserit legẽ hanc iuri Canonico non aduersari, colligi potest ex c. *Nouerit* de sent. excom. vbi excommunicãtur qui statuta edita

ta contra libertatem Ecclesiæ seruari faciunt, nisi infra duos menses à promulgatione, ea de capitularibus suis fecerint amoueri. Et confirmatur; quoniã, vt docet Nau. in cons. cit. vsus Romanæ Curiæ est, vt transgressores legis post duos menses, nisi ignorantiam probauerint, tanquã legis fractores puniantur. Hoc tamen in omnibus Ecclesiasticis legibus locum non habet, nisi in illis, quæ sine temporis præfinitione proferuntur, dummodo non adsit ius aut cõsuetudo, ex quibus colligi posit, quo ex tempore obligare incipiant.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio: Bulla Cœnæ respectu existentium in partibus remotis, tunc incipit obligare, cũ ad eos notitia illius moraliter peruenire potest. Hãc tenet Nau. absolutè loquẽdo de lege Pontificia cons. sup. citato num. 16. Probaturque: Lex nõ obligat nisi sit sufficienter promulgata, vt cum San. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. docent Scholastici; sed non censetur sufficiẽter promulgata, quousque illius notitia haberi posit; ergo ante tempus huic notitiæ necessarium non obligat. Ex quo infertur duorum mensium spatium non esse sufficiens intuitu eorum, qui in remotissimis morantur regionibus. Et cõfirmatur: quia volens probare ignorantiam legis admittitur, vt habetur in c. fin. qui matrim. accus. poss. Et c. *Si quis incognitus*. 17. quęs. 2. & l. fin. ff. de decret. ab ord. faciend. Et ratio est, quia absurdum videtur ad pœnam ligare ignorantes. c. *Cognoscentes*. de const. Abb. Panorm. ibidem. præsertim num. 9. & Castro lib. 1. de lege pœnali. c. 1. circa finem; sed frustra aliquis ad probationem ignorantiæ admitteretur, nisi ea probata absolueretur á iudice; ergo, cum in remotissimis regionibus degentes ignorantiam posint meritò obtendere, decurso etiam duorum mensium spatio, Bullæ censuris non 4.

adstrin-

adſtringuntur. Non igitur tempus duorum menſium limitatur,quaſi non requiratur maius : ſed quia minus non ſufficit.

5. Contra primam, & ſecundam concluſionem inſurgi poteſt: Hæc Bulla in ſingulis Eccleſijs parochialibus iubetur promulgari, vt conſtat ex.§.*Vt veró præſentes*. ergo promulgatio Romæ facta non ſufficit abſentes etiam tranſactis duobus,aut pluribus menſibus obligare. Reſpondetur tamen promulgationẽ iſtam in ſingulis Eccleſijs non præcipi tanquam neceſſariam, vt Bulla vim obligandi ſortiatur; ſed vt notitia eius facilior habeatur, vt patet ex eodem §. citato in illis verbis, *Eo ſiant notiora*. Ad publicam autem notitiam, quæ ad obligandum neceſſariò requiritur,ad valuas Eccleſiæ.S. Ioan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe affigi præcipitur.

6. concluſio. Tertia concluſio: Vbi primùm alicui conſtat de promulgatione Bullæ, & de contentis in ea, obligatur per illam. Hæc concluſio colligitur ex Syl. verb. *Lex*. q. 6. verſ. 3. in fine, Soto de iuſtitia, & iure lib.1 q.1. art.4. Graff. lib.2. deciſ. c. 62. num.32. Et ratio eſt, quia tempus illud duorum, vel plurium menſium regulariter ideo neceſſarium iudicatur, vt promulgationis Bullæ notitia habeatur: igitur ea habita non eſt maius tempus expetandum, vt obliget: & hinc eſt quód Romæ morantes poſt eius promulgationem obligantur.

Quarta concluſio: Quãdiu noua Bulla ex defectu notitiæ non obligat, antiqua in ſuo robore perſeuerat. 7. 4 concluſio. Probatur, quia Bulla antiqua tandiu vim habet obligandi, quandiu noua non eſt promulgata, vt conſtat ex. §. *Volentes*. quæ promulgatio debet eſſe ſufficiens, iuxta ea,quæ dicta ſunt: ſed ſufficiens non cenſetur illa, cuius reſpectiuè ad loca remotiora notitia haberi non poteſt; ergo

ergo eousque antiqua obligare non desinit.

Ad rationem dubitandi respondetur Bullam antiquam nō statim, ac promulgatur noua, cessare, nisi quoad illos, quorum respectu noua sufficienter promulgata censetur; quo facto, & noua obligare incipit, & antiqua desinit. Vnde nullum est tempus, quo homines ad Bullæ obseruationem non teneantur. Poterunt tamen particulares excusari ob ignorantiam siue ipsius Bullæ, siue specialium prohibitio
8. num illius. Quæ autem ignorātia ad excusandum sufficiat, habetur. c. *Apostolica.* de cler. excomm. & c. *Si vir.* de cognat. spiri. & glossa vtrobique in verb. *Ignorantia*, vbi dicitur ignorantiam probabilem ab excommunicatione excusare. Ignorantia probabilis illa est, qua quis ignorat probabile, vt est illud, quod omnes aut maior pars ignorant, vt videre è apud Sylu. verb. *Ignorantia.* num. 15. Ad illud, quod additur de notitia promulgationis nouæ Bullæ, dicēdum est eam cognitionem non sufficere respectu rerum, quæ ad veterem Bullam de nouo adduntur, cum nondum sciri posśint quænam sint; quoad alia veró perseuerare obligationem antiquæ.

CAP.

# CAP. II.

## *De prima excommunicatione Bullæ Cœnæ in Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos.*

### TENOR BVLLÆ.

*1. Bullæ censura.* EXcommunicamus, & anathematizamus; ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscumque Hussitas, Vuiclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostol. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicé, vel occultè, quouis ingenio, vel colore; nec non Schismaticos, & eos, qui se á nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Nota-

## Notationes circa Textum.

1. MAteria huius censuræ est hæresis, & quæ de hæresi suspitionem faciũt, de quibus in iure per multa capita. cap. *Achatius*. 24. q. 1. c. *Ad abolendam*. c. *Excommunicamus*. t. de hæret. cap. *Nouerit*. de sent. exc. c. *Quicumque*. de hæret. in 6. sed ante Bullã Cœnæ excõmunicationes Summo Põtifici reseruatæ non erant.

In hac clausula vndecim personarum genera excõmunicantur. 1. excommunicantur hæretici, cuiuscumque nominis, & sectæ, & apostatæ. 2. credentes hæreticis. 3. hæreticorum receptatores. 4. fautores. 5. quilibet hæreticorum defensores. 6. legentes hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, si scienter id faciant. 7. hæreticorum libros retinentes. 8. eos imprimentes. 9. eos quomodolibet defendentes. 10. Schismatici. 11. ij qui ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

Circa illa verba, *Excommunicamus, & anathematizamus*. sciendum est excõmunicationem, vt nomen ipsum indicat, á communione deduci, significareq; exclusionẽ à cõmunione. Et quia ille, qui per baptismum in Ecclesia ponitur, vt docet. S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. artic. 1. quæstiuncula 1. ad duo adscribitur, scilicet ad cætum fidelium, & ad Sacramentorum participationẽ, & hoc secũdũ præsupponit primũ; efficitur, vt aliquis posit esse extra Ecclesiam, seu extra cõmunionem fideliũ dupliciter: primò quòd excludatur tantùm à participatione Sacramẽtorum; & hoc dicitur excommunicatio minor: secundò quòd separetur ab vtroq; & maior excommunicatio appellatur, quæ sic á S. Th. loco cit. definitur. Ex- 2.

*communicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum, & suffragia generalia.* In qua definitione genus non exprimitur manifestè, est tamen sub intelligendum. Cum enim sub censura Ecclesiastica, quasi species sub suo genere excommunicatio cõtineatur, & censura pœna quædam sit, in illa particula, *Separatio.* rectè innuitur. Aliæ particulæ specialem excommunicationis rationem ab effectu demostrant. Proprius
5. enim excommunicationis effectus est communicatione fidelium, & Sacramentorum participatione priuare; quod verba illa, *Quoad fructum*, significant. Priuat etiam spiritualibus bonis, quod in illis verbis, *& suffragia generalia*, ostẽditur. Nõ tamen priuat bonis istis spiritualibus, in quantùm sunt cõmunia per charitatem, sed per Ecclesiæ interuentionem, quæ excommunicatum separat ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit. Vnde excommunicato suffragia, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nõ prosunt.

Excõmunicationes hac Bulla comprehensæ, sunt excõmunicationes maiores, nam verbum, *Excõmunicatio*, absolutè prolatum de maiori excõmunicatione intelligitur, vt habetur c. *Si quem.* de sent. exc. tenẽtq; cõmuniter Doctores. Scot. in 4. d. 19. q. vnic. art. 5. Gab. in 4. d. 18. q. 2. art. 3. dub. 1. Sot. in 4. d. 22. q. 2. artic. 1. Sylu. verb. *Excom.* 1. nu. 18. Tabien. verb. excom. 2. §. 7 Nau. in Man. c. 27. n. 1 & de dat. & promiss. not. 4. n. 8. Et ratio est, quia verba absolutè, & simpliciter prolata accipi debent in significato consueto. c. *Ex literis.* de spons. & l. *Labeo.* ff. de sup. leg. vsus autẽ habet, vt nomen, *Excommunicatio*, pro maiori accipiatur. Sũt etiam excõmunicationes istæ latæ sentẽtiæ, quarũ q; absolutio Summo Pontif. specialiter reseruatur. 4.

Additur in singulis ferè clausulis verbum, *Anathema.* 5.

*thematizamus*.post. *Excõmunicamus*. Quod verbum Hebræum ne, an Græcũ sit, controuertitur. Placet esse Græcum, significareque sursum positionem. Quod S.Tho.c.1. ad Galat.lec.2. sic declarat: Anathema cõponitur ab, *ana* quod est sursum, & *thesis*, positio, quasi sursum positio. Et est ortũ ex quadam antiqua consuetudine; antiqui enim pugnabant, & prædam aliquam capiebant ab hostibus, quam nolebant conuertere in vsum proprium, suspendebãt illam in templis, vel in aliquo publico loco ciuitatis, quasi separatam à communi hominũ vsu, & omne tale sic suspensũ nominabant Græci *Anathema*. Et ex hoc inoleuit cõsuetudo, quòd omne illud, quod excludebatur ab vsu cõmuni, diceretur *Anathematizatũ*. Vnde Iosue.6. dicitur de Hierico, & omnibus, quæ in ea sunt, quòd Iosue mox anathematizauit ea. Et ideó etiã hoc in Ecclesia inoleuit, vt illi, qui excluduntur á communi societate Ecclesiæ, & à participatione Sacramentorum Ecclesiæ, dicantur anathematizati. Ex quo conijcitur verba, *Excommunicamus*, & *anathematizamus*, quoad rem pro eodem accipi: vt etiam patet per c. *Engeltrudam* 3.q. 5. Verbum tamen, *Anathematizamus*, ad maiorem terrorem, delictique ostẽsionem additur.

6. In hac clausula hæretici omnes excõmunicatur. Vt autem, quid sit hæreticus, innotescat, quid sit hæresis explicandum priùs est. Hæresis nomen est Græcum, quod latiné dicitur, & interpetratur *Electio*. Et quia electio é duobus, aut pluribus fit, aliquãdo hæresis vertitur secta; nam qui viam vnam sequitur, & alteram relinquit, quasi separatur ab ea. Dogma tamẽ Christianorum secta, aut hæresis dici non potest, eo quod non sit inuentum nostrum, nec nos illud eligimus, sed ab Ecclesia, Dei auctoritate, nobis proponitur. Hæc de voce.

7. Quod ad rem attinet, *Hæresis est error pertinax, Catholicæ fidei manifestè contrarius, in eo, qui fidem Christi profitetur.* Sic ex sententia S. Thom. 2. 2. quæst. 11. artic. 1. & 2. definit Turrecremat. lib. 4. Summæ de Ecclesia, part. 2. c. 1. & Ban. ad cit. locum. S. Thom. Ex qua definitione colligitur tres conditiones necessarias ad hæresim requiri: prima est, quòd sit error in intellectu contra ea, quę de fide credenda sunt: secunda, quód detur cum pertinatia in voluntate: tertia, quòd sit in eo, qui fidem Christi profitetur. Ex defectu primæ conditionis non erit verè hæreticus, qui licét aliquod opus hæreticale exterius faciat, siue verbo, vt hæresim proferendo, siue facto, vt idolis immolando; attamen non ita credit per intellectum. Ex defectu secundæ nõ est cẽsendus hæreticus, qui paratus est corrigi, licet oppositum fidei verè credat. Nam pertinax ille dicitur, qui, cum sciat illud, quod credit esse contra fidẽ, adhuc tamẽ in sua falsa credulitate perseuerat. Ex defectu tertiæ docet Say. lib. 3. de cens. c. 4. n. 11. non esse hæreticum Cathecumenum non dum baptizatum circa aliquem articulum errantem, quantumcumq; fidem, & interiùs, & exteriùs receperit. Quia, inquit, liberè ante baptismũ recedere potest.

8. Hæc tamen sententia non placet. Dicendum igitur est Cathecumenũ, qui fidẽ interiùs suscepit, esse verè hæreticum coram Deo, quamuis coram Ecclesia non iudicetur talis, nec comprehendatur in excõmunicatione aduersus hæreticos lata. Ita Ban vbi su. art. 2. in explicatione definitionis hæresis. § *Vltima particula.* Et ratio est, quia Cathecumen⁹ verè, vt supponitur, suscepit fidem, á qua verè recedit, & contra quam errorem habet cum pertinatia; ergo est veré hæreticus coram Deo. Nõ tamen excommunicatur, cũ Ecclesia non procedat:

nisi

nisi cõtra illos, qui intrant per ostium Baptismi. Per hanc igitur conditionem excluduntur Pagani, & Iudæi, qui nunquam Christi fidem susceperunt. Ex quo patet hæreticum illum esse, qui cum Catholicam Christi fidẽ susceperit, cõtra illam pertinaciter errat.

9. Hæreticus duplex est; mentalis vnus, externus alter. Mẽtalis est, qui hæresi firmiter adhærens, eã actu externo non manifestat. Externus ille dicitur, qui verbo, vel externo signo hęresim ostẽdit. Quod etiã dupliciter contingere potest. Primó, si cum hæresim mẽte nõ teneat, eam tamẽ actu externo manifestet. Secũdò, si nõ tantũ exteriori actu hæresim ostendat, sed etiã mẽte teneat. Quod adhuc dupliciter fieri potest. Primó, si verbo, vel signo sufficiẽti hæresim exprimat; vt si dicat in Deo Personarũ Trinitatẽ non esse; vel si idolis immolet. Secũdò, si actus externus nõ sit sufficiẽs ostẽdẽdæ hæresi; vt si actu interno hæresi assentiatur, & exteriùs dicat, ita est, seu quid simile. Hæretici externi aliquando sunt omnino occulti, aliquando manifesti, siue id in iudicio probari posit, siue non. Et quinam horum in hac clausula excommunicentur, infra ostendetur. 10.

Hoc loco non tantùm hæretici in communi, verum etiam aliquot in particulari excommunicãtur. 1. Hussitæ sic appellati á quodã Ioanne Huss Bohẽmo, qui tẽpore Vuẽceslai Bohẽmiæ regis Bohẽmos subuertit, multa afferens ex scriptis Ioan. Vuicleph. Eius errores refert Turrecremat. ad finem. 4. lib. sum. de Ecclesia, & Ber. Ludzẽburgensis in Catalogo hæreticorum, verb. *Hussitæ*. 2. Vuiclephitæ dicti à Io. Vuicleph Anglo, cuius errores cœperunt in Anglia anno Domini 1394. Fuit Clericus secularis artiũ professor, vt refert Turrecrem. vbi sup. & Ber. Ludzem. verb. *Vuiclephitæ*. 3. Lutherani á Martino





no Luthero, qui in Saxonia natus anno Domini. 1483. posteaHeremitarum S. Augusti. suscepto habitu, & religionem professus, à qua, ceu à limpidissimo tritico, tāquam apta ad cōburendum palea, separatus, & ob inuidiam quòd Ioan. Tetzellius ex Prædicatorū familia indulgentias á Leone. X. cōcessas prædicauerit cępit in Ecclesiā sæuire, anno. 1517. Eius vita, & errores à Ioan. Cochlęo latè referuntur. 4. Zuuingliani, à quodā Valricho, vel vt alij volunt, Huldrico Zuuinglio Canonico Cōstantiensi dicti. Hic anno Domini. 1525. cum Oecolampadio, & Carolstadio Berengarij errores renouauit, vt refert Gab. Prateol. de vitis, & sectis hæreticorum, verb. *Zuuinglius*. 5. Caluinistæ, á Ioan. Caluin. natione Picardo, qui à patria sua eiectus fuit ob vitæ improbitatem, (& vt refert Ioan. Vaquerius, quem verb. *Caluinista*. citat Prateolus) inter dissolutos, & incōstantes dissolutissimus, & inconstantissimus fuit. Emersit tempore Caroli. V. & Pauli. III. circa annū Domini. 1534. 6. Hugonotti, seu Hugonistæ, vt ex Lindano docet Prateolus verb. *Hugonista*. Incertum est à quonam sic appellentur; an ab Hugone quodā Ludimagistello Parisiensi; an vero ab Hugone Capeto. Hi post Caluinistas sparsi sunt per Galliam; qui etiam Sacramentarij dicūtur, eo quód Sacramenti veritatem noua quadam stropha illudere conantur. 7. Anabaptistæ ab iterato Christi baptismo nomen accipientes, eo quòd baptizatos in pueritia retingant. Hos ex Lutheri secta prodijsse probabilius videtur. Author huius sectæ fuit Balthazar Pacimontanus. 8. Trinitarij etiam hæretici sunt nostri temporis á schola Lutheri prodeuntes, vt docet Osius lib. 1. de hæresibus. Authores fuere Ioan. Campanus, & Michael Seruetus. Istorum omnium errores latè à Prateolo referuntur.

Excom-

11\. Excommunicantur etiã in hac clausula apostatæ à fide, quales sunt, qui à fide Catholica ex toto retrocedunt: vt qui à fide Christi ad Paganismum, aut Iudaismum se conuertunt. Apostatam tot modis esse contingit quot hæreticum; scilicet purè mẽtalem, purè externum, internum, & externum simul, siue actus, quo apostasia ostenditur, sufficienter, vel insufficienter illam manifestet. Et quamuis apostatæ à fide simpliciter sint hæretici, qua ratione censura contra hæreticos lata ipsos etiam comprehẽdit: additur tamen expressè contra apostatas, ne aliquis crederet eos non manere excommunicatos, ea nixus opinione, quæ asserit apostatam propriè, & simpliciter hæreticum non esse. Additur ergo particula *Apostatas*. maioris explicationis gratia. Quidquid in sequentibus disputationibus de hæreticis dictum fuerit, de apostatis suo modo intelligatur.

## DISP. IIII.

### *Vtrum hæreticus purè mentalis in hoc canone excommunicetur.*

1\. PRO parte affirmatiua arguitur primò: Si qua esset causa, ob quam hæreticus puré mentalis non excõmunicaretur hoc canone, ea esset quòd Summus Pontifex in actibus puré internis iurisdictionem non habet, hæc enim ab aduersarijs asśinatur; sed hoc est falsum; ergo & illud. Minor (quam tenent Sum. Rosel. verb. *Heresis*. Et Ang. eodem verb. §. 2. & verb. *Hora canonica*. §. 27. Gloss. in Clem. 1. de hæreticis. Alber. Pigius lib. 6. Ecclesiasticæ hierar. c. 26. Adrian. quodlib. 8. art. 1. lit. H. & in 4. de confessione. q. de oratione, quam etiam vt probabilem sequitur Ioan. de Med. C. de oratione. q. 15.) suadetur; Ecclesia dispensat in voto puré interno; & pro actu ecit

puré interno indulgentias concedit: ergo actus puré interni non effugiunt iurisdictionem Ecclesiæ. Probatur consequentia, quoniam eiusdem potestatis est ligare, & soluere; ergo si Ecclesia circa relaxationẽ obligationis actus interni potestatem habet, eãdem etiam habebit, vt propter eos puniat. Et confirmatur; quia de facto in cap. *Ad abolendam.* de hæretic. excommunicãtur, qui aliter de Sacramentis, quám quod Ecclesia docet, senserint, aut docuerint.

Secũdo: Ecclesia potest reseruare hæresim purè mentãlem, vt in aliquibus diæcesibus fit: ergo poterit pro illa excommunicationem ferre, ergo hæreticus puré mentalis hoc loco excõmunicatur, & eius crimẽ Sedi Apost. reseruatur.

2. Cõclusio. Sit nihilominus certa conclusio: Hæreticus puré mentalis in huius Bullæ censura non comprehenditur. Hanc tenent Tolet. in Summa lib. 1. cap. 19. Suar. de cens. tom. 5. disp. 21. sect. 2. Say. lib. 3. de cens. c. 4. n. 21. eamq; tenere debent omnes, qui asserunt Ecclesiam in actibus purè internis non habere iurisdictionem, vt S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. & q. 100. artic. 9. Durand. in 4. dist. 17. q. 8. num. 7. & d. 15. quęs. 12. num. 6. Palud. in. 4. d. 17. q. 7. num. 20. & d. 15. q. 5. art. 2. conclu. 4. num. 24. Sylu. verb. *Excommunicatio*. 7. excommunicatione. 2. nu. 3. Caietan. in Summ. verb. *Hæresis*, in fine, Castro de iusta hæret. punit. lib. 2. c. 18. & lib. 2. de lege pœnali. c. vltim. Soto in 4. d. 22. q. 2. art. 3. Nauarr. in Man. c. 11. nu. 17. Bann. 2. 2. q. 11. artic. 4. Lorca. 1. 2. tom. 2. de legibus, disp. 16. Emmanu. Rod. in expositione Bullæ Cruciatæ, §. 9. dub. 11. fol. 334. & alij non pauci. Et probatur: Ecclesia non potest præcipere, aut prohibere actus, de quibus sententiam ferre nõ valet: sententia enim, & lex eo differunt, quòd lex est pręceptum vniuersale, sententia verò est ipsius legis

in

in particulari declaratio, applicatioque coactionis: sed circa actus internos, qui exteriùs nullo modo manifestantur, non potest Ecclesia sententiam ferre, cum sententia non feratur nisi in illud, quod cognosci potest, cuiusmodi nō sunt actus puré interni; ergo nequit propter illos excōmunicare, atque adeo hæretici purè mentales censura huius Bullæ nō ligātur.

4. Ad primum argumentum in cōtrarium negatur minor. Et ad probationem conceditur posse Ecclesiam in voto puré interno dispensare, & pro interno actu indulgētias cōcedere: hoc tamen non ex eo prouenit quòd Ecclesia secundùm potestatem gubernatiuam in actibus purè internis iurisdictionem directè exerceat, sed quia ad hoc specialem potestatem à Christo Domino accepit, vt traditio Ecclesiæ confirmat. Si quis tamen arguat: Prælatus Religiosorum potest irritare votum internum, etiam de actu interno, vt de contemplatione; ergo dispensare in voto non prouenit ex speciali concessione, sed ex iurisdictione circa actus internos: neganda est consequentia. Et ratio est, quia Prælatus eatenus votum internum, & de materia interna irritat, quatenus ea, ad quæ ex vi obediētiæ Religiosi tenentur, per illud impediuntur: contemplationi enim applicati, quæ á Prælato præcipiuntur, rectè facere non valebunt. Ad probationem consequentiæ argumenti principalis dandum est antecedens, sed nihil concludit, nisi quòd ex vi gubernatiuę potestatis propter eos actus, quorū directè potest obligationē relaxare, valet etiā directè puni re, & quādo ei indirectè subijciuntur, indirectè etiā, & relaxare obligationē, & punire culpam poterit. Ad cōfirmationē respōdetur c. *Ad abolēdā*. fore intelligendū quādo interna credulitas externo signo manifestatur.

Ad

metu adulterium cōmittit, tota pœna adulterij infligitur, quia coacta voluntas non excusat in maleficijs; ergo hæresim proferens, licèt ex metu, excommunicationi contra hæreticos latæ subiacebit.

2. *Conclusio.* Sit tamen cōclusio; Qui verbo vel facto se hæreticū ostendit, non excommunicatur in hac Bulla, si hæresim mente nō teneat. Hæc conclusio communis est, & certa. Quam tenet S. Anton. 2. p. tit. 12. cap. 5. Sylu. verb. *Hæresis.* 1. §. 9. & verb. *Apostasia.* §. 2. Tabien. verb. *Hæreticus.* num. 1 Bann. 2. 2. q. 11. art. 4. Graf. lib. 4. decis. c. 18. num. 11. Say. lib 3. de cens. c. 4. n. 25. Et probatur breuiter: Excommunicatio Bullæ contra hæreticos fertur; sed hæretici tantùm externi nō sunt verè hæretici, ergo per hanc Bullam non excommunicantur.

3. Ad primum argumentum negatur antecedens. Et ad probationem dicendum est cum Bann. loco citato, Conc. Tolet. non intendere distinctionem facere inter dictum externum, & internū assensum, sed solum velle manere excommunicatum, qui dixerit cōtra fidem illud, quod mente tenet. Vnde particula, *vel*, facit hūc sensum; Qui dixerit credendo, vel explicando signo externo senserit, etiam si non verbis. Et ita est vsus loquendi sacrorum Canonum, vt per actus interiores intelligant etiam signa externa; vt cum dicitur quòd solo consensu matrimoniū contrahitur. c. *Cum apud.* de Sponsal. & nihilominus necesse est, vt signa externa interni consensus manifestatiua dentur. c. *Tuæ paternitati.* eod. tit. Ad confirmationem concedimus excōmunicationem à Ioā. 22. latam illos idolatras cōprehendere, non tamen excommunicationem huius Bullæ, nisi verè idolis diuinitatem inesse credāt, pœnas tamē hæreticorum, præter bonorum confiscationem, incurrunt.

Ad secundum respondemus

demus, quanuis Ecclesia possit propter actũ externum punire, etiam si ex affectu interno non procedat, & de facto puniat, non tamen censeri contra illũ exercentes sententiam ferre, quando lex, quæ talem actum prohibet, de eo non verificatur, nisi ab interno affectu prodeat, vt in proposito casu cõtingit. Nam Ecclesia fert sententiam contra hæreticos; quorum nomine non comprehenduntur, qui solo externo actu hæresim proferunt, cum de illis non verificetur quod sint hæretici; hæretici enim illi sunt, qui per intellectum contra fidem errant. Ad confirmationẽ

4. primò negatur antecedẽs, siue de pœna imponenda per iudicem, siue à Deo infligẽda intelligatur. Namque Deus culpam, in qua minus de voluntario inuenitur, qualis profectò est quæ ex metu admittitur, leuiùs punit. Cuius morẽ, puniendo adulteram, cui tota legis pœna non infligitur, ius commune obseruat, vt docet Panorm. in Consil. 4. quod incipit; *Facti contingentia*. Quod probatur expressè in l. *Vim passam*. Et in l. *Si vxor*. §. *Siquis*. ff. de adult. quia adulteriũ respectu legis nõ committitur sine dolo, licet interueniat culpa etiam mortalis, vt probatur in l. pen. ff. de adult. gloss. fin. 34. q. 1. c. *In lectum*. Et 15. q. 1. c. *Inebriauerunt*. Secundò, admisso antecedente, neganda est consequentia; quia adulterari ex metu nõ tollit ab actu rationem adulterij; hæresim verò sine intentione proferre, hæreticum non facit.

## DISP. VI.

### *Vtrum in hac clausula excommunicentur hæretici, qui signa externa insufficientia ad hæresim ostendẽdam proferunt.*

Pars affirmatiua sic suaderi potest. Ideo hære- 1.
tici

tici purè mentales non excommunicantur, quia Ecclesiæ in actus purè internos iurisdictio nō cōpetit: sed actus externus insufficiens ad ostendendam hæresim, sufficiens est vt Ecclesia in actus internos habeat potestatem: ergo propter tales actus potest excommunicare: ergo propter illos excommunicat. Maior, & prima cōsequentia patent. Secunda ex eo etiam est manifesta, quia in hac Bulla excommunicātur illi hæretici, ad quos Ecclesiæ iurisdictio extenditur. Minor, in qua est tota difficultas, probatur vno, vel altero exemplo. 1. ex Clem. 1. de statu monachorum. §. *Quia verò.* vbi excommunicantur monachi, qui sine suorum Prælatorum licentia, animo inferendi damnum Prælatis, aut monasterijs, ad curias Principum se conferunt. 2. ex Clem. 1. de hæreticis. §. *Verum.* in qua excommunicantur Inquisitores, qui odio, amore, aut prauitatis affectu omiserint procedere contra hæreticos, aut eos, qui hæretici non sunt, vexauerint: Et tamē huiusmodi actus, cum non sufficienter ostēdant animum, á quo procedant, sufficientes sunt, vt propter illos excommunicatio feratur; ergo. &c.

Confirmatur eadem minor: Actus internus, qui verè informat, & verè influit in actum externum, qualis est voluntas finis, potestati Ecclesiæ subijcitur, vt docet Caiet. in Summ. verb. *Excommunicatio.* c. 3. & verb. *Horarum Canonicarum omissio.* §. 3. & Soto lib. 10. de iust. & iure. quæs. 5. artic. 5. quos sequitur Lorca. 1. 2. tom. 2. in tract. de legibus. disp 16. memb. 2. & tamen actus ille, saltem vt respicit finem, externo illo actu non ostenditur: ergo vt aliquis excommunicari possit, satis est quód actus externus ab interno procedat, licèt illum non ostēdat. 2.

Pro resolutione huius difficultatis aduertendum est actum externum ab heretico 3.

retico factum aliquãdo esse indifferentem ad hæresim internam, vel quemcumq; alium internũ actũ ostendendum, vt si ex interno assensu contra fidem dicat, *Ita est*: quę verba indifferentia, & insufficientia omnino sunt ad manifestandam hæresim; vel si accedat ad non suam, credẽs sibi licere, qui actus etiam de se talis credulitatis manifestatiuus non est: aliquãdo veró actum externum internã hæresim sufficiẽter ostẽdere: Quod dupliciter euenire potest. Primò, si indeterminatè hæresim ostendat, vt si hæreticus dicat, *Ego errori contra fidem firmiter adhæreo*; quod dicitur hæresim in genere manifestare. Secundò, si illam in specie ostendat, non tamen eam, cui hæreticus adhæret; vt si dicat, *In Christo sunt duæ personæ*, & credat vnam tantùm esse, sed firmiter teneat non esse in Deo Trinitatẽ personarũ.

4. Cõclu. 1. Hoc posito sit prima cõclusio: Hæreticus, qui verba, vel signa insufficientia ad internam hæresim ostẽdendam profert, nisi illam ex circunstantijs manifestent, non excommunicatur. Hanc conclusionem tenet Bann. 2.2. q. 11. artic. 4. conclu. 3. in solut. ad 3. contra eandem conclusio. Viuald. in Candel. in expl. Bullæ Cœnæ n. 2. & 3. & Say. de cens. lib. 3. c. 4. nu. 30. Et probatur quoad primam partem; Verba illa non sunt de se manifestatiua hæresis internæ; ergo qui illa profert, adhuc manet intra limites hæretici mentalis, atq; adeo excommunicationem non incurret, cum hæreticus mentalis non excõmunicetur, vt disp. 4. probauimus. Secũda pars etiam ostenditur, quia verba de se insufficiẽtia multóties ex circunstãtijs internã hæresim declarant: æquipollent enim verbo, vel signo hæresis manifestatiuo; ergo, cum iam hæresis interna exteriùs illis verbis ostendatur, qui illa profert, erit verè hæreticus externus, & ideo excõmunicatioem incurret.

Quæ

5. Quæ autem sint huiusmodi signa, & circunstantiæ ex particularibus euentibus iudicandum est. Cõueniunt tamen Doctores sufficere nõ solũ aliquorũ actuum exercitiũ, vt imagines conculcare, sed etiã carentiam, & priuationem aliorum, vt si hæreticus ad eleuationem augustissimi Eucharistiæ Sacramẽti non assurgat. Existimo ex se sufficientia non esse ea signa, quæ faciunt leuiter suspectum de fide, sufficere verò, saltem regulariter, quæ vehementer, vel violẽter suspectũ reddũt. Quę autem sint ista signa, tradũt Sylu. verb. *Iudicium.* & verb. *Præsumptio.* Bern. Comens. in Lucer. Inquisit. verb. *Præsumptio.* & verb. *Suspitio.* Simanc. in Ench. tit. 41. Albertin. de agnoscẽdis. q. 34. Repert. Inquisitorũ verb. *Suspectus*, Eymericus in direct. Inquis. 2. p. q. 55. & ibi Pegn. com. 80. & Param. de origine Inquisitionis lib. 3. quæs. 10.

6. 2. conclusio. Secunda conclusio: Si quis verbo, vel signo hæresim perfectè proferat, quam mente non habet, licèt alteri diuersæ adhæreat, excommunicationẽ non incurrit. Probatur: Hæreticus iste, quoad hæresim, qua est infectus, censetur purè mentalis, cum verba, & signa, quæ profert, illam non explicent, quamuis aliam, cui ipse non assentitur, perfectè ostendant, respectu cuius hæreticus purè externus dicẽdus est; sed neutra istarum rationum excommunicatio incurritur; ergo hæreticus, qui prędicto modo profert hæresim, no excõmunicatur. Et confirmatur ex. c. *Ad abolendam.* de hæret. vbi dicitur. *Excõmunicamus, qui aliter senserint*, &c. quod Doctores communiter intelligendũ esse dicunt, quando id, quod senserint, externo signo explicauerint; sed in casu conclusionis id, quod hæreticus contra fidem sentit, externo signo non explicat; ergo non excõmunicatur.

Cõtra hanc cõclusionẽ argui potest, Qui dicit se 7.

ad Paganiſmum retroceſſiſſe, cum ad Iudaiſmum retroceſſerit manet excõmunicatus: ergo ſimiliter qui tali hæreſi ſe eſſe infectum fatetur, cum non illi, ſed alteri aſſentiat. Conſequentia videtur bona, cum vterq; verè ſe eſſe hæreticũ manifeſtet, licèt medium, quo à fide receſsit, non oſtẽdat. Antecedens probatur: Qui dicit ſe eſſe Paganum, ſufficienter declarat ex toto à fide receſsiſſe, à qua verè ex toto retroceſsit: ergo eſt perfectè apoſtata externus.

8. Ad hoc arg. negatur anteced. Et ad probationem dicẽdum eſt, verba illa nõ indicare per ſe verum errorem contra fidem, qui in eo homine reperiatur, ſed eſſe mẽdaciũ quoddã, quod, qua tale, apoſtaſiæ manifeſtatiuum non eſt. Sicut igitur neceſſe eſt, vt hæreticus errorem, cui adhæret, dicat, vel ſaltem ſe eſſe hæreticum, ſic de apoſtata eſt ſentiendũ: quia, vt docet Sylu. in apoſtatis locum habent omnia iura, quę de hæreticis loquũtur, cum verè ſint hæretici.

9. Tertia concluſio: Qui verbo, vel ſigno hæreticũ ſe eſſe oſtendit, licet particularem hæreſim, cui adhæret, nõ declaret, manet excommunicatus. Hanc videtur tenere Bann. vbi ſup. Probatur; Iſte eſt verè hæreticus, veréque, & perfectè internam hæreſim exteriùs manifeſtat; ergo nihil eſt, quod illum ab excommunicatione liberet. Quod autem in ſpecie, quem ſequatur errorem, non oſtendat; non tollit quominus ſe eſſe hæreticum declaret. Quod eſt ſatis, vt hæreticus externus cenſeatur. *3. Concluſio.*

Ad arg. initio poſitum negatur minor; & ad primum exemplum, quo probatur, dicendum eſt, non ſufficere animum, niſi externo actu explicetur, vt monachus ad curias Principum ſe conferens excõmunicetur, ſed requiritur externa animi manifeſtatio. Et ſic intelligitur Cle. illa, non verò de animo inſuffi- 10.

sufficienter declarato, & similiter explicandum est secundum exemplum.

11. Ad confirmationem distinguenda est maior, & videndum, an intelligat de actu per se influente, & informante, an verò de informante per accidens, & qui non est necessariò coniunctus cum actu externo. In primo sensu concedenda est; in secundo verò negāda. In proposito autem voluntas finis respectu actus externi, est solùm illius circunstantia; cum tātùm à voluntate efficaci, á qua producitur, vt á causa per se, procedat. Quòd autem fiat propter hunc, aut illū finem, per accidens est ad productionē illius. De qua re vidēdi sunt Alfōs. á Castro lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 18. & Simanc. de Cathol. instit. tit. 42. nu. 11.

## DISP. VII.

### *Vtrum excōmunicentur omnes hæretici, qui externo actu hæresim manifestant.*

1. PRO resolutione sit prima conclusio: Qui propositionē cōtra fidem, cui firmiter adhæret, verbo vel signo sufficiētideclarat, quātūcūq; in occulto, censuram huius canonis incurrit, nisi illā in cōfessione sacramētali, aut coram Inquisitoribus, aut cōsiliū, vel auxiliū ad eā relinquēdā petendo, proferat. Hæc conclusio, quoad primam partē, cōmunis est. Quam authores in præcedētibus disputationib⁹ citati tenēt. Probaturq;: Actus ille, quātumcūq; sit occultus, sufficiēs est ad faciendū hęreticum externū, cū ex natura sua probabilis sit in iudicio, atq; adeo potestati Ecclesię subiectus; sed per hunc canonem excommunicātur omnes hæretici externi, in quos Ecclesia iurisdictionē habet: ergo qui sic hęresim cui adhærēt, proferūt, hac censura innodātur. Secūdā partem tenet Simanc. de Cathol. inst. tit. 24. n. 9. qui refert Vict. ipsos sequitur Say. lib. 3. de cens. c. 4. n. 28. & 29. & quoad illū, qui hę-

*1. conclusio.*

resim in confeſsione manifeſtat, oſtẽditur:tũ, quia actus ille, quo hæreſis declaratur, quatenus in confeſsione fit, extra humanũ iudicium cõſtituitur; cùm etiã, quia, ſi id, quod in cõfeſsione aperitur, iudicio punitiuo Eccleſiæ eſſet ſub iectũ, cõfeſsio odioſa redderetur.
2. Et confirmatur, quoniã cõfeſſarius hæreticum mentalẽ poteſt abſoluere (quod nõ fit, niſi hæreſis exterius explicetur) nõ veró externum; ergo hæreſis in cõfeſsione declarata hæreticum externum non facit. Quòd etiã Inquiſitoribus declarare, vel cõſiliũ petere, extra hæreſim externã ſit; inde patet, quia actus iſti boni ſunt; ergo ratione illorum non incurritur cẽſura. Deinde, quia hæretico mentali ad conuerſionem præcluderetur via.

3. 2. Cõclusio. Secunda cõcluſio: Qui hæreſim, quã mente tenet, per iocũ narrat, hac cẽſura adſtringitur, ſecus verò, ſi eã narret, á qua verè diſceſſit. Hãc docet Say. vbi ſup. n.31. cui Victor, & Simanc. fauẽt, ſi rectè explicentur. Et probatur quoad primã partẽ: In illa narratione iocoſa datur vera hæreſis actualis manifeſtatio, in ea que actualis, vel ſaltem virtualis hæreſis aſſenſus includitur; ergo per illã cẽſura incurritur. Et cõfirmatur, quia is eſt hęreticorum mos tẽtãtium ſuã hæreſim ioco inſinuare: cui cõſonat illud Prou. 10. *Quaſi per riſũ ſtultus operatur ſcelus.* Secũda pars eſt manifeſta, cũ narrans hæreſim à qua diſceſſit, hęreticus nõ ſit, niſi forte externus tãtùm. Quod nõ ſat eſt, vt cẽſura incurratur, vt diſp. 5. probauimus.

Tertia cõcluſ. Qui ſciẽter dubitat de aliquo artic. fidei, aut alicui opinioni taliter adhæret, quod ab Eccleſia nõ ſit paratus corrigi, ſi id verbo, aut ſigno externo declaret, cenſurã huius canonis incurrit. 4. 3. Cõclusio. Prima huius cõcluſionis pars probatur ex c. 1. de hæreticis, vbi dicitur quòd dubius in fide eſt infidelis. & c. 1. de Sum. Trin. in quo cẽſetur hæreticus dubitãs animam ratio-

rationalem esse corporis formã. Quæ omnia intelliguntur, quãdo quis sciẽter, & cum pertinacia dubitat. Nam errans ex ignorãtia, etiam crassa, si sit paratus corrigi, nõ propriè hæreticus dicitur, vt docẽt Cano lib. 12. de locis Theolog. c. 9. Ban. 2. 2. q. 11. art. 1. Valẽtia ibidem, disp. 1. puncto. 1. quidquid dicat Soto in 4. d. 21. q. 2. ar. 3. cum ergo isti sint hæretici, excõmunicãtur. [Secundã partẽ tenent Cast. de iust. hæret. punit. lib. 1. c. 7. Cord. lib. 1. quęs. q. 17. §. 37. & Emmanu. in explicat. Bullæ Cruciatæ. §. 9. n. 72. dub. 2. Et sic ostẽditur; Qui nõ est paratus corrigi ab Ecclesia in ijs, quæ ab ipsa declarari, & diffiniri possunt, proculdubio hæreticus est; ergo si id signo externo ostendat, cẽsura huius canonis ligabitur.

5\. Illud tamen circa hoc aduertendum est; si quis explicet suã sententiã in ijs, quæ adhuc sub opinione sunt, quãuis internè animum hereticalem habeat, nõ ideo excõmunicari, quia cum res adhuc sub iudice sit, qui suam sententiam declarat, non per hoc errorem manifestat internum.

## DISP. VIII.

### *Utrum omnes hæreticorum credentes hoc canone excommunicẽtur.*

1\. Pars affirmatiua sic probatur; Summus Pontifex in hac Bulla de hæreticorum credentibus absolutè loquitur; ergo omnes in ea cõprehenduntur; nã vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt est cõmune Iuristarum proloquium. Confirmatur: Credẽtes hæreticorũ, aut eorũ erroribus credũt, aut eorũ personis: primos manifestũ est excõmunicari. Quód etiam excommunicẽtur secundi, probatur: Nam cum credentes primo modo sint hæretici, iam excõmunicati erãt per particulam, *Hæreticos*, vnde

particula, *Credẽtes*, aliquid addit, & non aliud, vt videtur, nisi hæreticorum credere personis, ergo omnes isti in hac clausula comprehenduntur.

2. Pars negatiua suadetur: Qui semel, aut qui bis hæreticorum concionibus intersunt, verè sunt eorum credentes; & tamen non censentur excõmunicati; ergo nõ omnes hęreticorũ credẽtes excõmunicantur. Maior probatur; Vt aliquis hæreticus maneat excommunicatus, satis est vnum tantũ signũ externũ exhibere; ergo similiter, vt aliquis sit hæreticorũ credẽs, sat erit semel eorũ cõcionibus interesse. Minor, dũ asserit nõ manere excõmunicatũ, qui semel audit hæreticorũ cõcionẽ, inde videtur manifestè colligi, quòd cõtra illũ nõ proceditur, vt cõmunis est Iuristarũ sentẽtia. Quatenus verò asserit, nõ sufficere cõcionibus hęreticorum bis interesse, ex eodem fundamento tenẽt nonnulli.

3. Pro resolutione huius difficultatis aduertẽdũ est primò, & explicãdum quid sit credere hæreticis, seu qui dicãtur hæreticorũ credentes. In qua re Palud. in 4. d. 13. q. 3. art. 1. concl. 7. quem sequuntur Nau. in Man. c. 27. n. 55. Tolet. in Sum lib. 1. c. 19. Graf. lib. 4. decis. c. 18. n. 22. Sayr. lib. 3. de cens. c. 5. n. 1. & alij, quos ipsi citãt; asserit eos dici hæreticorũ credentes, qui eorũ erroribus nõ explicitè, sed implicitè credunt; vt si quis ignorãs Lutheri errores, dicat fidẽ, & doctrinã, quã ipse docet bonã esse, aut in fide Lutheri velle mori, dũmodo, & hæc in intellectu habeat, & sciat Lutherũ, & eius doctrinã ab Ecclesia esse dãnatam. Pegn. in 2. p. Direct. Inquis. q. 50. Cõm. 75. ex quodam libro vetustissimo refert eos dici hæreticorum credentes, qui tantùm fidem eorum habẽt, sed nõ vitam.

4. Aduertẽdum est secũdó alios etiã esse hæreticorum credẽtes, nimirũ, qui credũt hæreticorũ verbis, iussionibus, & operibus, eorũ

lite-

literas hinc inde deferunt, eis seruiunt, alimoniam cõferunt, ducatum præstant, eos visitant, & similia circa illos exercent. Hi omnes, vt docet Eymericus. in 2. p. Direct. Inquisit. quæst. 50. num. 5. licèt non iudicentur credentes hæreticorũ erroribus, non tamen carent suspicione credendi eis. Illud igitur obseruandum est cum Pegn. ad citatum locum Direct. comm. 75. eos solùm ex factis dici hereticorũ credẽtes, qui ea facta cõmittunt, in quibus non est propriè hereticorũ ritus, licèt suspicione hæresis, ob familiaritatẽ, & obedientiam, quam hæreticis exhibent, non careant, nõ tamen credẽtes iudicãtur, cũ illa ex carnali affectione nõnũquam fiant, vt docet Guid. Fulgos. in cõsultationibus ad Inquisitores. q. 9.

5. Aduertendum tertió, vt hæreticorum credentes censuram huius canonis incurrãt, necessariũ esse actu externo se tales esse ostendere: nam, vt supra probauimus, solus actus internus ad incurrendam excommunicationem nõ sufficit. Hoc autem, vt citato loco docet Eymer. aliquãdo ex verbis, aliquando ex factis cognoscitur. Tũc cognoscitur ex verbis, quãdo hæreticis credẽs id fatetur, aut fidẽ, & doctrinã quã docẽt bonã esse affirmat, & similia verba profert: tunc ex factis, quãdo consolationẽ vel communionem ab eis recipit, vel cõciones eorũ audit. De qua re laté Eym. & Pegn. citatis locis.

6. His prænotatis sit prima concl. Qui non credunt hæreticorũ erroribus, quãuis eorũ personis credãt, ac eis obediãt, cẽsura huius canonis nõ innodãtur. Hanc tenent. Nau. Graff. Tolet. Say. locis citatis. Et ratio est, quia credere personis, & tractare in ijs quæ ad fidẽ non pertinent, ex carnali affectione, cõmuniter fieri cõtingit, aliás enim Catholici, qui inter hæreticos viuunt, ex cõmuni cõsortio, quod cũ illis habẽt in politicis, efficerẽtur hereticorũ credẽtes, essentq; per hũc *1. conclusio.*

canonem excõmunicati, quod nequaquam dicẽdũ esse rectè Nauar. affirmat.

7. 2. *Cõclusio.* Secunda conclusio: Credentes hæreticorum erroribus, idque externo signo huius credentiæ manifestatiuo ostendentes, hoc canone excommunicantur. Hæc conclusio communis est. Eam tenent citati Doctores. Et probatur, quoniã hi sunt verè credentes in ijs, quæ Catholicæ fidei repugnant; imò sunt verè hæretici, quamuis solùm simpliciter eorum erroribus assentiantur. Contra quos etiam fertur excommunicatio in c. *Excommunicamus.* 1. §. *Credentes.* de hæret.

8. 3. *Cõclusio.* Tertia conclusio: Qui credẽdo hæreticorum erroribus, semel eorum concionibus interfuerit, non excommunicatur. Probatur: Vt credẽtes hæreticorum excommunicentur, necesse est, vt diximus, quòd id exteriùs signo sufficienti ostendant; sed hæreticorum concionibus semel interesse, sufficiẽs credulitatis signum non est; ergo qui hoc semel facit, non excõmunicatur, quãtumcũq; erroribus hæreticorũ intùs assẽtiatur. Probatur minor, quia qui semel intersunt hæreticorum concionibus, non iudicantur credentes, vt est communis opinio, quam Pegn. vbi supra colligit ex. l. *Qui contra.* C. de incestis nup. ex C. *constat.* 1. q. 1 & ex c. *Ex studijs.* de prę sumpt. hoc tamen intelligendum est absolutè loquendo, & ex vi vnius tantùm signi: nam aliquando ex circunstantijs, & ex alijs signis adiunctis oppositum asserendũ est.

Vtrum autem ad hoc sufficiat bis interesse hæreticorum concionibus, dubitari potest. Pars affirmatiua ex eo suadetur, quia ex actu geminato crimen videtur ad consuetudinem trahi. Ex quo fundamento colligunt Archidiaco. Geminian. Ioan. And. & alij. c. *Quicumque.* §. *Hæretici.* verb. *Credentes*, de hæreticis, in 6. Zanchin. 9.

tract.

tract. de hæreticis. c. 3. n. 6. verſ. *Sed pone*. Repert. Inquiſit. verb. *Credentes*. §. *Sed ponamus*. qui bis audiunt hæreticorum conciones, cenſendos eſſe credentes.

10. Nihilominus exiſtimo hos non manere excommunicatos, quia ex eo quòd bis interſunt hæreticorum concionibus, non ducitur vehemens credulitatis cōiectura, ſed leuis: nam, vt docet Eymeri. vbi ſup. quem ibi ſequitur Pegn. qui hoc faciunt, non reputantur credentes; præſertim ſi non frequentent, cū poſsint. Igitur, quamuis admittamus aliquā in hoc caſu dari ſuſpicionem, illa non vehemens, ſed leuis iudicanda eſt. Idem dicendum exiſtimo de illis ſignis, quæ pro credentibus hæreticorum perſonis notauimus: ſecus verò de ijs, quæ errorum credentiam oſtendunt.

11. Ad argum. partis affirmatiuæ reſpondetur, licèt Summ. Pontifex de credētibus abſolutè loquatur, communiter tamen á Doctoribus explicari de his, qui erroribus, non verò qui perſonis credunt. Quę communis interpretatio ad legem explicādam ſufficiens eſt, in eoque videtur fundari, quia credere hæreticorum perſonis, nō eſt contra fidem, hic verò propter ſolos actus contra fidem excommunicatio fertur, & per hoc explicatur illud Iuriſtarum proloquium in argumento citatum. Ad confirmationē dicendum eſt, particulam, *Credentes*, maioris explicationis gratia poſitam eſſe, & ideò in Bulla Pij. V. omiſſa fuit: cum enim huiuſmodi credentes ſint hæretici, in cenſura contra hæreticos lata comprehenduntur. 12.

Ad argumentum partis negatiuæ reſpondetur nō quoduis ſignum externū ad excommunicationem incurrendam ſatis eſſe, ſed illud requiri, quod erroris interni perfectè manifeſtatiuum eſt: quale iudicandū nō eſt ſemel, aut bis hæreticorū cōcionibus adeſſe.

## DISP. IX.

### *Quinā receptatores in hac censura comprehendantur.*

1. PRO intelligentia eorũ, quæ dicenda sunt, sciẽdum est, hæreticorum receptatores esse induplici differentia; quidam enim semel, aut bis hæreticos receptant, seu recipiunt: quidā autem pluries, & frequenter. Horũ omnium alij hæreticos recipiũt occultando, ne ad manus Ecclesiæ deueniant (quod est recipere hæreticos, vt hæreticos) alij recipiunt ignorādo eorum errores, & eos à ministris Ecclesiæ quæri; sed ea tantum ratione, qua homines sunt, recipientes eos ad hospitiũ, vel ne occidantur, comprehendantur ve à iudice non procedente in causa fidei.

2. Hoc posito, non defuere ex antiquis, qui existimauerint semel recipientem hæreticum, vt hæreticum, pœnas receptatorum non incurrere. Quam sententiā videtur tenere Viuald. in explanatione Bullæ Cœnę. num. 8. quatenus dicit illum receptatorem appellari, qui frequenter hæreticum recipit. Horum sentẽtia probari potest ex proprietate verbi, *Receptatores*, ducitur enim á verbo frequentatiuo, *Recepto*, quod nō significat semel, aut bis, sed frequenter, vel saltem plures recipere: ergo non est extendendum verbum vltra propriæ significationis acceptionem. 3.

Prima conclusio: Qui semel recipit hæreticum, vt hæreticum, manet verè excommunicatus. Hæc cō munis est. Eam tenet Zanchin. tract. de hæretic. c. 6. nu. 2. Repert. Inquis. verb. *Receptatores. §. Sed circa hoc.* Conrad. Brun. lib. 1. de hæretic. c. 4. Eymeric. in 2. p. direct. Inquisit. q. 51. & ibi Pegn. comm. 76. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 19. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 23. Sayr. lib. 3. de censur. *1. Cōclusio.*

c. 3.

c.3.n.3.& Vgolin.hoc loco ad illud verbũ, *Receptatores.* §.2.verſ. *Quinto.* Et ratio eſt quia in iure, *Receptator ille eſt, qui aliquem recipit, & celat, vt ſeruatus manus iudicis euadat.* l. 1. ff. de receptat. l. *Cõgruit.* ff. de officio pręſid. l. vlt. C. de his qui latroné occult. Syl. verb. *Hæreſis.* 1. n. 10. §. *Receptator.* Ad hoc auté non requiritur frequentatio actuũ, ſed ſatis eſt ſemel hæreticũ recipere. Quæ cẽſura vt incurratur non eſt opus, quod hæreticus à miniſtris captus non ſit, ſed ſufficit, vt quis illũ recipiat, & occultet. Ita colligitur ex c. *Sicut ait:* de hæret. vbi ſic dicitur: *Sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terra ſua tenere, vel fouere præſumat.* Ex quo patet ſatis eſſe hæreticum occultare, vt quis ſit veré receptator.

4. *2. concluſio.* Secunda concluſio: Qui ſciẽter recipit hæreticum, ipſumque occultat, quãdo à miniſtris, vt hæreticus inquiritur, licèt hoſpitij gratia ipſum principaliter receptet, in canonis huius cenſuram incidit. Hanc concluſionem tenet Sayr. vbi ſup. Et probatur, quia in hoc caſu iſte occultat hæreticum, ne à miniſtris comprehendatur in cauſa fidei; ergo eſt verè receptator: nam primaria, vel ſecundaria intentione recipere, nõ tollit quominus verè, & formaliter hæreticus in cauſa hæreſis recipiatur; quod eſt ſatis ad excommunicationem incurrendam. Nec opus eſt propter hæreſim primarió hęreticũ occultare, vt docet Tol. vbi ſup. §. *Oportet autẽ.*

5. *3. concluſio.* Tertia concluſio: Qui recipit hæreticum ignorans hæreticum eſſe, vel, ſi ſciat ipſum eſſe hæreticũ, eum non occultat in cauſa fidei, non excommunicatur. Hæc communis eſt. Eã tenent Doctores citati. Et probatur; quia non recipitur hæreticus in hoc caſu in cauſa fidei, & vt hæreticus, ſed vt homo; quod nullibi prohibetur. Imó in ca. *Duo iſta nomina.* 23. q. 4. ſic dicitur; *Quia peccator eſt, corripe, quia homo, miſerere.*

6. Ex hac conclusione sequitur non manere excõmunicatos nautas, caupones, stabularios, & similes receptãtes hæreticos; quia aduẽtantiũ mores perscrutari nõ tenentur. Nec etiã recipientem hęreticum ne ab inimico accidatur, vel ne comprehendatur à ministris iustitiæ propter homicidium, vel furtum, cũ hoc non sit in causa fidei receptare.

Ad argumentum initio factum ex dictis patet solutio: aliter enim verbum, *Receptator*, á Grammaticis, aliter á Iurisperitis vsurpatur.

## DISP. X.

### *Vtrum qui consanguineos hæreticos receptant, excõmunicentur.*

1. concl sio. PRrima conclusio: Qui receptant parentes, filios, vxorem, & maritum hæreticos, probabilius est excõmunicari. Hãc tenet absoluté Vgolin. hoc loco in verbo. *Receptatores*. §. 2. ver. *Sexto*. & Repert. Inquisit. verb. *Receptatores*. §. *Sed tamen receptatus*. & Grilan. tract. de hæretic. q. 9. num. 2. quatenus dicunt non esse minus puniendos, qui consanguineos hæreticos receptant, quàm si alios receptarẽt. Vnde inquiũt non habere locum in hæreticis legem. 2. ff. de receptat. quæ vult, vt receptatores consanguineorum minùs puniantur. Fauent huic sententiæ authores infra citandi, qui huiusmodi receptatores à tota pœna non excusant. Probaturque; Nulla cognatio præferenda est Religioni. c. *Legi*. 33. quæst. 8. & c. *Si infidelis*. 28. quæst. 1. ergo non excusatur á culpa consanguineus, quantumcũque cõiunctus, si cõsanguineũ hæreticum occultet. Confirmatur. 1. quia praxis sanctæ Inquisitionis habet, vt si pater, mater, filij, maritus, & vxor de se inuicem non denunciẽt, pro diminutis habeantur; quod nequaquam fierit, si denũtiare 2.

tiare non tenerentur: ergo similiter eosdẽ occultare, & receptare non possunt. Confirmatur. 2. Filij pro delicto patris contra fidẽ puniuntur, propter criminis atrocitatem, licèt ipsi non peccauerint; c. *Vergentis*. de hæret. Et. c. *Quicũq*; §. *Filij*. eod. tit. in 6. ergo maiori ratione puniri debent, quando ipsos in causa fidei comprehensos occultant.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclus. Probabile est receptatorem patris, filiorum, vxoris, & mariti receptatricem, qua tales sunt, & non in fauorẽ hæresis, non excommunicari. Hanc conclusionem tenet Viual. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ. n. 9. pro qua refert Nauar. & Dida. Perez: Et probat, quia omnes isti vna persona cum receptante reputantur: cum ergo occultãs se ipsum non maneat excommunicatus, idem dicendum videtur de occultante patrem. &c. colligiturque ex quadam iuris æquitate; quia nihil humanum à nobis alienum esse debet: humanum autem valde est, vt qui tanto necessitatis vinculo sunt cõiuncti, sibi inuicem auxiliũ præstent.

Deinde probatur: Qui receptat hæreticum, non vt hæreticum, seu, vt hæresi faueat, nõ excõmunicatur; omnes enim eos tãtùm dicunt receptatores, qui hæreticos occultant, vt eorum opitulentur erroribus; & hinc est quód receptatores iudicantur de fide suspecti: ergo si nullo modo erroribus auxilium præstare intendant, sed tãtùm amore naturali præfatos consanguineos occultare, vt ab infamia, & morte liberentur, in censura receptantium non comprehenduntur.

Confirmatur, quoniam vt docent Zanchin. tract. de hæret. num. 167. Simanc. de Catholic. inst. tit. 15. num. 20. & 21. & in Encherid. titul. 16. num. 8. Tiraquel. tract. de pœnis temperand. ac remitten. cas. 4. 20. & 21. Eymer. 2. p. Direct. Inquisit. quæs. 56. 4.

num.8.& ibi Pegn.comm. 81. mitiùs agendum eſt cũ receptatoribus conſangui neorum; ergo ſi in foro cõ ſcientiæ conſtet nullo modo illos receptare, vt hæreſi faueant, in hanc cenſuram non delinquent.

5. Quia tamen primam concluſionem probabiliorem iudicauimus, imò in praxi ſequendam exiſtimamus, ſaltem in foro externo, reſpondendum eſt ad rationes ſecundæ. Ad primam dicendum eſt, licèt perſonæ illæ, quoad naturalem coniunctionem, vna tantùm perſona reputentur, quoad coniunctionem fidei eſſe omnino diuerſas, atque adeò non cenſeri eundem occultare ſeipſũ; neque in ijs, quæ ad fidem pertinent, æquitas illa iuris præſumenda eſt; imò æquiſsimum iudicari debet, vt pro fide tutãda omnia contemnantur. Nam ſi, iuxta Platonis ſententiã lib.12.de leg. quem ciuitas ſibi hoſtem decreuerit, eundem ſibi quiſque hoſtem exiſtimare debet; quãto magis quem Eccleſia vt hoſtem inſequitur, ac punire intendit.

6. Ad ſecundam reſpondetur, occultare aliquem vt hæreticum non in eo ſolùm conſiſtere, quod aliquis velit errori contra fidem fauere, ſed etiam in hoc quòd in cauſa fidei illum occultat, quem fidei miniſtri, vt hoſtem Eccleſiæ, inſequuntur, & quærũt. Neque item excommunicatio huius canonis lata in receptatores eſt purè præſumptiua, quamuis enim ex præſumptione Eccleſia occaſionem ſumpſerit illã condendi, non tamen huiuſmodi præſumptio fuit totalis occaſio, cum etiam in odium criminis, & in bonum fidei ſtatutum ſit ne quiſquam hæreticos receptet.

Ad confirmationem negatur conſequentia. Et ratio eſt, quia Eccleſia, vt pia mater, de filijs ſuis minus malum præſumit, & fauorabilius opinatur; vnde quamlibet oblatam occaſionem eos leuiùs puniendi

niendi amplectitur, & acceptat.

## DISP. XI.

### *Quinam hæreticorum fautores excommunicentur.*

1. HÆreticorum fautores illi dicuntur, qui eis in causa fidei fauorẽ præstãt. Quod tripliciter euenire potest, vt tradunt Repert. Inquisit. verbo *Fautores*. Zanchin. tract. de hæret. c. 5. Eymer. 2. p. Direct. Inquisit. quæst. 53. & ibi Pegn. omissione scilicet, facto, & verbo: omissione, vt si ea omittat quis facere, quæ ad hæreticorum capturam, ad eorum punitionem, & ad procedendum contra eos in causa fidei, necessaria sunt, quando ad ea tenẽtur; nam, vt habetur c. *Qui potest*. 23. quæst. 3. *Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud, quàm fauere impietati eorum*. Facto, seu commissione, si captos absque iudicis mãdato, & authoritate è carcere liberet, vel sententiã eorum directè, vel indirectè impediat. c. *Vt Inquisitionis*. §. *Prohibemus*. de hæret. in 6. verbo. *Si viam fugiẽdi doceat*. Huiusmodi fautores aliquando sunt personæ publicæ; siue sint ad quos ex officio spectat cõtra hæreticos procedere; siue magistratus sæculares. Aliquando sunt personæ priuatæ. Inter quas est etiã discrimẽ; quia vel possunt esse ministri, seu quasi ministri, quales sunt Cruce signati, quos *Familiares* vocamus: vel sunt homines particulares, quibus hæreticos accusare, & contra illos procedere non incumbit.

2. Hoc posito, quærimus, vtrum omnes isti, si aliquo prædictorum modorum faueant hæreticis, per hãc clausulam excõmunicentur. In qua re Palud. in 4. d. 18. quæst. 3. art. 1. tenet personas particulares, quę, cum possint, hæreticos denuntiare nolunt, in excommunicationem incidere

dere. Idem videtur sentire Pegn. vbi supra Comm. 78.§.*Postremò*.quatenus asserit personas priuatas esse hæreticorum fautrices, ex omißione denuntiandi. Quorum sententia sic probatur.

5. Primo: Qui crimina potens emendare nō corrigit, ipse committit, c. *Qui potest*. 23.quæs.3.c. *Qui vitijs*. eâdem causa quæs.5. cap. *Ita corporis*. 11.quæs.3. c. *Negligere*. 2.quæs.3.cap. *Error*. 83.dist. Sed priuatæ personæ, hæreticos denuntiando, eorum crimen possunt emendare; ergo tacentes, eorundem criminum redduntur rei, proindeque per denuntiationis omißionem fauorem præstant.

4. Secundo: Omnes, etiam priuatæ personæ, hæreticos denuntiare tenentur; ergo si non denuntient, sunt fautores: atque adeó excommunicantur. Consequentia videtur bona, quoniam ideo ministri, & familiares, qui non denũtiant, aut hæreticos in carcere detentos nō seruant, excommunicantur tamquam fautores, quia illud facere omittunt, ad quod vel ex officio, vel ex iuramento tenentur, vt infra dicemus. Antecedens probatur à S.Thom. 2.2.quęs. 68. artic. 1. Caiet. ibidem. Alen. 3.p. quæs. 42, Soto lib.5. de iust. & iur. quæs. 5. artic.1. Cardinal. in cap. *Si peccauerit*. 2.quæs. 1. nu. 29. Conrad. Brun. lib.1. de hæret. c.7. Ioan. de Rojas. in Singul. fidei, Singul. 5. Castro libr. 2. de iusta hæretic. punit. cap.25. Simanc. de Catholic. inst. titul. 19. num.10. Omnes enim ex præcepto charitatis crimen Reip. & fidei perniciosum denuntiare, imò & accusare tenemur. Et confirmatur, quia ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis lata est excõmunicatio ipso facto incurrenda contra omittentes denuntiare hæreticos infra certos dies.

Pro resolutione sit prima conclusio: Omnis, siue sit publica, siue priuata 5. 1. *Cõclusio*.

uata persona, commissione in causa hæresis hæreticis fauorem prestans, per hunc canonem excommunicatur. Hæc conclusio est omnino certa, & patet, quia hi omnes verè fautores hæreticorum sunt.

6. 2. Cóclusio. Secunda conclusio: Ministri publici, qui ad procedendum contra hæreticos deputantur, si id facere omittant, manent excommunicati. Hi sunt Episcopi, Inquisitores, & alij Sanctæ Inquisitionis particulares ministri. Hæc communis est. Eam tenent Eymer. in Direct. Inquisitorum 2. par. quęst. 53. & ibi. Pegn. Sylu. verb. *Haresis*. 1. num. 10. Tabien. verb. *Excommun*. 5. num. 8. Repert. Inquisitorum verb. *Fautores*. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 17. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 18. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 5. num. 7. Et ratio est: quia hi verè fauent hæreticis omissione eorum, ad quæ tenebantur.

Tertia conclusio: Personæ publicæ, & ministri sæculares, qui requisiti ab Episcopis, aut Inquisitoribus ad comprehendendos hæreticos, vel ad procedendum contra illos, auxilium negant, excommunicationem incurrunt; Secus verò si ab eis non fuerint requisiti. Hanc tradunt Doctores citati, & habetur. cap. *Ad abolendam*. §. *Statuimus*. de hæretic. & cap. *Vt inquisitioni*. eod. titul. in 6. & in Scriptis Innocentij IIII. & Clement. IIII. quæ referuntur ad finem Direct. Inquisitorum. Quibus in locis excommunicantur sæculares Magistratus, qui requisiti, opem contra hæreticos non ferunt. Si tamen non requirantur, nulla eis imponitur pœna, cũ ex officio non teneãtur procedere; atque adeò, nisi requirantur, fautores non sunt. 7. 3. Cóclusio.

Quarta conclusio: Prælati, vel Inquisitores, qui omittunt facere carceres 8. 4. Cóclusio.

res tutos, & fidos custodes præficere ex amore quodam carnali ipsius personę hæretici, excommunicantur; non verò si ex negligentia, aut auaritia ea facere omittant. Probatur prima pars; Qui ob amorem personæ hæretici tutos carceres construere, ac fidos custodes præficere omittit, consequenter vult vt fugiat; qui enim non custodit, cum possit, & ex officio tenetur, vult fugam, ergo in hoc hæretico fauet in causa fidei, atque adeò excommunicatur. Secundam partem docet Archid. c. *Quicumque*. de hæret. in 6. Sylu. & Sayro, vbi sup. Et ex eo suadetur, quoniam qui ex auaritia, aut negligentia prædicta contemnit, hæreticis auxiliari non intẽdit; ergo non excommunicatur.

9. 5. Conclusio. Quinta conclusio: Personæ priuatæ, quæ ex officio, aut iuramento non tenentur ad hæreticorum causas concurrere, si ea facere omittant, quæ ad eorum capturam, & ad procedendum contra illos necessaria sunt, ex vi huius Bullæ non excommunicãtur. Hæc conclusio communis est, quam tenent Eymer. Sylu. Tabien. Graf. & Tolet. citatis locis, Simanch. in Enchirid. tit. 15. nu. 3. Et probatur, quia ad istos non pertinet procedere contra hæreticos. Illi igitur soli omißione fauere censentur, qui cum procedere poßint, & teneantur, nõ procedunt. Vterque enim reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia, & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. c. *Quisquis*. 11. q. 3.

Diximus in conclusione priuatas personas, quæ ex officio, aut iuramento non tenentur. &c. Nam quæ obligantur ex officio, aut iuramento, per omißionem excommunicari non negamus; vt sunt Cruce signati, & alij, quibus, dato iuramento ad procedendum contra hæreticos ministri vtũtur: testes etiam, 10.

qui

qui iuridicé ab Inquisitoribus interrogati, veritatem occultant.

11. Diximus etiam non manere excommunicatos ex vi huius Bullæ, quia certũ est omittentes denuntiare hæreticos, cum posśint, excõmunicari per censurã ab Inquisitoribus in actu fidei latam. Vnde qui non denunciant præter peccatum contra charitatem, peccant etiam contra obedientiam, & ipso facto manent excommunicati.

12. Ad primum argumentũ initio factum dicendum est eum, qui ex officio denunciare nõ tenetur, peccare quidem contra charitatem denũtiationẽ omittendo, cum denuntiandi necesśitas occurrit, propriè tamen non dici causá peccati, quia illi tantùm causa peccati cẽsentur, qui cum posśint, & teneantur, facere omittunt; vt patet in ministris iustitiæ, qui latronibus cooperari iudicãtur, dùm ipsos, cũ posśint, á furando non impediunt. Quod de priuatis hominibus nequaquám dicendũ est. Vnde particulares personæ per omisśionem denunciandi, concurrere, & fauere non censentur.

Ad secundum responde- 13.
tur omnes fideles ad denũtiandum teneri ex præcepto charitatis, non tamen ex particulari obligatione, qua ministri, aut quasi ministri efficiantur, vt Cruce signati, & testes. Quapropter negatur consequentia: quia, qui ex iuramento, vel officio tenentur, ministri, aut quasi ministri efficiuntur, qui veró ex præcepto tãtùm charitatis, vel ex præcepto Inquisitorum nulla ratione ministri reputãtur.

## DISP. XII.

### *Quinam hæreticorum defensores hoc loco habeantur.*

1. HÆreticorum defensores sunt in duplici differentia. Quidam enim hære-

hæreticorum errores, quidam eorum personas defendunt. Primi ipsis hæreticis damnabiliores iudicantur, & non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ sũt c. *Qui aliorum*. 24. q.3.& c. *Qui consentit*. 11. q. 3. & de his defensoribus communiter non loquuntur iura, neq; hæc particula, *Defesores*, de illis intelligitur: quia cũ habeãtur pro hęreticis, per particulam, *Hæreticos*, excommunicantur. Secũdi dicuntur propriè defensores, de quibus in hac Bulla loquitur Sũmus Põtifex, & loquuntur iura; excommunicanturque in c. *Excommunicamus*. 1. §. *Credentes*. de hæret. Huiusmodi defensores sunt, qui viribus, vel potentia hæreticos defendunt, ne ad manus iudicis examinãdi, vel puniẽdi deueniant. Quod multis modis euenire potest, vt in 2. p. Direct. Inquisit. q.52. comm. 77. ex Bulla Clementis IIII. & Innocentij IIII. refert Pegn. quorum Pontificum verba ita habent; *Quicumque autem hæreticum, vel hæreticã captum, vel captam auferre de manibus capientium, vel capientis ausus fuerit, vel defẽdere ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquã, vel turrim, seu locum aliquem ne capiatur, & inquiratur ibidem. &c.*

2. 1. Coclusio.

Hoc posito sit prima cõclusio: Quicumq; impedit ne hæreticus, quem nouit hæreticum, ad manus iudicis in causa fidei examinandus, vel puniendus deueniat, per hunc canonem excommunicatur. In hoc sensu explicant Doctores communiter particulam, *Defẽsores*. Repert. Inquisit. ver. *Defensores*. Eymer. in 2. p. Direct. Inquis. quæs. 52. Comens. in Lucer. Inquis. verb. *Defensor*. Sylu. verbo. *Hæresis*. 1. n. 10. Tabien. vers. *Excommunicatio*. 5. num. 10. Simanc. in Enchir. tit. 14. num. 3. Graff. lib. 4. decis. c. 18. n. 27. Vival. in Cand. in explanat. Bul. Cœnæ. n. 7. Sayr. lib. 3. de censur. c. 5. num. 9. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 19. Et ratio est, quia per hoc maximè impeditur

tur processus contra hæreticos, atque adeo sic impedientes valde suspecti redduntur.

3. 2. Cōclusio. Secunda conclusio: Qui defendit hæreticum, quādo non quæritur in causa fidei, licèt sciat ipsum esse hæreticum, non excōmunicatur. Hæc etiam conclusio communis est: quā tenent citati omnes, constatque ex his, quæ in superioribus disputauimus. Huiusmodi enim defensio nullibi inuenitur prohibita, imó aliquādo necessaria est, si hæreticus sit in extrema cōstitutus necessitate.

4. 3. Cōclusio. Tertia conclusio: Qui defendit illum, quem ministri vt hæreticum quærunt, sciens ipsum esse innocentem, excommunicatur. Ab hac conclusione dissentire non possunt Doctores citati, cum solùm affirment defensorem hæretici excommunicari; sed hic non est hæreticus; ergo excommunicatio Bullæ defensorem eius nō comprehendit. Quamuis igitur in foro externo, vt defensor puniatur, á parte rei defensor hæretici non est atq; adeo cum censura in eum lata in falsa præsumptione fundetur, ipsum non ligat.

Quarta conclusio: Qui patrocinatur hæretico in iudicio, probabiliter credēs habere iustam causam, non excommunicatur; licèt postea causam non esse iustam constet. Hanc tenet Sylu. vbi sup. Probatur: quia in isto casu defensio est iusta; ergo qui patrocinatur, fautor, aut defensor iudicandus non est. Ad quod parum refert, an voluntariè, vel ab Inquisitoribus missus causæ patrocinetur. Si tamē sciat causam esse iniustam, & illam defendit, excommunicationem incurrit secundùm omnes. 5. 4. Cōclusio.

Quinta conclusio: Qui defendit, occultat, fauet, & patrocinatur illi, quem credit esse hæreticum, si re vera hæreticus nō sit, excōmunicationē huius canonis non incurrit. Ratio est, quia non defendit hære- 6. 5. Cōclusio.

 ticum

ticum, quod solùm prohibetur. Neque conscientia erronea sufficit, vt excõmunicatio incurratur. Nihilominus grauitèr peccat.

## DISP. XIII.

### *Vtrum legentes quoscumque hæreticorum libros excommunicentur.*

1. PRO parte affirmatiua hæc ratio se se offert. Damnatis authoribus eorum etiam libri, & scripta damnantur cap. *Fraternitatis.* de hæret. cap. *Nullus.* 3. quæst. 4. c. *Canones.* 16. dist. ergo quicumque legit libros hæreticorum, licèt hæresim non contineant, aut de Religione non tractent, excommunicatur, cum librum damnatum, vt potè damnati authoris, legat.

Quòd verò libri hæreticorum etiam de Religione tractantes, quoàd omnes suas partes legi prohibiti non sint, ostenditur: Errores, qui in hæreticorũ libris inueniuntur, bonas sententias in eis cõtentas, authoritates Sacræ Scripturæ, & dicta Sanctorum Patrum non vitiant cap. *Nonne.* & cap. *Dominus declarauit* 1. quæst. 1. Nam quæ bona sunt, & sancta, á Deo sunt; ergo qui hæc in libris hæreticorum legerit, non excommunicatur. Deinde confirmatur: Legentes hæreticorum errores in Catholicorum libris non excommunicantur, vt docent. Nau. in Manu. c. 27. num. 56. Viuald. in Cand. in explanatione Bullæ Cœnæ num. 12. Sayr. lib. 3. de censuris c. 5. num. 13. & alij communiter; ergo neque legentes sententias Patrũ, & alia, quæ errorem non continent in libris hæreticorum; minora enim ex hoc incõuenientia, quàm ex illo sequuntur.

Pro resolutione huius difficultatis aduertendum est primò cum Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 31. libros

libros hæreticorum esse in duplici differentia: nam quidam continent hæresim ex professo, aut ex instituto de Religione tractant: alij, licet aliquas hæreses, & prauas doctrinas intermisceant, neutrum tamen ex instituto faciunt.

3. Aduertendum est secundò hæreticorum librorum lectionem iure antiquo prohibitam esse, vt constat ex cap. *Fraternitatis.* de hæretic. & ex cap. *Nullus.* 3. quæs. 4. sed ibi nulla erat lata excommunicatio: nunc autem contra legentes huiusmodi libros duplex censura inuenitur; altera in Bulla Cœnæ, altera in indice librorum prohibitorum: in quo tres classes distinguuntur; prima continet hæreticorum nomina; secunda libros aliquorum authorum siue hæreticorum, siue Catholicorum, qui propter dogma aliquod hæresis suspicionem, vel prauam doctrinam prohibentur; tertia libros incertorum authorum, qui ob prædictas causas interdicũtur. Vnde aduertendũ maximè est, an libri sint hæreticorum, an verò ob prædictas rationes prohibiti.

His positis sit prima cõclus. Qui absq; legitima Sedis Apostolicæ authoritate hæreticorũ libros hæresim continentes, aut ex professo de Religione tractantes scienter legit, ex vi huius Bullæ excommunicatur. Hæc conclus. in prima clausula huius Bullæ manifestè exprimitur. Circa quam aduertunt Nau. in Manu. loco. cit. Emm. in explicatione Bullæ Cruciatæ. §. 9. num. 77. Viual. vbi supra num. 11. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 19. Graff. num. 29. Sayr. num. 12. locis. cit. tria requiri, vt hęc censura incurratur. Primum, quòd libri sint authorum hæreticorum: secundum, vt hæresim contineant, aut de Religione tractent: tertium, vt scienter legantur. Vt quis autem legere dicatur ad effectum incurrendi 4. 1. Conclusio.

 hanc.

hanc censuram, satis est,
5. quod librum oculis percurrat, cum aduertẽtia ad ea quæ in eo scripta sunt, quamuis ore nihil exprimat: vt notat Graff. num. 34. & Vgolin. ad illa verba. *Ac eorũ libos.* §. 1. vers. *Quintò.* iuxta l. 1. §. *Legi.* ff. de ijs, quæ in testamen. delen. Non tamen sufficit librũ memoriter recitare, vt docet Sayr. quidquid in contrariũ dicat Graff. Nihilominus si sine causa id faciat, á peccato non excusatur. Parum tamen refert an liber impressus sit an manu scriptus. Satis etiam est vt censura incurratur, legere hæreticorum quaterniones, aut scripta quæcumque hæresim continẽtia, aut de Religione tractãtia, cum hæc omnia ad libros reducantur, & librorum appellatione veniant. Non tamen placet quod ait. Vgolin. vers. *Nonò.* nimirum excommunicari legentes epistolas hæreticorum hæresim continentes. Quoniam epistolæ, seu litteræ saltem in acceptione vulgata non dicuntur libri, nec ad libros reducũtur. Libri Geomantiæ, & alij de quibus in regula. 9. indicis librorum prohibitorũ fit sermo, nõ prohibentur per hãc clausulam, quia licét sint suspecti, hæresim tamen non continẽt. Nam sicut Magi non comprehenduntur sub particula, *Hæreticos*, vt docet Nauar. num. 55. vers. *Secunda.* & Viuald. num. 12. sic eorum libri hæretici iudicandi non sunt.

Secunda conclusio: Qui legit, licèt absque Sedis Apostolicæ licentia, hære- 6. 2. Cõclusio.
ticorũ libros, qui ex professo hæresim, nõ cõtinẽt, vel de Religione nõ tractant, quãuis hæresim aliquã cõtineant, per hanc Bullam non excõmunicatur. Hãc conclusionem tenet Graf. vbi supra num. 31. quam tamen negat Suares tom. 5. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 10. quatenus asserit sufficere vnam hæresim, vt ex vi huius clausulæ liber censeatur prohibitus, et si ab eo talis hæresis deleatur.

tur. Probatur nihilominus conclusio; In 2. regula indicis librorum prohibitorum hæreticorum libri hęresim continentes, aut de Religione tractãtes omnino damnantur; alij verò ab ipsis editi, erroribus expurgati permittuntur, vt ex regula octaua eiusdem indicis constat; ergo non eodẽ modo prohibentur libri qui de Religione ex professo tractant, vel ex professo hæresim continent, ac illi qui per occasionem hæresim, & falsas doctrinas intermiscent. Cum igitur in Bulla omnino damnentur libri hæreticorum hęresim continentes, illi tantùm videntur damnari, qui de ea ex professo loquuntur. Et in hunc sensum huius canonis prohibitio explicanda est. Dixi in conclusione, non excommunicari per hanc Bullam legentes prædictos libros, quia ex vi excommunicationis in indice contentæ certũ est excommunicari nõ solùm legẽtes hæreticorum libros, sed etiam cuiusuis authoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspitionẽ damnata; quãuis libri ob aliãs causas prohibiti sub reatu tantùm lethalis culpæ legi interdicantur.

7. 3. Cõclusio. Tertia conclusio: Legẽtes libros Catholicorum, in quibus hæreses, & hæreticorum argumenta referuntur, vel illos, in quibus tantùm scholia, & annotationes ab hæreticis addita continenur, ex vi huius Bullæ non excommunicãtur. Hæc communis est: eam tenent Doctores citati. Et ratio est manifesta, quia in hac clausula tantũ hæreticorum libri sunt prohibiti. Aduertit tamẽ Suares secundam partem huius conclusionis esse intelligendam dummodò cõmentarij tàm copiosi non sint, vt potiùs ex ijs quàm ex textu libri constent. At aduertentia hæc potiùs in scrupulo, quàm in ratione videtur fundari, cum re vera libri à Catholicis editi, Catholicorum sint, & nũcupentur, quantùmcumq; copio-

copiosos habeant hæreticorum commentarios.

8. *Cõclu*. Quarta conclusio: Qui paucas lineas libri in hac clausula prohibiti legerit, non excõmunicatur. Hæc conclusio est contra Toletum, & Vgolin. vers. *Octauó*. eam tamen tenent Viuald. Graff. num. 34. & Sayr. nu. 12. citatis locis. Probatur; Paruitas materiæ, vt communiter docent Scholastici, á mortali peccato excusat, parum enim pro nihilo reputatur; sed vbi non datur peccatum mortale, excommunicatio non incurritur; ergo. &c. Ex hoc tamen non est facilé sumenda occasio legendi nec lineam vnã, cũ hoc faciens raró à culpa excusetur.

Ab hac cẽsura excusantur ignorantes, vt patet ex particula, *Sciẽter*. vnde, qui ignorat authorẽ libri esse hęreticũ, aut si id sciat, ignorat tamen in libro hæresim contineri, non excommucatur, vt notat Vgolin. §. 2. vers. *Primum*. vtrumque enim requiritur, & quòd sciat librum esse hæretici, & hæresim continere. Nõ excommunicatur etiam qui legit librum Gentilis, vel Iudæi, quãuis hæresim contineat, quia non est liber hæretici.

Vnum tamen in hac materia explicandum superest: quinam dicantur libri de Religione tractantes. Respondetur dici omnes illos, qui ad fidei expositionem spectant, & consequenter eos, quibus diuina Scriptura, vel aliqua pars illius explicatur: eos etiam, qui Theologiam scholasticam totã, vel partem illius tractãt: qui etiã tractant de cultu Deo debito, de Religione Christiana, de statu Religionis, ac de Ecclesiasticis, Religio enim nõ solũ accipitur pro virtute, cuius proprium est cultum Deo exhibere, sed etiam pro congregatione hominũ Deum colẽtium, in qua acceptione comprehendit statum Christianorũ, statum Clericorum, ac Religiosorum. 9.

Dubitare tamen quis potest, an libri, quos Cate- 10.

nas

nas vocant, quibus eluci dantur loca Sacræ Scripturæ, & Euangelia, si ab hæreticis sint editi, hoc loco interdicantur. Ratio dubitandi est, quia huiusmodi libri, & ab hæreticis sunt editi, & de Religione tractant. Negatiué tamẽ respondendum existimo. Nam in huiusmodi libris nulla, vel pauca ab hæreticis de suo apponuntur, sed Patrum, & Doctorum dicta, quæ ad expositionem locorũ Scripturę cõducũt, ab eis collecta in vnũ rediguntur. Huiusmodi etiam libri iuxta 5. regulam indicis permittuntur, dũmodo, si quæ expurganda habent, deleantur. Qui verò de Religione tractant, & si hæresim non contineant, nullatenus conceduntur.

11. Ad primum argu. initio positum respondetur, quãuis libri damnati authoris damnati etiam cẽseantur, non tamen prohiberi per hanc Bullam nisi eos, de quibus illa specialiter loquitur. Vnde legens librũ hæretici ab eo editum quo tempore fidelis erat, hanc Bullæ excommunicationem non incurrit, cum liber non sit hæretici, quà talis formaliter (in quo sensu verba Bullæ intelligenda sunt) sed Catholici in hæresim postea prolapsi: indicis verò excõmunicationem non euadit.

Ad secundum, concesso antecedente, negatur consequentia; & ratio est, quia tota lectio illorum librorum in odium authoris interdicitur. Quapropter non excommunicantur legentes, eoquód sententiam hæreticam legunt; aliàs enim legentes illam in libris Catholicorum essent similiter excommunicati, quod falsum esse ostendimus, sed quia legunt librum sub tali censura prohibitum. Ex quo ad confirmationẽ patet solutio. Quamuis igitur ex lectione librorum Catholicorum, qui hæreticorum errores, & argumenta referunt, aliqua posint inconuenientia prouenire, nequeunt tamen omnia

vitari, nec etiam hos libros omnino prohibere expediens esse iudicatur: oportet enim eos, vt hæreticorum argumenta soluantur, & ipsorum confutentur errores, in medium afferri,

## DISP. XIV.

### *Vtrum, qui audiunt alios legentes libros in hac clausula prohibitos, excommunicētur.*

1. Cōclusio. PRO decisione sit prima conclusio; Qui auditione sua nullo modo est causa, vt aliquis libros prohibitos legere incipiat, aut eorum lectionem continuet, hoc loco non excōmunicatur. Hanc tenent Emmanu. in explicatione Bullæ Cruciatæ. §. 9. dub. 7. num. 77. & Say. lib. 3. de cens. c. 5. num. 14. Et ratio est, quoniam hæc excommunicatio est lata in legentes, hic autem nec realiter nec moraliter verè dici potest legere.

2. 2. Cōclusio. Secunda conclusio: Qui est causa, vt aliquis legat librum ex prohibitis ipsi legenti per hunc canonē, aut in lectione illius persistat, probabile est manere excommunicatum, sicut qui legit: meo tamen iudicio longé probabilius est oppositum. Primam partē huius conclusionis docent Graff. lib. 4. decis. c. 18. n. 34. & Say. vbi sup. Et probatur: Qui consulit, rogat, aut alia simili ratione est causa, vt aliquis prædictos libros legat, moraliter loquendo illos legere censetur; ergo per hanc censuram excōmunicatur. Dixi in conclusione librum ipsi legenti prohibitum, quia si quis alteri suadeat lectionem libri, quem ex facultate sibi concessa legere potest, quod tamen suasori non licet, nō excōmunicatur, imò absolute loquendo non peccat, cū actum illicitum aut prohibitum non suadeat. Secunda pars quam tenet Vgolin. hoc loco ad illa verba. *Ac eorū libros*. §. 2. vers. *Nono*

*nò*. ostenditur; Hæc excō-municatio fertur tantùm in legentes; sed qui audit, quantumcumque lectionē persuaserit, in nulla verborum proprietate dicitur legere; ergo non excommunicatur.

Cōtra primam partem huius cōclus. dicet aliquis sequi ex ea manere excōmmunicatū, qui omne illud consulit, quod sub excommunicationis pœna prohibetur: quod tamen falsum est. Nam qui consulit alicui, vt claustra monasterij monialium ingrediatur, non incurrit excommunicationem, quamuis qui ingreditur excommunicetur. Sequella ex eo probatur, quia tam causa moralis huius ingressus est consulens, quám suadens est causa lectionis libri prohibiti.

3. Contra secundam partem eiusdem conclusionis sic arguitur: A gentes, & cōsentiētes pari pœna plectendi sunt, vt habetur c. *Quantæ* de sentent. excom. Ex qua ratione infert textus non solùm excommunicari percutientes Clericos, sed etiam non impediētes dolose: atqui maior est ratio de suadente legere; ergo etiam ille excommunicatur.

Pro resolutione primi argum. in gratiam authorū qui primam conclusionis partem defendunt, aduertendum est causæ morali altero è duobus modis posse tribui effectum: Primò si tribuatur ei tantùm vt causæ ad talem effectum concurrenti, ita tamen vt effectus verè moraliter de illa non dicatur; secundò si taliter tribuatur vt causę, vt effectus de illa verè moraliter prædicetur. Exemplum primi sit in consulēte ingressū Religionis, cui talis ingressus tribuitur vt causæ: ipse tamen verè moraliter nō dicitur Religionem intrare. Item in suadente adulterium, cui etiā tribuitur, vt causę: cum verè adulterari non dicatur. Exemplum secundi sit in consulente homicidium, & comitante eum, cui tribuit 4.

tribuit consilium; cui nō solùm h micidium tribuitur vt causæ sed verè moraliter dicitur homicida. Primo modo tribuitur actus quoad meritum, vel culpam tantùm, cum ad hoc satis sit quòd consiliū, vel suasio obiectum malū, vel bonum respiciant. Secundo modo non solùm tribuitur actus quoad culpam, sed etiam pœna tali actui imposita, vel imponēda, cum ille verè dicatur illum actum commisisse, cui talis pœna debetur.

Hoc posito, ad primum argumentum negatur sequella: Nam ille tantùm pœnam incurrit, de quo actus prohibitus veré moraliter affirmatur: non veró ille, cui vt causæ tantùm actus tribuitur. Et quia suadens lectionem libri prohibiti illum moraliter dicitur legere, excommunicatur: ratio est illa, quā de suadente homicidiū, & comitāte diximus, cū ille suo modo in actuali lectione concurrat, non veró consulens ingressum monasterij, cum intrare non dicatur, & excommunicatio in ingredientem feratur tantùm. Si tamen aliquis cōsulat prædictam lectionē, & legentem non audiat, non excommunicabitur, quia tunc verè non dicetur legere.

5. Ad secundum argumētum respondetur c. *Quantæ.* esse extensionem cap. *Siquis suadente diabolo.* 17. q. 4. aliàs enim consulens percussionem Clerici ex vi illius non excōmunicaretur. At circa persuadentes legere libros prohibitos nulla extat talis extensio, vel declaratio. Vnde quia pœnæ sunt restringēdæ c. *Odia.* de regul. iur. in 6. non erit hæc excommunicatio contra legentes libros extendenda ad persuadentes.

## DISP. XV.

### *Quinam libros in hac clausula prohibitos legere, aut comburere possint.*

Nulla

NVlla ratione licitum esse concedere facultatem ad legendum hæreticorum libros, præsertim qui hæreses, falsamque doctrinam continent, suadetur primò: Huiusmodi libri non solùm mali sunt quia prohibiti, sed etiam prohibiti quia mali, continent enim hæreses, blasphemias, ac falsas, scandalosasque doctrinas; sed quę in se, & intrinsece mala sũt, occasioque ruinæ, nullo modo tractare, & communicare licèt; ergo ob nullã causam concedenda est facultas hos libros legendi.

1. Secũdò: Si propter aliquam rationem prædicta facultas posset, & deberet concedi, ea esset, vt huiusmodi libris contentę hęreses, & errores à viris doctis impugnarentur; sed hæc ratio nulla est; ergo &c. Probatur minor ex quodã Breui Pij IIII. relato inter literas Apostolicas ad finẽ Direct. Inquisit. fol. 129. quod incipit *Cum pro munere.* Vbi Summus Pontifex reddens rationem, ob quam facultatem hæreticorum libros legendi reuocat, addit sufficienter damnatas esse hæreses nostri temporis in Concilio generali taliter, vt hoc sufficere omnibus debeat ad vitandos errores, fideique catholicæ veritatem cognoscendam, *Nec*, inquit, *vllius præterea confutatio requirenda sit.*

Tertiò: Quòd libros hęreticorũ prohibitos vnusquisque licetè posit comburere suadetur ex eo, quia per hoc consequitur effectus intentus à Summo Põtifice, videlicet quòd tales libri non extent, ne vlla ratione occasio scandali, & ruinæ esse posint.

Tandem: Qui habet librũ hæreticorum, verè est dominus illius; ergo potest illum comburere. Probatur cõsequentia, quoniam vnicuique licèt de re sua ad libitum disponere.

Pro resolucione sit prima conclusio: Licité viris doctis, & pijs facultas hæreticorum libros legendi concedi potest. De hac 2.

con-

conclusione dubitandum non est, cum videamus Summos Pontifices huiusmodi facultates multoties concedere. Et probatur: In Ecclesia debet esse cognitio errorum, & hæresum, tum vt vitentur, cum etiã vt impugnētur: licét enim Catholicis sufficiat doctrina Conciliorum, vt veritatem sequantur, hoc tamen ad manifesté conuincendos hæreticos, qui Conciliorum, & Ecclesiæ authoritatē inficiantur, sufficiēs non est; ergo ad eos conuincendos, reducendosq; ad ouile Christi, opus est vt ab aliquibus eorum libri legantur.

3. 2. Cōclusio. Secunda conclusio: Inquisitoribus, & Commissarijs ab Apostolica Sede super hæretica prauitate deputatis, durante ipsa deputatione, licitum est legere libros prohibitos, etiã hæreticorum; non verò Episcopis. Hæc conclusio constat ex Breui Iulij III. incipiente, *Cum meditatio.* relato ad finem Directorij Inquis. fol. 115. & ex illo Pij IIII. sup citato. In quibus, cum reuocētur facultates cuicumque, etiam Episcopo, aut Archiepiscopo concessæ, & quibuscumque alijs, excipiuntur Inquisitores, & á Sede Apostolica deputati. Illud tamen notandum est cum Pegn. in 2. p. Direct. Inquisit. com. 3. §. *Nihilominus.* fol. 91. etiã Cōmissarios institutos ab Inquisitoribus posse legere prædictos libros tali cōmisione durãte: cum eo ipso quòd ab Inquisitoribus instituuntur, à Sede Apostolica institui videantur.

Tertia conclusio: Qui habent libros hæreticorũ, & falsam doctrinã cōtinētes, quãuis non satisfaciant cōburēdo prędictos libros, sed Inquis. ciuitatis, in qua libri sunt, illos realiter, & cũ effectu tradere debeãt, nō tamē per hanc Bullam excommunicãtur. Prima pars probatur ex citato Breui Iulij III. in quo pręcipiēs vt libri præfati sub excommunicationis pœna nō habeantur, sic ait; *Inquisitorib⁹ hæretica* 4. 3. Cōclusio.

*hæreticæ prauitatis in ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi existunt, consignasse debeant realiter, & cũ effectu.* Hæc ibi. Vnde ad solos Inquisitores spectat prędictos libros & alios quoscumq; à Sede Apostolica reprobatos cõburere. Secunda pars ex eo est manifesta, quia in Bulla tantùm prohibetur retineri huiusmodi libros, cõburens auté nõ retinet.

5. Ad primum argumentũ respondetur, quamuis ea, quæ vt mala, & periculosa prohibẽtur, in se talia semper sint, cognitionẽ tamen eorum non esse intrinsecè malam. Nam, vt inquit. S. Iustinus martyr in epistola Zenæ, & Sereno fratribus missa, *Prodest scire conuersationes à ratione alienas, nequis improuiso studio in eas incidat.* Vnde lectio istorum librorum ex circunstãtijs licita reddi potest. Quãdo ergo persona talis est, quòd non timeatur periculum, imò & speretur fructus, concedenda est ei ad huiusmodi libros legendos facultas.

Ad secundum dicendũ est non opus esse Catholicis legere hæreticorum libros, vt in fide firmentur; esse tamen necessarium, vt hæretici conuincãtur. Est igitur hæc facultas non passim, sed ex causa viris doctis, & pijs cõcedẽda. Neq; hoc à Summo Pontifice prohibetur, qui solùm intendit non esse necessariã hæresum confutationẽ ad Catholicos in fide firmandos, sed ad hoc satis esse doctrinã in Concilijs traditã.

Ad tertium respondetur primó non semper cõsequi totum effectum, si libri hæreticorum in particulari comburãtur: cum aliquando sit expedens, vt hoc ad terrorem, & detestationem hæresum publicè fiat, & multoties necessarium, vt sciatur á quo tales libri deuulgati sint. Repondetur secundò ratione præcepti, & censuræ non satisfacere prædictos libros in particulari comburentem.

Ad vltimum dicendum est, verumquidem esse, qui posidet librũ hæreticorũ, non

non amittere dominium illius donec liber ab eo auferatur ( quod iuste fit à Summo Pontifice propter bonum fidei ) interim tamen tale dominium manere impeditum, ita vt de eo libro non possit ad libitum disponere.

## DISP. XVI.

### *Vtrum retinẽs librum hæreticum hæreticus, vel de hæresi suspectus iudicandus sit.*

1. QVod retinens librum hæreticum sit hæreticus iudicandus, & vt talis puniendus, tenẽt Archid. & Ioan. Fautu. in c. *Sanè*. 0. 2.24. quæst. 2. quos nõ nulli sequuntur, inter quos est Iacob. de Graff. lib. 4 decis. c. 18. num. 36.

2. 1. *Cõclusio.* Prima conclusio: Qui hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes scienter retinet, per hanc clausulam excommunicatur, nisi breuissimo tempore illos retineat. Prima huius conclusionis pars ex verbis Bullæ est manifesta. Secũdam tradunt Graff. citato loco, & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 5. num. 16. & ratio est, quia, vt de legentibus paucas lineas diximus disp. 13. conclus. 4. paruitas materiæ excusat á peccato mortali, sine quo excommunicatio non incurritur. Illi præfatos libros retinere dicũtur, qui eos oblata opportunitate ad Inquisitores nõ deferunt. Vt etiam aliquis libros retinere dicatur parũ refert ( Cut citati Doctores aduertunt ) an apud se, vel apud alios, an etiam nomine proprio, vel alieno eos habeat. Vnde & qui seruat librum ex his, qui hoc loco prohibẽtur, & qui illum apud aliũ deponit, excommunicatio nem huius canonis incurrunt: vterque enim istorũ librum dicitur retinere. Circa quod habetur etiam censura in Concilio Lateran. sub Leone. X. & in indice librorum prohibitorum

torũ. Illud tamen aduertẽdum est posse librũ apud se retinere, qui potest legere.

3\. 2. Cõclusio. Secunda conclusio: Ille in foro externo iudicãdus est hæreticus, apud quem liber hæreticus ab ipsomet cõpositus inuenitur. Hãc tenent Repert. Inquisit. verb. *Libri*. §. *Sed pone*. Ioan. de Rojas in Singul. fidei, Singul. 124. & Pegn. in 2. p. Direct. Inquisitorum comm. 3. §. *Horum tamen sententia*. & in hoc sensu explicari possunt authores initio citati. Probatur conclusio ex illo Luc. 19. *De ore tuo te iudico*. Et Matth. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et paucis interiectis, *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis cõdẽnaberis*; ergo qui cõponit, & retinet librũ hęreticum, hæreticus iudicandus est.

4\. 3. Cõclusio. Tertia conclusio: Qui retinet librum hæreticum ab alio compositum, iudicandus est de fide suspectus: magis, vel minus pro ratione circunstantiarum occurrentium. Prima pars huius conclusionis cõmunis est, & habetur in rescripto Pij IIII. incipiente, *Dominici gregis*, quod refert Pegn. vbi sup. §. *Sed alter casus*. Secundã partẽ tenet ipse Pegn. de qua tamen aliqualis controuersia est. Nihilominus ex eo suadetur, quia qualitas personæ, si sit perita, vel imperita, & qualitas etiã librorũ auget, vel minuit suspicionem.

## DISP. XVII.

## *Particulæ*, Imprimẽtes, & quomodolibet defendentes, *quæ ratione intelligendæ sint*.

Prima conclusio; Quicunq; scienter ad librorum hoc loco prohibitorũ impresſionẽ proximè cõcurrunt, per particulam, *Imprimentes*, excõmunicantur. Hæc conclusio cõmunis est. Quã tradunt Graff. lib. 4. decis. c. 18. num. 37. & Say. lib. 3. de cens. cap. 5. num 17. Omnes enim, qui immediatè, & proximè ad impresſionem concurrũt, propriè dicuntur impri- 1. 1. Cõclusio.

 mentes,

mentes. Hi ſunt patronus officinæ, facientes expenſas pro impreſsione, ordinantes, & componentes typos, ſic compoſitos typos atramento intingentes, torcularia prementes, chartam madefacientes, aut madefactam torculari ſupponentes, exemplar impreſſum, aut typos corrigentes: nam hi omnes per ſe ſunt cauſæ proximæ talis impreſsionis. Correctorem non excommunicari docet Vgolin. ad illud verbum, *Imprimentes*. §. 2. verſ. *Secundò*. Hoc tamen non placet, quia proximè ad impreſsioné concurrit.

2. 2. *Cõcluſio.* Secũda concluſio; Qui hæreticorum libros ſcribunt, vt imprimantur, excommunicãtur per particulam, *Imprimentes*. Qui verò alia de cauſa iniqua eos ſcribunt, excommunicãtur per particulam, *Fautores*. Prima pars huius cõcluſionis probatur ex eo, quia illi ad impreſsionem proximè concurrunt: imò magis concurrunt quàm typos corrigentes. Secũda pars etiam oſtenditur, quoniam qui iniqua de cauſa hęreticorũ libros ſcribũt, fauent hæreticis in ſuis erroribus, quia tamen imprimentes non dicuntur, per hanc particulam non excommunicantur. Quod de ſcribentibus in hac ſecunda parte diximus, intelligendum etiã volumus de vẽdẽte chartas, & atramẽtum, ſi ſciant emi ad imprimendos libros prædictos: imprimẽtes tamẽ dici non poſſũt. Ita Vg. verſ. *At quid.*

Contra ſecundam par- 3.
tem huius concluſionis argui poteſt ex cap. *Nouerit.* de ſent. excomm. vbi excõmunicantur ſcribentes ſtatuta contra Eccleſiaſticam libertatem edita. Et excõmunicatio huius capitis comprehendit modò impreſſores, qui eo tempore nondum prodierant: impreſſores enim loco ſcriptorum ſubſtituuntur; ergo etiam excõmunicatio cõtra impreſſores, ſcriptores comprehẽdet. Verùm neganda eſt conſequentia. Et ratio eſt, quia ſcriptorum

nomine

nomine intelliguntur impressores: nō verò impressorum nomine scriptores; nam qui imprimit, re vera scribit, qui autem scribit non dicitur imprimere.

4. 3. Cōclusio. Tertia conclusio; Qui publicè, vel occultè libros hic prohibitos defendit, per particulam, *Defensores*, excōmunicatur. Hæc habetur expressa in isto canone. Defēdere cēsentur, vt notat Sayr. num. 18. qui libros istos bonos esse affirmant, vel non esse comburēdos, vel permittēdos ob sentētiarum grauitatē, ob sermonis elegātiam, vel ob rerū, quę tractātur, ordinē, aut impediūt ne ab Inquisitoribus capiantur, & cōburātur. Nec opus est quòd credāt doctrinam illorum veram esse: nam qui hoc sibi persuadent, hæretici sunt, & per aliam particulam excommunicantur. Sed sufficit quòd disputationis gratia illos defendāt publicè, vel occulté, siue verbo, siue scripto, siue facto; vt particulæ, *Quomodolibet, ex quauis causa, publicè vel occultè*, ostendunt. Excommunicatur etiam, qui dicit se velle defendere prædictos libros, si defensionem aggressus est, vt si dicat, Qui vult contrarium asserere, huc veniat. Hoc enim est quomodolibet defendere. Non tamē excōmunicātur, si defēsionē non aggrediatur, vt dicit Vgol. ad illa verba, *Ac eorū quomodolibet defendētes.* vers. *Secundò excipitur*. Sed hoc tutū nō existimo propter verbū, *Quomodo libet.*

Duo tamē hic supersūt explicanda. Primū est, an particula, *Quomodolibet*, referatur ad quatuor illas personas ante illam relatas, videlicèt, *Legētes, Retinētes, Imprimentes, & Defendentes.* Referri ad omnes videtur innuere Tolet. in Sum. lib. 1. c. 19. §. *Sextū genus*. Dicēdum tamen est cū Say. vbi sup. tantū referri ad particulā, *Defendentes*, cum qua antecedenter cōiungitur. 5.

Secundū est, vtrum particulæ, *Publicè, vel occultè*, referātur ad omnes illos, de quibus in antecedentibus 6.

 loqui-

loquitur Sũmus Pontifex. Rebuff. quẽ citat, & sequitur Suar. de censf. disp. 21. sect. 2. n. 10. circa finẽ, asserit referri ad omnes: quia omnes illi tã hæretici, quã fautores. &c. siue publici, siue occulti sint excõmunicantur. Hæc sententia probabilis est. Nihilominus probabilius mihi videtur nõ referri nisi ad particulã, *Defendẽtes*, cũ qua cõiungitur. Voluit enim Sũmus Pontifex omnẽ librorũ hæreticorũ defensionẽ interdicere. Et ne aliquis existimaret disputationis gratia posse in occulto prædictos libros defendere, addidit; *Ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore.* Quòd si hæretici, fautores. &c. occulti ex cõmunicãtur, hoc nõ fit ex vi huius particulæ, sed ex eo, quòd aliæ antecedẽtes particulæ eos inuoluunt.

## DISP. XVIII.

### *Vtrum particula*, Schismaticos, *& sequẽtes rectè in hac clausula apponantur.*

1. PArs negatiua suadetur primò: Hæresis, & schisma nõ distinguuntur; ergo particula, *Shismaticos*, superflue additur, cũ schismatici per particulã, *Hæreticos*, excõmunicentur. Probatur antecedẽs ex c. *Inter hæresim*. 24. q. 3. vbi sic dicitur; *Nullũ schisma est, nisi sibi aliquã hæresim cõfingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Hæc ibi. Omnis etiã hæreticus est schismaticus; ergo hęresis, & schisma recurrũt. Et cõfirmatur; Schismaticus separat se ab Ecclesia: ergo facto illius vnitatẽ negat, quod quidẽ hęreticũ est, & cõtra articulũ fidei, *Vnam sanctam Ecclesiam.*

Secundó, quòd vltimæ particulæ, nimirum *Et eos qui se à nostra, & Romani Põtificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt*, etiam redundent, probatur: Vel particula, *Schismaticos*, dicit eos, qui se separant ab Ecclesia, quantùm ad vnitatem fidei, vel qui so-

lam

lam obedientiam negant Summo Pontifici. In primo sensu sunt hæretici, si in secundo accipiatur, absque necessitate adduntur particulæ, *Se subtrahunt, vel recedunt*; ergo frustra tales particulæ adduntur.

2. Pro resolutione huius difficultatis aduertendum est primò vocabulũ, *Schisma*, esseGræcum, quod Latinè scissura, vt ex Isidoro lib.8.Etym.cap.3.refert S. Th.2.2. q.39. art.1. Vnde peccatũ schismatis oppo. nitur vnitati, quam facit charitas; & quia vnitas principalis est vnitas Ecclesiæ, schismatici illi propriè dicuntur, qui se spõte ab vnitate Ecclesiæ separãt. Vnitas autem Ecclesiæ in duobus attenditur, vt citato loco docet. S. Th. scilicet in connexione seu cõmunicatione membrorũ Ecclesiæ ad inuicem, & in ordine membrorum omniũ ad vnum caput; ex quo apparet duo in schismate reperiri, tũ separationẽ á Romano Pontifice, qui in terris est caput Ecclesiæ, tum etiã separationẽ á mẽbris Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ mẽbra sunt. Datur etiã schisma, quãdo sciẽter receditur à Cõcilio authoritate Sũmi Põtificis legitimè cõgregato, cũ per hoc etiã fiat separatio à capite. Emm.in explic.Bul.Cruc. §.9.dub.6.nu.76.

Aduertendũ est secũdò vnitatẽ Ecclesiæ primò, & per se cõsistere in vnitate fidei, omniũ enim credentiũ fides vna est, quasi verò secundariò in obedientia, qua omnes habẽtes fidem vni Romano Põtifici subdũtur, eiq; obediũt. Ex qua distinctione sequitur schismaticũ esse dupliciter cõtingere: primò, per separationem ab vnitate fidei, & qui sic se separat, hęreticus est; secũdò, per separationẽ ab obedientia Romani Põtificis. Quod etiã duob' modis eueniet: vno cõstituẽdo aliud caput, negandoq; Romanũ Pontificẽ esse totius Ecclesiæ caput vniuersale; vt faciunt Græci, & in hoc casu datur hęresis formalis; altero nõ inficiando 3.

quidem internè Romanũ Pontificem caput esse Ecclesię; verùm externé aliũ Pontificem instituendo, præter illum, quem verè electum, & indubitatum esse constat; & qui hoc faciunt hæretici non sunt, dicuntur tamen quasi per antonomasiam schismatici, de quibus in cap. *Licèt.* de electione. Alij etiam dicuntur schismatici, non quia diuersum eligunt Põtificem, sed quia à schismaticis electum sequuntur.

Suares decens. disp. 21. sect. 2. num. 12. dicit per schismaticos hoc loco intelligi eos, qui per antonomasiam schismatici dicũtur. Sed quia (inquit) non tantùm isto modo committitur schisma, sed etiam quoties à Romano Pontifice receditur, de huiusmodi schismaticis intelliguntur verba sequentia.

4. 1. *Cõclusio.* Prima conclusio: Schismatici, qui hæretici non sunt, excommunicantur per particulam, *Schismaticos*. Hanc conclusionem tenet Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 19. §. *Decimum genus.* Et probatur: Schismatici, qui á fide separantur, & negant Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ, manifestè excommunicãtur per particulam, *Hæreticos*. Nec alia ad maiorem explicationem necessaria erat, & si maioris explicationis gratia apponeretur, esset iuxta particulam, *Hæreticos*, apponenda, iuxta quã apposita est illa, *Apostatas*, quæ maioris explicationis gratia est addita, vt supra diximus; ergo per hanc particulam solùm excommunicantur schismatici, vt ab hæreticis distinguuntur. Hi sunt, qui aliũ Pontificem à vero Romano eligunt, & ipse electus: item negantes Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, siue verbo, siue facto id negent, dummodo mẽte id sibi nõ persuadeant. Quando hoc negatur verbo, manifesté apparet. Tũc negatur facto, quando aliquis in terris infidelium, & hæreticorum viuens, in spiritualibus, & ad Romanum

num Pontificem tantùm ſpectantibus nō ad ipſum, ſed ad Regem, vel poteſtatem ſæcularem recurrunt, aut ſi cum fidelibus nolint conuerſari, eo quòd Romano Pontifici, ſubijciuntur.

5. 2. Cōclusio. Secunda concluſio: Per particulas, *Se ſubtrahunt, vel recedunt*, excōmunicantur qui ab obediētia Romani Pontificis, aut à Cōcilij generalis mādato pertinaciter ſeparātur. Probatur: Hæ particulæ nō ſunt explicatio illius præcedentis, *Schiſmaticos*, vt patet ex illis verbis, *Et eos. &c.* quæ verba oſtēdunt diſtinctionem perſonarum: ſed non ſunt aliæ perſonæ, quibus verba illa poſsint accommodari, præter nominatas; ergo hæ ſpecialiter hoc loco excommunicantur. Hæ ſunt, quæ ſcientes aliquod mandatum eſſe Romani Pontificis, obedire nolunt, ſiue maneant in terris in quibus ipſe Pontifex, vt Pontifex ſupremus cognoſcitur, ſiue ad alias declinent, dummodo fateantur ipſum verè eſſe caput Eccleſiæ: itaque ſi quis pertinaciter nolit obedire mandato Pontificis, ab eiuſq; iuriſdictione recedat, recuſando obediētiam debitam, erit excommunicatus per hanc vltimam particulam: & ille etiam qui in nullo vult obedire: aut qui ideo non obedit, quia à Summo Pōtifice res præcipitur.

Ex dictis patet per primam particulam excommunicati ſchiſmaticos, qui hæretici non ſunt: per alias verò recedentes á Summo Pontifice per inobedientiam pertinacem, dummodo propriè ſchiſmatici non ſint. Nam inobedientia cum pertinacia, ſuperius quid eſt ad ſchiſma, omnis enim ſchiſmaticus inobediens eſt, non tamen é conuerſo. Vnde non placet explicatio Suares, quia per vltimas particulas non ſchiſmatici, ſed inobedientes excommunicantur. Nam verbum, *Schiſmaticos*, propriè ſumptum tam eos, qui per an- 6.

tonomasiã schismatici dicuntur, quàm alios cõprehendit.

7. Dicet verò aliquis ex doctrina huius cõclusionis sequi, quotiescumque aliquis incurrit excõmunicationem à Summo Põtifice latam, excõmunicari etiã per hanc clausulam, cum veré inobediens sit Sũmo Pontifici. Negatur tamen sequella, quoniã subtractio de qua hoc loco sermo est, non intelligitur de quacũque inobediẽtia, sed de illa qua quis absolutè intendẽdo ipsam inobedientiam, & subtractionẽ á Romano capite separatur, vt colligitur ex S. Th. vbi supra, ad 1. Nam inobedientia, quę inuenitur in excõmunicatione, non est per se intenta à peccãte, sed accidit ex inordinata conuersione ab bonum speciale.

8. Ad primũ argumẽtum negatur antecedẽs: & ad probationem cõcedimus omnẽ hæreticũ esse schismaticũ, cũ ab vnitate Ecclesiæ separetur, nõ tamen omnem schismaticum esse hæreticũ, quia non omnes fidem negãt, sed ex aliqua praua affectione á capite Ecclesiæ recedunt. Ad c. *Inter hæresim*, respõdetur, in eo quòd dicit nullum esse schisma sine hæresi, esse intelligendũ regulariter, nã ibi ponitur distinctio inter hæresim, & schisma, distinctio autẽ, vt docet. S. Th. in solut. ad 3. attenditur secũdũ ea, quibus vtrumq; per se, & directè opponitur, hęresis autẽ per se opponitur fidei, schisma verò vnitati Ecclesiasticę charitatis.

Ad confirmationẽ respondetur schismaticũ, de quo hoc loco sermo est, nõ separari ab vnitate Ecclesię secundũ fidem, sed secũdũ obedientiam. Qui tamen facto videtur negare vnitatem Ecclesiæ, seu Romanũ Põtificem esse caput illius, de fide redditur suspectus: est namq; schisma via ad hæresim, sicut amissio charitatis ad amissionem fidei, vt proximè citato loco docet. S. Tho. Et hinc est, quód, quando schismaticus ad Ecclesiæ reuertitur 9.

vni-

vnitatem, non solùm abiurat schisma, sed etiam suspitionem hæresis ex schismate contractam, vt tradit Pegn. Direct. Inquisit. p. 2. quæst. 48. com. 73.

Ad secundum patet solutio ex dictis; accipitur enim schisma pro separatione ab vno Ecclesiæ capite, fide tamen retenta. Et quamuis omnes schismatici sint inobedientes, non omnes inobedientes sunt schismatici.

## DISP. XIX.

### *Vtrum schismatici externi, schismaticorumq́; fautores, defensores, & receptatores hoc loco excommunicētur.*

1. PARS negatiua huius quæstionis suadetur primò; Hæretici externi nō incidunt in excommunicationem contra hæreticos latam, vt disp. 5. probauimus; ergo neque schismatici externi. Et confirmatur; Sine actu voluntatis non datur peccatum; eatenus enim aliqua actio peccaminosa est, quatenus est voluntaria: sed schismaticus purè externus non habet animū separandi se á capite Ecclesiæ; ergo nō peccat peccato schismatis, atque adeò excomunicationem contra schismaticos latam non incurrit.

2. Secundó, quòd fautores, defensores, & receptatores schismaticorum excommunicētur, probatur: Vbi est eadem ratio legis, licitum est legem extendere; sed eadem est ratio de fautoribus. &c. schismaticorum, ac de fautoribus. &c. hæreticorum: ergo cum isti excomunicentur, excommunicabūtur & illi. Maior probatur ex cap. *Siquis suadente.* 17. q. 4. vbi excommunicātur percutiētes Monachos & Clericos, quod extenditur ad percutientes nouitios, & conuersos ex c. 2. de apostatis, in quo soli acolytho

acolytho rebaptizanti irregularitas imponitur, quæ tamen ad omnes ordinatos extenditur ex cap. 1. de maledicis, vbi de solis Clericis sermo est, & nihilominus ad laicos extenditur.

3. Tertio ad idem: Participans cum excõmunicato in crimine criminoso excommunicatur; sed fautores, defensores, & receptatores schismaticorum participant cum illis in crimine criminoso; ergo pariter excommunicantur. Maior habetur in c. *Nuper.* & c. *Si concubinæ* de senten. excommun. estque communis Theologorum, & Iuristarum sentẽtia, quam etiam tradit. S. Thom. in Addit. ad 3. p. q. 23. artic. 2. Minor est etiã certa, quoniã qui fauorẽ pręstat schismatico, vt schismatico, participat cum illo in schismate, atque adeò excommunicationem Summo Pontifici reseruatam incurrit, vt constat ex dicto c. *Nuper.*

4. Pro resolutione huius dubij aduertendum est cũ Nauar. in Manu. cap. 27. num. 32. & 112. & Sayr. lib. 2. de censf. c. 15. num. 16. & alijs communiter, participare cum excommunicato in crimine criminoso, seu in crimine, propter quod excommunicatur, tripliciter cõtingere: primò ante perpetrationem criminis consulendo, vel fauorem præstando: secũdò in ipso perpetrationis actu adiuuando: tertiò post crimen perpetratum, & excommunicationem incursam.

Hoc posito sit prima cõclusio: Schismatici purè externi verè, & propriè excõmunicantur per particulam, *Schismaticos.* Hanc tenet Suares de cens. dis. 21. sect. 2. num. 13. Et probatur: Ad peccatum schismatis satis est actio externa, qua quis separatur à Romano Pontifice Ecclesiæ capite, procedens à voluntate talem actionem exercendi; in hoc enim distinguitur schismaticus hæręticus ab eo, qui hæreticus 5 *1. Cõclusio.*

ticus non est, quòd ille credit Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ, & quód intellectu credit voluntate amplectitur; hic verò cum sciat Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, ab eo externo actu separatur, ac si Ecclesiæ caput non esset: ergo cum hoc loco excommunicentur schismatici, & schismatici externi veré, & propriè tales sint, censuram huius canonis non effugiunt. Ex quo sequitur Catholicos, qui in terris hæreticorum viuunt, vt in Anglia, esse verè schismaticos excommunicatosque per hanc Bullam, si ad Regem vt ad supremum caput in spiritualibus recurrant, quantumcumque fictè accedãt, ipsum tale caput non esse credentes.

6. Secunda cõclusio; Fautores, defensores, & receptatores schismaticorum non excommunicantur per se, & directé per hunc canonem. Probatur: Quotiescumque fertur censura contra aliquid facientes, non comprehendit consentientes, mandantes, & auxilum præstantes, nisi ex ipsa expressé, vel tacité id deducatur: sed censura huius canonis fertur in schismaticos, neque est aliquid in ea, ex quo colligi posit comprehẽdi fautores, &c. ergo non excommunicantur per se directè ex vi huius canonis. Maiorem docent Caiet. in Summ. verb. *Excomm.* cap. 1. Sylu. verb. *Excommun.* 10. dub. 4. vers. *Tertiũ.* Tabien. verb. *Excõmunic.* 5. casu. 49. num. 5. & Nauar. in Manu. c. 27. nu. 51. pœna enim restringenda est, & non extendenda ad nomen interpretatiuũ; maximè quia cum lex cõprehendit consulentes, & auxilium præstantes, id explicat, vt patet in multis legibus, & etiam in clausulis huius Bullæ, vt in progressu apparebit. Minor videtur manifesta, quia hoc loco nulla est particula, qua schismaticorũ fautores expressé, vel tacitè declarẽtur; imò ex eo quód in hac clausula exprimuntur

tur hæreticorum fautores, non veró qui schismaticis fauent, videtur Summus Pontifex noluisse eos excommunicare.

7. Cōclu. Tertia conclusio; Qui schismatico denuntiato post incursam excommunicationem fauorem præstant in causa schismatis, ipsumque receptant, & defendunt, eandem excommunicationem Summo Pōtifici reseruatam incurrunt. Colligitur hæc conclusio ex cap. *Nuper.* supra citato: vbi dicitur eandem excommunicationem incurrere participantes in crimine criminoso cum excommunicato denūtiato, cum eâdem reseruatione: sed receptatores. &c. schismaticorum, post incursam excommunicatio nem, & denuntiationem factam, participant cum illis in crimine criminoso; ergo. &c. Dixi, *Post denuntiationem.* quia quantumcū que aliquis excommunicetur, si denuntiatus non sit, non incurrit excōmunicationem qui cum illo etiam in crimine criminoso participat, post Extrau. *Ad euitanda.* nam ante illā sufficiebat notitia excommunicationis, nunc autem sicut non tenemur vitare excommunicatum nisi nominatum, aut publicum Clerici percussorem, sic etiam participando cum illo, si denuntiatus non sit, aut publicus Clerici percussor, non excommunicatur. Ita Nauar. vbi sup. nu. 112. & Suares de cens. disp. 17. sect. 2. num. 5. Dixi etiam, *Post incursam excommunicationem,* quia vt notāt præfati Doctores, si ante crimen patratum, vel in ipso actu, quo cōmittitur, & excommunicatio incurritur, aliquis cum illo participet, non per hoc excōmunicatur.

Ad primum argumentū initio factum neganda est consequentia: est enim diuersa ratio de hæresi, ac de schismate, quia ad hęresim requiritur, præter actū externum, assensus in intellectu, cum sit error, qui absque eo dari non potest, 8.

ad

ad schisma autē hoc necessarium non est. Nam, quia schisma est separatio à capite Ecclesiæ, sufficienter actu externo cōpletur. Ad confirmationem negatur minor; nam licét schismaticus interné amplectatur verum Ecclesiæ caput, externè ab eo separatur: quod nō fit sine actu voluntatis, quo externé separari velit.

9. Ad secundum dicēdum est maiorem veram nō esse vniuersaliter quando lex est pœnalis, quia in illa regulariter non fit extensio ex identitate rationis, vt habetur c. *Pæna*. de pœnit. dist. 1. & glos. in c. *In pœnis*. de regul. iur. in 6. Ad probationem decendum est omnes illas extēsiones per alias leges declarari, quod si non fieret, nequaquam forent admittendæ. Nam extensio illa c. *Si quis suadēte*. habetur in c. *Non dubiū*. de sent. excom. & in c. *Religioso*. eod. tit in 6. Ad. c. 2. de apostatis, respondetur primò cum Tolet. in Sum. lib. 1 c. 64. caput illud non extendi ad ordinatos alijs ordinibus: quòd si ipsi manēt irregulares ex eo quòd rebaptizant, hoc ex notoreitate criminis prouenit. Respondetur secundò, in eodē capite virtualiter illā extensionem contineri, eo quód acolytho nō imponitur irregularitas ratione talis ordinis præcisé, sed propter iniuriam ab ordinato irrogatā Sacramento, quæ proculdubio ab ordinato maioribus ordinibus maior infertur. Idem dicendum est ad cap. 1. de maled. in eo contineri etiam extensionem, vt patet ex illis verbis eiusdem cap. *Vt pœna illius alijs terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant*.

Ad tertium patet solutio ex dictis: vt enim aliquis excommunicetur propter partipationem cum excōmunicato, necesse est vt ipse denuntiatus sit aut publicus Clerici percussor, quales non sunt, qui Bullæ huius cēsuras incurrunt.

CAP.

# CAP. III.

## De secunda excommunicatione Bullæ contra appellantes à mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium generale.

### TENOR BVLLÆ.

. *Bullæ* *cœnæ* *censura.* Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscũque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates veró, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

### Notationes circa Textum.

1. Materia huius cẽsuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommun.* c. 25. est sacrilegium contra Romani Pontificis primatum. Actio principalis hoc loco prohibita, est appellare ab ordinationibus, seu mandatis Romani Ponticis ad futurum generale Concilium. Accessoriæ sunt duæ: prima dare auxilium, secunda dare fauorẽ.

2. Circa appellantes ad vniuersale futurum Concilium illud aduertendum est,

est pro diuersitate appellantium diuersam imponi pœnam: nam si sint personæ veræ cuiuscumque status, gradus, seu conditionis, excommunicantur. Si veró sint Vniuersitates, Collegia, & Capitula, interdicuntur, quia excommunicari non possunt. c. *Romana*. de senten. excom. in 6. non tamen ligantur hac censura appellantes á Concilio generali ad Sũmum Pontificem cum de hac re nulla in hoc decreto mentio fiat.

3. Circa particulam, *Mandatis*, sciendum est per eam excommunicari appellantes à sententia Summi Põtificis ad futurum generale Concilium; quia omnis sententia mandatum, & præceptum quoddam est, vt tradit Azo in Summ. C. quo, & qua. iud. sen. pro fer. debet, atque adeo sub particula, *Mandatis*, comprehenduntur sententiæ. Quod si in Bulla Gregor. XIII. quam exponit Nau. additur expresse particula, *Sententijs*, id ad maiorem explicationem fuisse factum credendum est.

## DISP. XX.

### *Vtrum omnes appellantes à Summo Pontifice ad vniuersale futurum Concilium excommunicentur.*

Parti negatiuæ fauent omnes, qui arbitrantur Concilium esse supra Papam, vt Gersõ, & Almayn. in tract. de potestate Papæ, Abulen. in 18. ca. Matt. q. 108. & alij. Ex quorum sententia arguitur primo; Vnicuique licitum est ad superiorem appellare, sed Concilium est superius Summo Pontifice; ergo ex rationabili causa á mandatis illius ad Concilium per apellationem recurrere licet. Probatur minor primo; quia Marcellinus depositus fuit in Concilio Sinuessano, Liberius ab Imperatore, & postea ab eodem in suam Sedem restitutus 1.

titutus iubente, vt simul cum Felice Romæ Ecclesiam regeret: quod idem iussit Concilium Syrmiense. Secundò, quia sententiam Miltiadis Papæ iudicauit postea Episcopus Arelatēsis. Epistolam etiā S. Leonis in Concilio Chalcedonensi multi Episcopi examinarunt. Tertiò in Concilio Constantiensi sess. 4. definitur Conciliū generale habere immediatam authoritatem á Deo, cui omnes obedire tenentur, etiam si Papalis dignitas existat, cuius Concilij decreta cōfirmauit postea Martinus V. Concilium item esse supra Papam definitur in Concilio Basileensi sess. 33. Quartò probatur eadem minor ratione; Summus Pontifex est membrum Ecclesiæ, imò & frater noster, vnde, *Pater noster*, tenetur dicere nobiscum, atque adeò, si peccauerit debet corrigi ab Ecclesia, aliàs enim maneret Ecclesia sine remedio; ergo non est superior, imò minor suo toto. Accedit, quia, si quis non audierit Papam, ipse de eo debet dicere Ecclesiæ.

2. Secundò; Summus Pōtifex in ijs, quæ non pertinent ad fidem, & doctrinā vniuersalem totius Ecclesiæ, potest errare, vt cōmuniter Doctores affirmant; ergo potest contra aliquem ferre iniustam sententiam manifestè; ergo ab illa potest appellari, est enim appellatio de iure naturæ; sed non ad alium quàm ad futurum Concilium generale; ergo. &c. Et confirmatur; Vnusquisque poterit se defendere ab iniuria á Summo Pontifice sibi illata; sed appellatio est quidam modus licitus defensionis; ergo licitum est appellare à Summo Pontifice.

3. 1. Cōclusio. Pro resolutione sit prima cōclusio; Quicumque ab ordinationibus, mandatis, vel sententijs indubitati Pontificis Romani ad futurum vniuersale Concilium appellauerit, siue prædicta sint indubitatæ, siue dubiæ iustitiæ, per hūc canonem

canonem excommunicatur. Hæc conclusio cõmunis est. Cuius prima pars ex ipsa Bulla est manifesta. Secunda probatur; In rebus dubijs potest Summus Pontifex ex causa eligere vnam partem, vt patet de contractu Montis pietatis; sed in casu conclusionis datur res dubia, & iusta causa interdicendi talem appellationem sub cẽsura; ergo qui in eo casu appellat, excommunicatur.

4. 2. *Cõclusio.* Secũda conclusio; Qui à sententia, vel mandato iniusto Summi Pontificis indubitati ad futurum generale Concilium appellat, per hanc clausulam excommunicatur. Probatur; Appellatio fit ad superiorem; sed in ijs, quæ ad Ecclesiam pertinent, Summus Pontifex est superior; ergo ab illo appellari non potest: ergo non solùm de appellatione à mandato iusto Summi Pontificis, sed etiam ab iniusto intelligitur huius canonis prohibitio. Probatur minor; Ecclesia Christi est vna familia, & vnus grex, licét dispersa videatur, sed Summus Pontifex est pastor, & caput Ecclesiæ; ergo non solùm est vnum caput, sed etiam est caput Ecclesiæ non diuisim tantùm, sed collectim. Confirmatur eadem min. ex illo Ioan. vltim. *Pasce oues meas,* vbi pastor totius Ecclesiæ formaliter congregatæ, & vnitæ Papa constituitur: nam dicitur in oratione de Pontifice; *Deus omnium fidelium pastor, & rector famulum tuum. N, quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. &c.* Probatur deinde; Papa est vnum caput; ergo vnius corporis; sed Ecclesia diuisim secundùm diuersas Ecclesias non est vnum corpus; ergo est caput Ecclesiæ vniuersalis. Esse autem supra Concilium ex eo patet, quia cum sit caput, toti corpori præest: idemque definitur in multis Concilijs, & capitibus iuris relatis á Bellarmin. tom. 1. controuers. 4. lib. 2, á cap. 13. vsque ad 19.

Confirmatur tandem: Si Christus Dominus æqualiter faceret Apostolos Ecclesiæ rectores, non interrogaret solùm Petrum, an ipsum plus alijs diligeret, sed æqualiter interrogaret omnes propter æqualem Ecclesiarum traditionem faciendam; sed Petrum tantùm interrogauit; ergo illum solùm Ecclesiæ vniuersali pastorem præfecit.

5. Secundò probatur conclusio; Qui á Summo Pontifice appellat, aliud caput, seu alium superiorem constituit; hoc autem inducit suspicionem contra fidem; ergo quanuis Summi Pontificis mandatum, & sententia iniusta sit, ab ea appellari non licét, atque adeò iustè prohibetur, cum etiam schismatis occasionem præbeat. Et confirmatur, quia appellatio hæc est quædam palliata rebellio, & speciē quandam schismatis continet. Vnde Iulius II. in Extrauagant. *Suscepti regiminis.* post Pium II. præcepit vt tales habeantur tanquam schismatici, & de fide male sentientes, vt dicunt Syluest. verb. *Excommun.* 7. num. 93. Tabien. verb. *Excommun.* 7. Caietan. verb. *Excommun.* cap.25.Mart.Ledesm.2.4. quæst.26.art.2.fol.358.col.2.& alij.

6. 3. Cōclusio. Tertia conclusio; Qui à sententia, vel ordinatione dubij Pontificis appellat ad futurum generale Concilium, hoc loco non excommunicatur. Probatur: Tempore schismatis quando est dubium an aliquis sit verus Papa, ad Cōciliū spectat id determinare; ergo etiā causas decidere, quæ á dubio Pontifice iniustè, vel etiam dubié fuerunt decisæ.

Ad primum argumen. negatur minor, & ad probationem primam dicendum est Marcellinum cessisse Pontificatui, & postea damnatum fuisse: nam antequam ipse cessisset omnes Episcopi clamabant, *Prima Sedes à nemine iudicabitur, tu reus, tu iudex, noli*

*noli à nobis iudicari.* De Liberio dicendum eſt depoſitum fuiſſe ab Imperatore Ariano, nec Concilium Syrmienſe illud iuſsit, quod in argumento adducitur, ſed ſolùm petijt á Felice, vt ſimul cum Liberio gubernaret. Ad ſecundam probationem reſpondetur cauſam illam non fuiſſe iudicatam quaſi id opus eſſet, ſed quia Imperator Donatiſtis tale iudiciũ petentibus acquieſcere voluit. De epiſtola S. Leonis dicendum eſt non fuiſſe miſſam ad Concilium vt continentem definitiuam ſententiam, ſed inſtructionem, qua adiuti Epiſcopi meliùs iudicarẽt; poſtquam autem res fuit ab omnibus approbata, edita eſt definitio nomine Pontificis. Ad tertiam pro-
7. bationem reſpondetur Cõcilium Conſtantienſe non definire abſoluté Conciliũ eſſe ſupra Papam, ſed ſolùm tempore ſchiſmatis, quando neſcitur qui ſit verus Papa. De Concilio Baſileenſi dicẽdum eſt fuiſſe quidem legitimè congregatum, non tamen legitimè terminatum: vnde licèt confirmata ſint, quæ ibi circa beneficia Eccleſiaſtica, & cenſuras geſta ſunt, non tamen quantum ad illud, quòd aſſerit Concilium eſſe ſupra Papam, imò id à multis Summis Pontificibus reprobatum fuit.

Ad rationem, quæ vltimo loco additur reſpondetur Summum Pontificem eſſe quidem membrum Eccleſiæ, ſed præcipuum, quale eſt caput: fratrem etiam, quatenus vnius Dei omnes ſumus filij, quod tamen non tollit præeminentiam ſtatus, ſicut primogenitus frater eſt, nihilominus ad alios fratres ſuperior. Ad conſequentiam dicendum eſt, ſi Eccleſia accipiatur ſeparata à capite, non eſſe totum, ſed partem: ſi verò cum capite, eſſe quidem maiorẽ magnitudine molis, non verò magnitudine virtutis, neque enim potentia agẽdi in Eccleſia

est vt in corpore naturali,
cuius virtus principaliter
est in toto, cum corpus na
turale ex se habeat virtutē
ab essentia dimanantem,
Ecclesia verò ab extrin.
seco habet potentiam, ni-
mirum á Christo Domino.
Ad illud, quod additur
Ecclesiam peccante Pon-
tifice manere sine huma-
no remedio, respondetur
id nō esse mirum, cum ipsa
non in humana industria,
sed diuina nitatur, vnde
in tali casu Deus Ecclesiæ
suæ prouidebit. Si tamen
Pontifex Ecclesiam velit
destruere, poterunt fideles
ei resistere. Ad illud, quod
vltimo loco dicitur de cor-
rectione fraterna, dicen-
dum est verificari quando,
si aliquis Summum Ponti-
ficem non audierit, ipse vl-
teriùs procedat dicendo
Ecclesiæ, idest sibi vt præ-
sidi, pastori, & capiti, illūq;
publicé excommunicādo.

10. Aliter etiam ad hoc arg.
responderi potest, admit-
tendo maiorem, quando
non datur iusta causa im-
pediendi appellationem,
quæ aliàs esset de iure na-
turæ, vt contingit in pro-
posito. Vnde, licèt mino-
rem admittamus, quantū-
cumq; falsa sit, nō valet cō-
sequentia, quia iustè talis
appellatio impeditur. Pro
intelligentia huius solutio-
nis supponendum est ex
communi Theologorum
doctrina, quando in aliquo
casu commune, & particu-
lare bonum concurrunt,
commune bonum præpō-
derare, atq; adeo personam
particularem, cuius bonū
in tali cōcurrentia pericli-
tatur, ex charitate teneri
potiùs cōmuni bono, quā
suo particulari consulere.

Supponendum est se- 11.
cundò ex eâdem commu-
ni sententia, posse superio-
rem obligare subditum in
tali casu ad actum virtutis,
quando bono communi
valde expediens est, &
maximè cū ad talem actū
exercēdū subditos ex præ-
cepto charitatis obligatur.

Supponēdum est tertió 12.
ex appellatione á manda-
to, vel sententia Summi
Pōtificis ad futurum gene-
rale

rale Concilium sequi maxima inconuenientia, & scandala, vt constat ex appellatione facta à Parisiensibus, qua á Concilio Lateranensi tertio sub Leone X. ad futurum Concilium appellarunt, vt refert Bann. 2. 2. quæs. 1. artic. 10. dub. 2. §. *Prætereà tertiò*: fuit enim talis appellatio initium multarum hæresum.

13. His positis dicendum est cùm appellare à mandatis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium regulariter sit maximè perniciosum Reipublicæ Christianæ, imò in maximum fidei detrimentum cedat, non fieri tales appellationes præponderare cuicunque bono siue particulari, siue cõmuni alicuius regni, vel prouinciæ, quod totius Ecclesiæ respectu semper particulare censetur. Vnde iusta de causa sub tanta censura potuit, & debuit Summus Pontifex prædictas appellationes interdicere. Et quia hæc inconuenientia non sic ex appellatione ad præsens Concilium sequuntur, ex hoc loco non prohibetur. Quanuis igitur de iure naturæ sit appellatio ad superiorem, & admittamus Cõcilium esse supra Papam, licèt hoc falsum omnino sit, iusté talis appellatio impediri potuit á Summo Põtifice, cum simul cõcurrat aliud ius naturæ magis obligatorium, videlicet conseruatio boni communis Reipublicæ Christianæ, & fidei, quo concurrente aliud cessat, est enim affirmatiuum debitas respiciẽs circunstantias. Confirmatur, quoniã aliquãdo in iure interdicitur appellatio, vt habetur l. 2. ff. de appell. recip. & l. *Ante sentẽtiã tẽpus.* C. quo. appell. non reci. & in l. *Apertissimi.* C. de iudi. & notatur in c. *Cum sit Romana.* §. *Si verò*. & c. *Bonæ.* de appellat. & in cap. 1. eod. titul. Princeps etiam potest appellationem interdicere, vt probat Couarru. pract. quæs. cap. 23 num. 6. 14.

Contra hoc tamen argui poteſt: Appellâre ad ſuperiorem eſt de iure naturæ; ergo ſi admittamus Concilium eſſe ſupra Papam, ad illud licet appellare; ergo etiam ad Conciliū futurum, cum ſimiliter ſit ſupra Papam. Probatur conſequētia. Quæ ſunt de iure naturæ in aliquo ſaltem caſu ſunt licita; ergo ad Concilium futurum aliquando licitum eſt appellare. Reſpondendum tamen eſt verificari hoc de Cōcilio abſolutè ſumpto, non verò de Concilio futuro, quia, cum ſemper inde ſequātur incōueniētia; non eſt de iure naturæ ad illud appellare ſub ratione futuri. Et fortè (in ſententia, licet falſa, quæ Concilium facit ſupra Papam) ob hanc cauſam appellare ad Cōcilium præſens hoc loco non interdicitur.

15. Ad ſecundum argumēt. dicendum eſt ideo non licere à Summo Pontifice, etiam iniuſtam ferēte ſententiam, appellare, quia nō habet in terris ſuperiorem. Ad Conf. negatur conſeq. eàdē de cauſa, nā reſpectu Summi Pontificis, qui ſuperiorem non ágnoſcit in terra, appellatio nō habet rationem iuſtæ defenſionis.

## DISP. XXI.

### *Vtrum appellātes ad Concilium generale præſens, vel ad prouinciale futurum hoc loco excommunicētur.*

PArs affirmatiua, quam tenet Vgol. hoc loco §.1. verſ. *Quintò*, ex eo ſuaderi poteſt, quia materia excommunicationis eſt ſacrilegium contra Sedis Apoſtolicæ primatum, vt ex Caiet. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 25. diximus ſed tám ſacrilegi ſunt contra primatum Sedis Apoſtolicæ appellantes ad futurum generale Conciliū, quàm qui ad præſens, vel ad prouinciale ſiue præſens, 1.

sens, siue futurum appellant: ergo eodem modo per hanc clausulam excōmunicantur. Et confirmatur, tū quia vtraque appellatio est occasio schismatis, tum etiam, quia vtraque videtur Concilium constituere supra Papam.

2. Cōclusio. Sit tamē conclusio; Appellantes ad Concilium generale præsens, vel ad prouinciale siue præsens, siue futurum hoc loco non excommunicari probabilius est. Hanc tenent Graf. lib. 4. decis. c. 18. num. 45. & 46. Et probatur; Lex pœnalis non excedit proprium casum; sed pœnalis est ista lex, & non loquitur nisi de appellantibus ad futurum generale Concilium; ergo non est extendenda ad appellantes ad generale præsens, vel ad prouinciale siue præsens, siue futurum.

Ad argum. in contrariū, concessa mai. & min. negāda est consequentia, licèt enim in quauis illarum appellationum detur sacrilegium contra Sedis Apostolicæ primatum quoad substantiam actus, non tamen datur quoad circunstantias: nec hoc loco excommunicatur omne sacrilegium cōtra primatum Ecclesiæ, sed illud, quod fit per appellationem ad futurum generale Conciliū.

Ad confir. respondetur primò, quanuis vtraque appellatio possit esse schismatis occasio, & videatur Concilium supra Papam constituere, Summum tamen Pontificē solùm fuisse locutum de appellatione ad futurum Cōcilium, quia frequentius in praxi euenire potest. Respondetur secundò non esse eandem rationem de appellātibus ad futurum Concilium, & ad præsens, quia appellans ad Concilium futurum generale manifestè dat occasionem schismati, conuocando Concilium contra Summum Pontificem; qui autem ad præsens Concilium appellat, non conuocat Concilium contra Papam, sed ad illud, quod illius authoritate congrega-

tum erat, recurrit. Congregare autem Cōcilium prouinciale, quãuis posſit eſſe ſchiſmatis occaſio, eſt tamen valde remota, cū non verſetur in opinione an Concilium prouinciale ſit ſupra Papam, quod de generali, quanuis falſó nonnulli dixerunt, & nunc Pariſienſes defendunt. Non
3. negamus tamen huiuſmodi appellantes eſſe de fide ſuſpectos, cum Romanum Pontif. eſſe caput vniuerſale totius Eccleſiæ videãtur negare.

## DISP. XXII.

### *Vtrum dantes auxiliũ ad appellandum ad futurum generale Cõcilium, & illi, ex quorum confidẽtia aliquis ad illud appellat, cenſuram huius canonis incurrant.*

1. *Cõclu* PRima concluſio; Dãtes auxilium, vel fauorem ad appellandum, appellatione non ſecuta, non excommunicantur. Hanc concluſionem tenet Nau. in Manu. cap. 27. num. 58. Viual. in Candel. in explan. Bullæ Cœnæ. nu. 19. Graff. lib. 4. decis. c. 18. n. 47. Say. lib. 3. de cenſ. c. 6. num. 6. Vgol. hoc loco ad illa verba. *Nec non eos.* verſ. *Quoad tertiam*. & Suares de cens. diſp. 21. ſect. 2. nu. 16. Et probatur primò ex verbis Bullæ, *Nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatũ fuerit.* Quibus manifeſtè oſtendit Summus Pontifex ſe nõ excõmunicare dantes auxilium, niſi appellatio ſequatur: nam verbum, *Appellatum fuerit*, dicit actum appellationis ſecutum, cum ſit præteritum perfectum, arg. eorum, quæ dicit gloſſ. in c. *Quicũque.* §. 1. in verb. *Innodetur.* de hæret. in 6. Deinde; Quando excommunicatio non fertur per ſe in propriam actionẽ, vt ſic, ſed ſolùm vt cooperatricem, vel adiutricem alterius, tunc ad incurrendam excommunicationẽ non

non sufficit actio dãtis auxiliũ fauoremuè, nisi actio, vel effectus principalis sequatur: sed excommunicatio per se fertur in appellãtes, in auxiliantes verò, & fauentes solùm accessoriè, vt ex Caiet. tradunt Sayr. & Suar. ergo nisi sequatur appellatio, nõ excommunicantur dantes auxilium, vel fauorem. Maior ex eo suadetur, quia excommunicatio, cũ sit pœna, solùm est intelligenda rigorosé de actione, pro qua fertur per se; ergo quæ accessoriè in ea continentur, sequuntur naturam principalis, atq; adeo, nisi sequatur principalis actio, pro accessoria non incurretur censura.

2. Cõclusio. 2. Secunda conclusio; Ille ex cuius confidẽtia aliquis appellat, non excommunicatur, nisi ex vi alicuius specialis pacti, aut promissionis talis confidentia ad appellandum sequatur. Hanc conclusionem tenet Suar. vbi supra. Et ratio est, quia iste nullo modo est causa per se talis appellationis, nec ad eam concurrere censetur, nisi aliquo modo ad præstandum auxilium se obligauerit. Vnde si quis ex amicitia, vel consanguinitate, aut alia ex causa sibi persuadeat, quòd apud amicum, vel consanguineum fauorem, vel auxilium inueniet, & ideo appellet, non proinde amicus, vel consanguineus excommunicationẽ incurret, secus verò si auxilium promisit, quia tunc antecedenter ad talem appellationem concurrrere censetur.

3. Cõclusio. 3. Tertia conclusio; Qui post factam appellationem auxilium præstat appellanti ad resistendum mandatis Pontificis sub specie talis appellationis, ex vi huius clausulæ non excommunicatur. Hanc etiam tenet Suar. Et probatur; In hac clausula excommunicantur dantes auxilium ad appellandum; vnde actio dantis auxilium debet antecedere, vel cõcomitari ipsã appellationẽ: sed actio,

actiones, de quibus loquitur concilio, subsequuntur; ergo non prohibentur hoc loco, atque adeo, qui illas exercet, non excommunicatur.

4. Contra secundam, & tertiam conclus. arguitur; Ratam habens percusionem Clerici manet excommunicatus, eo quòd ratihabitio æquiparatur mandato, reg. *Ratihabitionem.* de reg. iur. in 6. sed ratum habens non magis concurrit, quám ille ex cuius confidentia alius appellat, præsertim si in causa propria, & nomine ipsius appellatio sit facta, ac postea fauorem præstet, illamque ratã habeat; ergo similiter excommunicatur.

5. Respondetur tamen negatione maioris, non enim ex eo ratã habẽs percusionem Clerici excommunicatur, quia ratihabitio æquiparatur mandato, ita vt hæc sit totalis causa quã te excommunicatio incurratur, cum solùm fuerit motiuum, vt talis excommunicatio contra ratam habentem talem percussionem sanciretur. Vt habetur c. *Cũ quis.* de senten. excomm. in 6. vbi Summus Pontifex non declarat ius antiquum contentum in c. *Siquis suadente.* 17. quæs. 4 sed contra ratam habẽtem percusionem Clerici ius nouum instituit. Dicẽdum igitur est ratum habens nõ incurrere pœnam contra mandantes latam nisi tantum in casibus iure expressis, qui videri possũt in gloss. citatæ regulæ; *Ratihabitionem.* Cum ergo ratihabitio factæ appellationis, de qua loquitur argumentum, in iure expressè non sit, sufficiens non est, vt huius canonis censura incurratur. Prædicta autẽ regula intelligenda est, nõ quòd ratihabitio sit mandatum, sed quòd mandato comparetur, & quasi assimiletur: vnde comparatio tantum valet, quantum per iura ordinatur, & permittitur. Nam ratum habens nullo modo influit, neque est causa actus præteriti, atque adeo nõ potest dici

dici illam mandare, & ideo actus non comparatur ad illum tanquam effectus, sed tanquam obiectum. Quare licet quoad culpã æqualiter peccet, ac mandans, censuram tamen non incurrit.

## DISP. XXIII.

### *Quem effectum habeat verbum;* Interdicimus, *circa Vniuersitates, Collegia, & Capitula appellantia ad futurũ generale Concilium.*

1. PRO difficultatis huius explicatione supponendum est primò interdictum esse *Ecclesiasticam censuram, qua prohibentur diuina officia, aliqua Sacramẽta, & Ecclesiastica sepultura actiuè, & passiuè.* Ita ex cõmuni Doctorum sententia interdictum definit Sayr. lib. 5. de cens. c. 1. nu. 7.

2. Supponendũ est secundò, interdictum duplicem sortiri diuisionem: prima est, qua diuiditur in locale tantùm, personale tãtùm, locale, & personale simul. Ita Syl. verb. *Interdictum.* 1. quæst. 2. Viuald. in Candel. tit. de interdicto num. 119. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 18. pũcto 2. Barth. Med. lib. 1. instruct. Confess. c. 11. §. 13. Mart. Led. 2. 4. quęst. 26. art. 2. Nau. in Manu. c. 27. num. 166. & alij. Interdictum locale tantùm, datur quando solus locus interdicitur, vt ciuitas, regnum, prouincia, dum ibi prohibetur ne diuina celebrentur officia, ne Sacramenta ministrentur, & ne alicui Ecclesiastica sepultura cõcedatur. Interdictum personale tantùm, est quo personæ ipsæ interdicuntur, ne ea, quę per interdictum prohibentur, alicubi exerceant. Interdictum locale, & personale simul, seu mixtum est, quod in locum, & personas fertur.

Secunda diuisio est, qua interdictum diuiditur in generale, & speciale. Quod tam de interdicto locali, quam personali intelligi- 3.

tur. Sic Palud. in 4. dist. 18.quæst. 8.§. *Circa quartum principale.* verſ. *Quantùm ad tertium.* Astenſ. p. 2.lib.7. tit.16.artic.1.Sylu.verb.*Interdictũ*.1.q.3.Tabien.verb. *Interdictum.* 1.num. 4.verſ. *Tertiò.* Sot.in 4. dist. 21.q. 3.art. 1. concluſ. 2. Mart. Ledeſm. vbi ſupra,Nauar. etiam citato loco, & alij. Interdictum locale generale est, quo interdicitur locus aliquis vniuerſalis continens in ſe plura loca particularia, vt Regnum, Prouincia, Ciuitas. Interdictum locale ſpeciale,ſeu particulare eſt, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in ſe alia loca. Interdictum generale perſonale eſt,quã do aliqua hominum vniuerſitas interdicitur,vt incolæ alicuius Ciuitatis,aut Collegij. Interdictum perſonale ſpeciale eſt,quo aliqua, vel aliquæ particula res perſonæ,ſiue determinatæ ſiue indeterminatæ interdicuntur.

4. Supponendum eſt tertiò, quando interdictum eſt locale, non poſſe prohibita per interdictum in tali loco exerceri, ſiue ab incolis illius loci, ſiue ab extraneis: extra verò illũ, qui cauſam interdicto non dederunt, illa exercere valent. Quando autem interdictum eſt perſonale, perſonæ interdictæ nullibi prohibita per interdictum facere poſſunt: quæ verò interdictæ non ſunt, illorũ exercitio non priuantur, etiam in loco vbi degunt perſonæ interdictæ, puta in Collegio, vel Ciuitate, vbi omnes perſonæ ſunt interdictæ, diuina officia celebrare, miniſtrare Sacramenta, & ſepelire in Eccleſiaſtica ſepultura, excluſis perſonis interdictis,licitum eſt.

5. His poſitis,quòd interdictum, de quo hoc loco loquitur Summus Pontifex, ſit locale probatur primò; Interdictum hoc pœna eſt, imponitur enim pro culpa;ergo reſtringendũ eſt, & fauorabiliter interpretandum: ſed reſtrictior, & fauorabilior inter-

terpretatio est explicare interdictum indefinitè positum, quale est hoc, de locali; ergo probabiliter dici potest huiusmodi interdictũ locale esse, nõ personale. Deinde; Summus Pontifex intẽdit punire appellantes pro culpa in appellando cõmissa, & ideo excõmunicat personas veras, quæ appellãt; cũ autẽ Vniuersitates, Collegia, & Capitula personæ sint repræsentatę, quę excõmunicari nõ possunt, illa interdicit; ergo solùm videtur intẽtio Summi Pontificis extendi ad culpabiles. Si autem esset interdictum personale, & intelligeretur de tota persona represẽtata, & innocentes partes illius sint, etiã talem pœnã subirent. Ne igitur hoc admittamus, dicendum est interdictum hoc esse locale. Accedit, quia Vniuersitas aliquando accipitur pro loco, vt in l. *Sicut.* ff. quòd cuiusq;. & etiam in Capitulo aliquando sunt Capellæ, & altaria, in quibus diuina celebrantur officia.

6. Sit igitur prima cõclusio; Interdictũ, de quo hoc loco agitur, est personale. Probatur; Verba legis, vel statuti interpretanda sunt iuxta vulgarem eorum acceptionem; sed vulgaris acceptio illorum verborum, *Vniuersitates, Collegia, & Capitula,* in materia interdicti, est quòd de personis intelligãtur, non verò de locis, vt patet legenti omnes Doctores, qui illa in exempla personalis interdicti frequenter adducunt; ergo quãuis materia sit pœnalis, de personali interdicto intelligenda est. Cõfirmatur eadem minor ex eo, quia Collegium, vel Capitulũ, vel Vniuersitas nihil aliud est, quám corpus quoddã fictũ ex pluribus hominibus constans vno nomine cõprehẽsum, vt colligitur ex l. *Rerũ mixtura.* ff. de vsu c. & hinc dicũtur Collegia Doctorum, Capitulũ Canonicorum, &c. Deinde; Nomine, *Capituli,* in materia interdicti locus intelligi nõ potest; ergo nomine, *Vniuersitatis, & Collegij,* intelli-

1. Cõc[lu]sio.

intelligendus nō est locus in hac clausula, cùm eâdē ratione verba ista apponi videantur. Probatur anteced. In Capitulo, qua Capitulum est, nō exercētur diuina officia; ergo si in materia interdicti verbum, *Capitulum*, pro loco intelligatur, tale interdictum nullius erit effectus, cùm effectus illius sit priuare diuinis officijs, & vsu Sacramentorum, quæ in Capitulo, qua Capitulum est, exerceri minimè solēt. Tādem; Appellatio fit nomine totius Vniuersitatis, Collegij, aut Capituli, ergo omnes ad illa spectantes censentur culpabiles, atq; adeo interdicti.

7. Cōclu 7. Secunda conclusio; Nō solùm quando totum Collegium, Capitulum, aut Vniuersitas appellauerit, sed etiam quandò maior pars, interdictum incurritur: si verò pars minor appellationi consenserit, aut maior pars, quæ appellat, legitimé congregata non sit, interdictum non incurritur, omnes tamen appellantes excommunicantur. Prima pars huius conclusionis est manifesta, quoniā quando appellatio fit à toto Collegio, Capitulo. &c. totum dicitur appellare; atque adeo totum interdicitur. Secunda pars ex eo ostenditur, quia, quæ fiūt á maiori parte Vniuersitatis, ab omnibus facta censentur l. *Quod maior*. ff. ad municip. de incol. & in tit. de his, quæ fiūt à mai. par. Cap. Tertia pars probatur á cōtraria ratione. Nā quæ fiunt à minori parte, ab Vniuersitate fieri non dicuntur. eod. tit. de his quæ fi. &c. Eodem modo probatur pars quarta; non enim ab Vniuersitate dicitur aliquid fieri, vbi legitimè congregata non est. Ex ijs patet etiam vltima pars conclusionis; etenim vbi ab Vniuersitate appellatio non fit, á singulis factum fuisse censendum est; sed particulares appellantes excommunicantur; ergo & hi omnes. Ita sentit Vgolin. hoc loc. ad illa verba, *Vniuersitates veró*. §. *Collegium*

legium.verſ. *Item interdictũ.*

8. 3. Cõclu ſio. Tertia cõcluſio; Huiuſmodi interdictum generale eſt. Hæc probatur: Illud interdictum perſonale generale, & non particulare cenſetur, quando totum Collegium, Capitulum, vel Vniuerſitas interdicitur, ſed ita contingit in propoſito, vbi Collegium, Capitulum, & Vniuerſitas appellantes ad futurum Concilium abſolutè, & nõ ſecundùm partem interdicuntur; ergo. &c. Ex quo ſequitur, ſi quis poſtea fiat de corpore Collegij, Capituli, aut Vniuerſitatis, cum alijs interdici, vt colligitur ex c.1. diſt.12. & tradunt Calderin. tract. de interd. memb. 2. Palud. in 4. diſt. 18. q. 8 §. *Quantũ ad ſecũdũ.* concluſ. 1. S. Anton. 3. p. tit. 27. c. 3. & alij. quos refert, & ſequitur Say. lib. 5. de cenſ. c. 4. num. 8.

9. 4. Cõclu ſio. Quarta concluſio; Hoc interdictum eſt ab homine, & incurritur ipſo facto. Prima pars patet ex his, quæ diximus diſp. 1. vbi. probauimus cenſuras huius canonis eſſe ab homine. Secunda conſtat etiam ex verbo, *Interdicimus*, quod latam ſententiam cõtinet.

Quinta concluſio; Collegium, Capitulum, vel Vniuerſitas, quorum auxilio, aut fauore appellatio fit, per hunc canonem interdicuntur. Hanc tenet Vgolin. vbi ſup. numer. 3. Probatur ex ipſo textu, vbi Summ. Pontif. id expreſſè dicit. Nam. excõmunicat appellantes, & ſi qui appellant ſint Vniuerſitates, eas interdicit, & poſteà addit, *Nec non eos, quorum auxilio vel fauore.* &c. Ad quos proculdubio præcedentes cẽſuræ extenduntur, accommodatè tamen: non enim eſt maior ratio quare excõmunicatio præcedens particulares perſonas dantes auxilium, aut fauorem ad appellandum comprehendat, quàm præcedens interdictum Vniuerſitates. &c. cum particula, *Nec nõ*, eodem modo præcedentia omnia cõiungat. 10. 5. Cõclu ſio.

Ad primum argument. reſpondetur non poſſe legem

gem pœnalem restringi cõtra propriam, & vsitatam verborum significationẽ, qualis est, vt nomine Collegij, Capituli, & Vniuersitatis absolutè prolato non loca, sed personæ intelligantur.

II. Ad secundum respondetur, verum esse innocentes hoc loco puniri non quidem pro culpa propria personali, sed pro culpa totius corporis, cuius sunt membra, quod illicitum nõ est; potest enim aliquis puniri sine culpa, dummodo cum causa puniatur, vt habetur regul. 24. de regul. iur. in 6. & colligitur ex cap. *Si cuius*. 34. dist. Dari autem ad hoc interdictum, & punitionem causam, de se est manifestum.

Ad vltimum dicendum est quamuis aliquando *Vniuersitas* accipiatur pro loco, acceptionem hanc non esse vulgarem, nec regulariter pro loco intelligi, nisi cum aliquo addito. Quod autem in Capitulo sint Capellæ per accidens est ad rationem Capituli.

## DISP. XXIIII.

### *Vtrum consulẽtes appellare ad futurum generale Concilium hoc loco excommunicentur.*

IN hac difficultate sunt qui existiment dantes cõsilium ad appellandum, per hanc clausulam excõmunicari. Inter quos numerandi sunt Nau. in Manu. cap. 27. num. 58. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 20. & Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 47. & Vgol hic ad illa verba, *Nec non eos*, vers. *Excipiuntur*. quatenus dicunt manere excomunicatos dantes consilium, si appellatio sequatur. Probatur hęc sententia; In hac clausula excommunicantur dantes auxilium, aut fauorem, sed consilium fauor quidam est, nam qui consilium præbet, nõ parum iuuat ad operandum; ergo I.

ergo consulentes excommunicantur.

2. Cōclusio. Sit nihilominus conclusio; Consulentes appellare per hanc clausulam non excommunicantur. Hanc tenent Sayr. lib. 3. de cens. cap. 6. numer. 6. & Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 17. Et probatur primó; Nudum consilium neque est auxilium, neque fauor; ergo nudus consiliarius non excommunicatur hoc loco. Cōsequentia est bona, quia in hac clausula solùm agitur de præstantibus auxilium, & fauorem. Anteced. ex eo constat, quia auxilium, fauor, & consilium ad diuersa tendunt, nam consilium iuuat ab intrinseco dirigendo, & instruendo rationem eius, cui datur, fauor autem, & auxilium solùm dirigunt ab extrinseco, suntque, propriè loquendo, actus externi ordinati ad executionem operis. Secundò; Quando Summus Pontifex voluit comprehendere dantes consilium, de illis expressam mentionem fecit, vt videre est in clausula 7. 10. 11. & alijs huius Bullæ, quas infra explicabimus; ergo, cum hoc loco consulentium non meminerit, illos excommunicare non intendit.

Ad argument. in contrarium neganda est minor, si propriè loquendum sit; nam, vt ex dictis constat, fauor, & auxilium ad executionem, & actum externum ordinantur, consilium verò ad rationis instructionem. Vult igitur Summus Pontifex per hác clausulam cohibere potentes, qui efficaciùs resistunt: de illis autē, qui docent, vel consiliū ferunt, nihil hoc loco dixit. 5.

(;)

# CAP. IIII.

## *De tertia excommunicatione Bullæ contra Piratas.*

TENOR BVLLÆ.

*Tertia Bulla censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maririmos, discurrentes mare nostrum, præcipuè á monte Argentario vsque Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

## *Notationes circa textum.*

MAteria huius cẽsuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excomm.* cap. 18. est latrocinium maritimum. Quæ etiam habetur in c. *Excommunicationi.* de raptoribus; ex vi tamen illius non incurritur censura ipso facto, vt ibi innuit gloss. & cum Sylu. notat Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 20. Personæ principales in hac clausula excommunicatæ sunt tres, totidẽq; accessoriæ. Principales sunt Piratæ, Cursarij, & Latrunculi: accessoriæ fautòres, receptatores, & defensores.

1 Circa nomen, *Pirata*, quid propriè significet, videndi sunt Syluest. verb.

*Ex-*

*Excommu.* 7. §. 56. Angel. verb. *Pirata*. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 49. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 7. num. 4. Illud tamen certum est in hac clausula excommunicari omnes latrones maritimos quocúq; nomine appellentur.

## DISP. XXV.

### *Vtrum soli discurrentes mare Pontificis excommunicentur.*

1. IN hac difficultate Graf. lib. 4. decis. cap. 18. num. 53. exponens Bullam Sixti V. & Suares de cens. disp. 21. sect. 2. num. 18. exponés Bullam Clemen. VIII. asserunt non solùm excommunicari discurrentes mare Ecclesiæ, sed omnes piratas deprædantes in mari Christianorum, & in hoc sensu explicat Graff. illam particulam, *Mare nostrum*, idest, Christianorum. Suar. verò non ita explicat, sed eam exponit de mari Ecclesiæ; facit tamen diuersam clausulam, ita vt sit sensus, *Excommunicamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos*, & addatur tanquam noua clausula, *Discurrentes mare nostrum. &c.* quod non aliter probat, quám ex eo quòd inter particulam, *Maritimos*, & particulam, *Discurrentes*, ponitur virgula, quæ facit membra distincta. Quòd autem in prædictis Bullis valeat argumētum ad hãc, quam explanamus, inde patet, quia in omnibus hęc clausula eodem verborū tenore ponitur.

Sit tamen conclusio; Probabilius est solos latrones maritimos, qui discurrunt mare Ecclesiæ, præsertim à monte Argentario vsque ad Tarracinam, hoc loco excōmunicari. Hanc tenet Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 20. §. *Aduertendum autem est.* & Vgolin. hoc loco ad illa verba. *Item excommunicamus*, §. 2. vers. *Tertiò*. Et probatur, 2. *Conclusio.*

 quia

quia in antiquis Bullis, vt videre est apud Nauar. in Man. c. 27.num. 59 inter particulam, *Latrunculos maritimos*, & particulam, *Discurrentes*, apponebatur particula, *Et*, quam sine causa in hac Bulla ablatam fuisse credendum non est: cum igitur ante particula, *Et*, prædicta verba copularet, distinctionemq; actionum faceret, modo ablata nec copulat, nec distinguit, sed potiùs restringit præcedentia, ita vt sit sensus eos latrones excommunicari, qui discurrunt mare Ecclesiæ, præcipuè á monte Argentario. &c. Et confirmatur, quia particula, *Ac*, quæ ponitur ante particulam, *Latrunculos*, ostendit sequẽtia verba vnam tantùm clausulam efficere, semper enim coniunctio copulatiua, si detur multa nomina, ante vltimum ponitur secundùm regulas Grammaticæ. Deinde; In clausula sequẽti excommunicat Summus Pontifex surripientes bona naufragantiũ in quocumq; mari; sed in hac clausula solùm dicit, *Mare nostrum*; ergo de eo tantùm intelligenda est censura. Tandem probatur argumento communi, videlicet quòd pœnæ sunt fauorabiliter interpretandæ; cum ergo lex ista pœnalis sit, intelligenda erit in ea verborum significatione, quæ accommodatior, & magis propria fuerit, qualis est explicare particulam, *Mare nostrum*, in censura Pontificis de mari Ecclesiæ, hoc enim propriùs dicitur mare Pontificis, quam ipsius met in propria persona loquentis mare Christianorum dicatur.

Ad rationem Suares dicendum est appositionem illius virgulæ non facere clausulam diuersam, imò ex ablatione particulæ, *Et*, eandem esse clausulam ostenditur, cùm appositione illius esset diuersa, particula enim copulatiua diuersitatem rerum, quas copulat, ostendit.

## DISP. XXVI.

### *Utrum latrones maritimi discurrentes mare Pontificis, nihil tamen deprædantes excommunicentur.*

1. SVares de cens. disp.21. sect.2. numer. 18.post. Tolet.in Summ.lib.1.c.20. existimat probabiliter dici posse discurrentes mare Pōtificium, licèt nihil deprædentur, manere excōmunicatos, esseque hoc in mari Pontificis specialiter prohibitum. Idem tenet Vgol.hic ad illa verba, *Item excommunicamus.* §.1. vers. *Item excōmunicatio.* Huius sententiæ ea ratio esse potest, quia hoc loco nulla actio præter discursum per mare Pontificis nominatur, cum in Bullis aliorum Pontificum exprimantur actiones deprædandi, quæ sine causa hoc loco non omittuntur. Deindè; Non solùm deprædari, sed etiā nauigare est actio iniuriosa Romano Pontifici, sufficiésq; ad excōmunicationem ferendam; ergo non solùm prohibetur deprædatio, sed etiam discursus.

Sit nihilominus conclusio; Probabilius est latrones maritimos, qui nullam deprædandi actionem exercent, censuram huius canonis non incurrere. Hanc conclusioné tradūt Viuald. in Candel. in explanat.Bullæ Cœnæ.n.20. & Say.lib.3.de cens.cap.7. num.5.Et probatur; Latrones maritimi non excommunicantur absoluté, sed in ordine ad deprædationem; ergo, si nullam exerceant deprædandi actionem, excommunicationis gladio non feriuntur. Patet consequentia. Probatur antecedens, quia latrones non dicuntur, nisi á latrocinio, vnde qui nullā actionem latrocinij exercent, latrones dicendi non sunt, saltem in actu, & foro externo; ergo quādocumque latrones absoluté excommunicantur, 2. Cōcl*usio.*

intelligendi ſunt exercentes latrocinij actiones. verba enim cum effectu accipi debent, vt habetur. l. 1. §. *Hæc autem verba.* ff. quod quisque iuris.

Ex hoc ſequitur ſi latrones maritimi mare Pontificis diſcurrant, etiam cum intentione deprædandi, ſi nullam deprædandi actionem exerceant, non excõmunicari, ſola enim intentio ad cenſuram incurrendam non ſufficit, nec omnis diſcurſus prohibetur. Dixi, *Si nullam actionem deprædendi exerceant*, quia nõ opus eſt quòd de facto deprædatio ſequatur, ſatis enim eſt quòd deprædari nitantur occidendo, mutilando, inuadendo, aut inſequendo.

3. Ad primam rationem contrariæ ſententiæ dicẽdum eſt actiones, quæ apponebantur in Bullis aliorum Pontificum, maioris explicationis gratia fuiſſe appoſitas, nam piratarum diſcurſus nihil eſt aliud, quàm hinc inde vagari quærendo occaſiones deprædendi. Vnde per appoſitionem talis diſcurſus, effectus aliquis ad illum ſecuntus intelligitur. Et item quia diſcurſus per ſe ſumptus non eſt nauigantibus, quos Sũmus Pontifex vult defẽdere, nociuus.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, quòd, eſto Summus Pontifex prohibere poſſit, ne piratæ tranſeant, & diſcurrant mare ſuum, id tamen hoc loco non fecit: vnde quandiù non prohibet, nulla ei fit iniuria per hoc quód mare eius, quod omnibus patet, ſine alicuius iniuria tranſeatur, vel diſcurratur.

## DISP. XXVII.

### *Vtrum deprædãtes in fluminibus, aut in locis maritimis iuxta mare Põtificiũ, aut in naui, in qua ipſi ſunt, excõmunicentur hoc loco.*

PRO reſolutione huius difficultatis aduertendum 1.

dum

dum eſt deprædantes in fluminibus,aut ibi tantùm deprædari ſolitos eſſe, aut etiam in mari. Quod etiã poteſt dupliciter euenire: primó, ſi principaliter in mari deprædatio exerceatur, occaſionaliter verò in fluminibus,& locis maritimis: ſecundó, ſi deprædatio principaliter in fluminibus, & locis maritimis fiat, occaſionaliter autem in mari. Deinde aduertendum eſt latrunculos poſſe nauim intrare, non vt alias naues deprædentur,ſed vt in ea, in qua ſunt, furta exerceant,& latrocinia.

2. His poſitis ſit prima cõ-
1. Cõcluſio. cluſio; Qui in ſolis fluminibus deprædantur, non excõmunicantur per hãc clauſulam. Hæc concluſio communis eſt, quam tradunt Nauar.in Manu.cap. 27. num.59. Graff. lib.4. decis.cap.18.nu.52. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 20. Vgolin. hoc loco §.3.verſ. *Quartò*. Sayr.lib.3. de cenſ. cap.7. num. 6.& Suar. de cenſ. diſp. 21.ſect.2. num. 25.eſt tamen cõtra Angel. verb. *Excommu*. 5. caſu.18. Probatur concluſio: Summus Pontif. hoc loco excommunicat latrunculos maritimos; ſed fluuiales latrunculi non dicuntur maritimi,ſed fluuiales; ergo per hanc clauſulam nõ excommunicantur.

Secunda concluſio; La- 3.
trones maritimi, qui flumi 2. Cõcluſio.
na ad mare Pontificium pertinentia ingrediuntur, ſi in eis aliquid deprædentur, vel in terris maritimis eiuſdem maris, per hanc clauſulam excommunicãtur. Hanc concl. ex parte tenent Graff. Tolet. Vgol. & Sayr.citatis locis. Et ratio eſt, quia huiuſmodi latrones, cum mare Pontificium diſcurrant,& per accidens flumina ingrediantur, maritimi latrones iudicantur, nec à deprædatione in flumine fluuiales dicuntur, imò in eodem mari deprædari cenſentur.

Tertia concluſio; Qui 4.
principaliter in fluminibus 3. Cõcluſio.
minus verò principaliter in mari deprædantur, cenſuram huius canonis incur-

 runt.

runt. Probatur, quia huiuſmodi latrones veré, & propriè ſunt maritimi, licèt principaliùs dicantur fluuiales. Vnde qui deprædantur in fluminibus, ſi inde exeant ad deprædandos mare Pontificium nauigantes, vel loca in littore eiuſdem maris ſita, in cenſurã huius canonis incidunt.

5. 4. Cõcluſio. Quarta concluſio; Qui vt furentur, ingrediuntur naues, quantumcumque in eiſdem furta, & latrocinia frequenter exerceãt, ex vi huius canonis non excommunicantur. Probatur, quia intentio Summi Pontificis eſt, eos tantùm latrones excommunicare, qui alias naues, aut loca mari Pontificio vicina ſpoliant, vel deprædandi cauſa inuadunt, vt manifeſtè collegitur ex verbo, *Diſcurrentes*; ſed huiuſmodi latrunculi non ita ſe habent; ergo per hunc canonem non excommunicantur. Ex quo ſequitur, quòd ſi plures naues, ſiue piratarum, ſiue aliorum nauigantium ſimul naui-gent aſſociatæ, & ex aliqua earum quis aliam aſcendat, vt fieri ſolet mari placido, in eaque aliquid furetur, huius canonis cenſura non inuoluitur, cum huiuſmodi furtũ nõ ſit hoc loco à Summo Pontifice prohibitum; perinde enim huiuſmodi latro in aliena naue furando ſe habet, ac ſi in propria furaretur.

6. Contra primam, & tertiã concluſionẽ arguitur ex c. *Excõmunicationi.* de raptoribus, vbi ſic dicitur.: *Excommunicationi ſubdãtur, qui Romanos, aut alios Chriſtianos pro negotiatione, aut alijs honeſtis cauſis nauigio vectos aut capere aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt.* Quæ excommunicatio non determinat mare, aut flumen, determinat verò deprædationem eſſe debere eorum, qui nauigio vehuntur; ergo, & deprædantes in fluminibus excommunicantur, & qui deprędantur loca maritima excommunicationem non incurrunt. Probatur conſequentia; Quando in iure eſt ex-

com-

communicatio circa aliquod crimen in hac Bulla prohibitum, solùm in ea excõmunicationi iuris additur reseruatio, vt disp. 2. dictum est; sed circa huiusmodi latrones est in iure excõmunicatio; ergo hoc loco sola reseruatio additur, & eodem modo, quo ius illud intelligitur, intelligenda erit hæc censura.

7. Secundó contra secundam cõclus. Excommunicatio huius canonis nõ solùm respicit personas, scilicet latrones maritimos, sed etiam locũ, vbi fit deprædatio, videlicet mare Pontificis; ergo quicumq; deprædantur in fluminibus, quãtũcumq; latrones maritimi sint, per hunc canonem nõ excõmunicãtur. Cõfirmatur: Vel excõmunicãtur huiusmodi latrones, quia flumina, ciuitates, ac loca maritima pertinent ad Sũmũ Pontificem, vel quia sunt vicina mari Pontificio: nõ primũ, quia nec omnia flumina, & loca, quæ sunt inter montem Argentarium, & Terracinam pertinent immediatè ad Summum Pontificem, nec qui extra mare Pontificiũ deprædantur in fluminibus, aut terris eiusdem Pontificis per hãc clausulã excõmunicãtur: non secundum, quia deprędantes extra mare Põtificis in locis vicinis, aut in vicino mari excõmunicarẽtur, quod non videtur dicẽdũ.

Tertiò contra quartam conclusionem: Qui in casu quartæ conclusionis furantur, sunt verè latrunculi maritimi, furanturque ex intentione, & officio, præsertim quando sunt piratæ; ergo à censura huius canonis non excusantur. 8.

Ad primum horum negatur consequentia, quidquid sit de antecedente. Et ad probationem dicendum est maiorem esse veram, quãdo circa idem crimen eodem modo fertur censura, quod hoc loco nõ contingit, quia censuræ habent se sicut excedens, & excessum, nam censura cap. *Excommunicationi*. quoad locum extẽditur ad plura, quam censura huius canonis 9.

canonis, quoad aliud verò restringitur, cum de nauigio vectis loquatur.

10. Ad secundum negatur consequentia. E ratio est, quia locus solùm determinatur ad ostendendum non omnes latrones maritimos excommunicari, sed eos duntaxat, qui mare Pontificium discurrunt. Et quòd deprædatio fiat in mari, non ita accipiendum est, quasi intra ipsum fieri necesse sit, sufficit enim quòd in eodem maris districto cõtingat, quia tunc in eodem mari fieri censetur propter loci vicinitatem, nam vicinitas actuum, & locorum quodã modo reddit dispositionẽ eandem, & facit vnicum esse actum ratione contextualitatis, & similitudinis, l. *Si ventri.* §. *In bonis.* ff. de priuileg. credit. c. *Officij* de electione. Ad cõfirmat. dandum est secũdum mẽbrum, quando loca, & flumina in eodem districto sita esse censentur. Ad impugnationem respondetur tunc solùm deprædantes in loco proximo excõmunicari, quando deprædatio cẽsetur ratione circũstãtiarũ fieri in loco prohibito, v. g. si cursarius in mari Põtificio nauigantem insequatur, quem intra idem mare capere non possit, sed extra in loco vicino, ibique eum bonis spoliet, manet excommunicatus, quia in eo casu actio illa ad locum prohibitũ pertinet.

Ad tertium respondetur verum quidem esse absolutè loquendo homines illos esse latrunculos maritimos, nõ tamen eos, quos Summus Pontifex excommunicat, qui nauigantes ab externis hostibus tantùm tutari intendit, vt securè nauigent; cuiusmodi non iudicantur illi, de quibus loquitur conclusio. 11.

## DISP. XXVIII.

### *Vtrum ex instituto officium piratæ non exequẽtes, si aliquam nauem deprædentur, maneãt excõmunicati.*

Partem

1. PArtem huius difficultatis negatiuam docent Sylu. verb. *Excommun.* 7. num. 56. Nauar. in Man. cap. 27. num. 59. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 51. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 20. Vgol. hoc loco. §. 3. á principio, Say. lib. 3. de cẽſ. c. 7. num. 4. & 6. & Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. num. 25. qui aſſerunt eos, qui ex officio, & primaria intentione officium piratæ non exercent, ſi aliquos incidenter ſpoliauerint, non excommunicari per hanc clauſulam. Dicunt etiam non ſufficere ſemel ſpoliare nauigãtes. Horum Doctorum ſententia non eodem nititur fundamento, nam Syl. Graff. & Say. ea ducuntur ratione, quòd, vt aliquis dicatur pirata, curſarius, & latrunculus, requiritur primò quod latrocinium ex primaria intentione exerceat; illud enim inſpicitur, quod principaliter agitur. l. *Si quis nec cauſam.* ff. ſi cert. petat. ſecundò, quòd indifferenter ſe habeat in ſpoliando, ita vt non vnam tantùm nationem, ſed indifferenter omnes ſpoliet. Suar. verò ea tantùm ratione hanc ſententiam amplectitur, quòd materia ſit pœnalis, & reſtringenda, atque adeo intelligenda de his, qui ex officio nauticum latrocinium exercẽt.

Hæc ſententia communis eſt, meo tamen iudicio non ita abſolutè amplectenda videtur, quin aliquã diſtinctionem admittat. Vt igitur explicem quid de hac re cenſeam, illud præmittendum eſt, eos, qui ſiue ex officio, ſiue incidenter nauticum latrocinium exercent, aut ſemel tantùm, aut pluries nauigantes deprædari.

2. Hoc poſito ſit prima cõcluſio; Qui ex primaria intentione nauticum latrocinium exercent, licèt vnã tantùm nationem bonis ſpoliare intendant, vel ſemel tantùm aliquos deprædentur, cẽſuram huius canonis incurrunt. Primam partem huius cõcluſionis tradunt Nauar. Tolet. & Suar. *1. Cõcluſio.*

Suar. citatis locis. Et probatur, quoniam vt docet Caietan. in Summ. verb. *Excommun.* cap. 18. materia huius censuræ est latrociniũ maritimũ; deprædãtes autẽ vnã tantùm nationẽ, verè, & propriè latrones maritimi dicuntur, & sunt; ergo per hanc clausulam excommunicantur. Et confirmatur: Ideo Summus Pontifex ponit tria illa verba; *Piratas*, *Cursarios & Latrunculos*; vt omnes in mari deprædantes excommunicet; ergo nihil est quod prædictos à censura excuset. Secunda pars eâdem ratione ostenditur, nam qui deprædandi officium assumit, per vnicam deprædationem dicitur verè latro, aliás necesse esset, vt qui mare furandi intentione ingrediũtur, multos deprædandi actus exerceret, vt verè latrones dicerentur, quod falsum videtur, cum iam officium latronis animo perseuerandi exercere incipiant.

3. 2. Cõclusio.

Secunda cõclusio; Qui pluries, licét secundaria intentione nauigantes deprædantur, excommunicantur hoc loco. Probatur: Secundaria intentio non tollit denominationem, quæ ex multiplicatione actuum procedit, sed ex pluribus actibus furti, & latrocinij, qui illos exercent, fures, & latrones denominantur; ergo verè, & propriè excommunicatione contra latrones lata inuoluuntur. Probatur mai. quoniam qui furatur propter mœchiam, licèt sit magis mœchus, quam fur, furum censuram incurrit.

4. 3. Cõclusio.

Tertia cõclusio; Qui ex officio nauticũ latrociniũ non exercet, casu tamen semel nauigantẽ deprædatur, censurá canonis huius nõ incurrit. In sensu huius conclusionis veram existimo communem sententiam initio relatam. Et probatur sufficienter vltimo argumẽto pro ea adducto.

(:)

## DISP. XXIX.

## *Utrum titulo belli in mari Pontificio deprædātes sub hac censura comprehendantur.*

1. PRO parte affirmatiua sic arguitur; Qui titulo belli deprædantur, si bellū sit iniustum, verè sunt latrones, totamq; prædam, & damna inde secuta restituere tenentur; ergo censura huius canonis in maritimos latrones lata innodātur. Probatur antecedens: Sic deprædantes sunt verè raptores, actioq; illa verè, & propriè rapina; est enim rapina, iuxta doctrinam S. Thomæ. 2.2.q.66.artic.8. *Ablatio rei alienæ iniusta, & violenta*; sed rapina est propria species latrocinij; ergo &c. Et confirmatur, quoniam si acceptio ista iniusta latrocinium non esset, eo quòd titulo belli, licét iniusti, fit, sufficeretq; hoc ad excusandum a Bullæ censura, multis rapinis, & furtis aditus aperiretur: cui enim ad iniustitias faciendas ficti, & apparentes tituli non occurrunt? Frustraretur etiam censura ista, cum non sit difficile inuenire titulū, quo latrociniū maritimum occultetur.

2. Communis nihilominus sententia est in opposito, quæ asserit deprędātes titulo belli siue iusti, siue iniusti, hoc loco non excōmunicari. Ita Syl. verb. *Excommu.* 7.n.56. Tabien. verb. *Excom.* 5. casu. 25. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 27. num. 59. Viual. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ, num. 23. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. n. 51. Tolet. in Sum. lib. 1. c. 20. Vgol. hoc loco. §. 3. vers. *Secundò.* Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 24. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 7. num. 4. Hæc tamen communis sententia cum quadam distinctione tenenda est. Aduertendum est igitur deprędātes titulo belli, aut bellum indicere ad deprædandum, aut illud mouere ex odio, & inimicitia, vel

vel ad vindicandum iniuriam, quam, licèt falsò, sibi factam fuisse credunt.

3. Hoc posito, sit prima cõclusio; Qui occasione belli siue iusti, siue iniusti, non indicti tamen ad deprædandum, eos, contra quos mouetur, deprædantur, nõ excõmunicantur hoc loco. Hęc cõclusio est Doctorum, quos citauimus, qui in hunc sensum, vt existimo, locuti sunt. Et probatur; Huiusmodi homines verè, & propriè latrones dicendi non sunt; ergo nõ excommunicantur hoc loco. Patet consequentia, in pœnalibus enim vltra propriam verborum significationem non fit extensio. Anteced. colligitur ex definitione furti, seu latrocinij, vt rapinam, & furtum strictè dictum comprehendit, quæ est *Contrectatio rei alienæ fraudulosa, inuito domino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, siue vsus, vel possessionis illius*, quã ex l. 1. ff. de furtis, colligũt Syl. & Tabien. verb. *Furtum* in principio. Vnde manifestum est acceptionem rei alienæ, quãtumcumque iniustam, nõ esse furtum, nisi fiat intentione lucrandi.

*1. Cõclusio.*

4. Secunda conclusio; Qui bellum iniustum animo furandi mouent, si aliquid deprædentur, hanc censuram non effugiunt. Ab hac conclusione citati authores non dissentiunt, quanuis eam prætermittant. Et ratio illius est, quia in hoc casu datur verè, & propriè furtum ex primaria intentione, bellum enim solùm vt mediũ furãdi indicitur.

*2. Cõclusio.*

5. Ad argumentum ex dictis patet solutio; negandumq; est anteced. Et ad probationem negatur maior: neque enim omnis ablatio rei alienæ rapina dicenda est, sed illa quæ fit gratia lucri, qualis non est, de qua loquitur prima cõclusio. Fatendum igitur est acceptionem illam iniustã esse, ac totum, quod per eam accipitur, restitutioni subiectum, non tamen esse furtũ aut rapinam propriè loquendo; atq; adeo non sufficere, vt censura, quæ de

de veris latronibus intelligitur, incurratur. Ad confirmationem negãdum est per hanc sententiam furtis & rapinis viam aperiri, frustrariq; censuram; nam si titulus ad occultandũ furtum quęratur, á ratione furti actionem non subtrahit, proindeque á censura non liberat.

## DISP. XXX.

### *Vtrum deprædatores infidelium hac censura inuoluantur.*

1. PArs affirmatiua suadetur primò: Summus Põtifex absolutè loquitur de maritimis latronibus; sed deprædantes infideles, vel hæreticos sunt verè, & propriè latrones maritimi; ergo sub hac excommunicatione directè comprehenduntur.

Secundo: Deprædari huiusmodi infideles in maximam Ecclesiæ iniuriam cedit, præsertim si nauigent cum facultate Pontificis, vel aliorum Christianorum Principum, qui illam concedere possunt; ergo nulla est ratio, ob quã illos à censura excusemus.

Prima conclusio; Qui deprædãtur infideles, siue iusté, siue iniustè id faciãt, per hanc clausulam non excõmunicantur. Ita docent Tolet. in Summ. lib. 1. c. 20. Vgolin. hoc loco §. 3. vers. *Secundò*. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 21. & Say. lib. 3. de cẽs. c. 7. n. 9. quibus fauet Viuald. in Cand. in explanation. Bullę Cœnæ nu. 30. Et probatur ex eo, quia probabile nõ est velle Ecclesiam protegere infideles, præsertim inimicos, sub tam graui censura, qui vel Ecclesiã totis viribus oppugnãt, vel de illius gremio non sunt. Fauet c. *Excommunicationi*. de raptor. vbi loquens Summus Pontifex de huiusmodi latronibus, Christianorũ tantùm meminit. Qui ergo spoliãt Turcas, Mauros, hęreticos vel gẽtiles per hãc clausulã non excommunicantur. 2. 1. Cõclusio.

Ex-

Excipit tamen Vgol. verſ. *Poſtremò.* quando in fideles, aut Iudæi pacificè viuunt cum Chriſtianis, & in terris Chriſtianorum: quæ exceptio probabilis eſt, quia hoc cedit in Sedis Apoſtolicæ iniuriam.

3. Cõclu 2. Secunda cõcluſio; Qui concedunt repreſalias, aut qui illas contra perſonas quoad hoc priuilegiatas exercent, licèt aliquando excommunicentur, in cenſuram tamen huius canonis non incidunt. Hanc tenet Viuald. vbi ſup. nu. 26. Ratio eſt, quia ſi repreſaliæ ſint iuſtæ, nulli in earum exercitio fit iniuria: ſi verò iniuſtæ ſint, dummodò non aſſumantur vt medium ad deprædandum, ſed ad reparandum damnum datum, cenſeri debẽt ſufficiens titulus, vt qui illas exercent, latrones nõ dicantur, iuxta ea, quæ diximus diſputatione præcedenti. Quod concedentes repreſalias maneant excõmunicati, habetur c. 1. de iniur. in 6. Repreſaliæ di-

4. cuntur quando in recompẽſationem damni vel iniuriarum, ad perſõnas, vel earum bona capienda aliqui exeunt. De qua re Syl. & Tabien. verb. *Repreſalia.*

Ad primum argumentum reſpondetur, ex ratione efficaci vel congruenti reſtringi multoties locutionem abſolutam, quæ cum in noſtro caſu inueniatur, verba illa Pontificis ad ſolos latrones maritimos, qui Chriſtianos deprædantur, reſtringenda ſunt. 5.

Ad ſecundum negatur conſequẽtia: neque enim intentio huius cenſuræ eſt excommunicare omnes, qui quomodolibet Summo Pontifici iniuriam faciunt, ſed huiuſmodi tantùm latrones: iniuria autẽ, quæ fit in deprædatione infidelium cum facultate Summi Pontif. nauigantium, diſtincta eſt á maritimo latrocinio in hac clauſula prohibito. Non dixerim tamen eſſe improbabile: excommunicari deprædatores infidelium cũ prædicta Summi Pontificis 6.

eis facultate nauigantium.

## DISP. XXXI.

## *Vtrũ remigãtes apud piratas per hanc clausulam excommunicentur.*

1. Pars affirmatiua suadetur primó: In hac clausula excommunicãtur fautores maritimorum latronum; sed remigantes, vel naues, aut triremes gubernantes in piratica deprædatione eis fauent; ergo excõmunicantur per hanc clausulam.

Secundò: Si aliqua ratione ab hac censura remigantes excusarentur, ea esset quia coacti remigant, vel naues gubernant; sed hæc ratio nulla est; ergo. &c. Probatur minor, tum quia hæc ratio illos à peccato non excusat, qui concurrũt ad actus malos iure naturali prohibitos; ergo neque à censura excusabit: tum etiam quia verba censuræ videlicet, *Fautores*, vniuersalia sunt; ergo non sunt restringenda, nisi quã do actio fini legis repugnat; tunc enim verba legis coarctantur, quod hoc loco non euenit, imó oppositum, quia si isti non remigent, nauticum latrociniũ impeditur.

2. 1. Cõclusio. Prima conclusio, Rimigantes voluntariè in piratarum triremibus, aut eas, eorum ve naues ad deprædandum etiam voluntariè gubernantes, per particulam, *Fautores*, excommunicantur. Hanc conclusionem manifestè probant adductæ rationes, voluntariè enim huiusmodi homines fauent piratis in piraticis actionibus: nam qui eis in alijs rebus fauorem præstanr, fautores dicendi non sunt, iuxta ea, quæ de fautoribus hæreticorum in superioribus diximus.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Qui coacti apud piratas remigant, vel eorum naues in aggressione ad deprædandum gubernant, regulariter non excõmunicantur.

 Hanc

Hanc tenent Nau. in Man. cap. 27. num. 63. §. *Septima.* & in cap. *Ita quorundam.* de Iudæ. notab. 11. Graff. lib. 4. decis. c. 18. num. 55. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 24. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 61. & 62. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 7. num. 8. Et probatur: Lex huma-
4. na, regulariter loquendo, non obligat cum vitæ periculo, vt communiter docent Theologi; sed in casu conclusionis datur probabile vitæ periculum, vt de se est manifestum, occidētur enim, nisi remigent; ergo censura huius canonis, cùm sit lex humana, miserrimos istos captiuos cum tanto periculo non obligat. Dixi, *Regulariter*, quia in casu, in quo magnum, & notabile detrimentum Ecclesiæ sequeretur, illos non excusarem: probabile enim existimo, quādo bonum Ecclesiæ, & reipublicæ Christianæ particulari bono præpōderat, sub hac censura comprehendi, cum in similibus euentibus, etiam cum periculo vitæ, leges humanæ obligent. Sed quia communiter huiusmodi malū non imminet, aut per hoc quód vnus, vel alter à remigando desistat, nō vitatur, regulariter non excōmunicantur.

Ad argumenta initio facta, quanuis nostram primam conclusionem probent, quatenus secundæ contradicunt, respondendum est. Ad primum dicimus non omnes fautores excommunicari, sed eos duntaxat qui voluntariè fauent, aut qui sine notabili vitæ periculo fauorem negare possunt, cuiusmodi non sunt ij, de quibus loquitur secunda conclusio.

Ad secundum negamus minorem. Et ad primam probationem, licét concedamus eos remigantes, per se loquendo, & seclusa ignorantia, à peccato non excusari, negamus consequentiam. Et ratio est; quia censura, cum sit lex humana, non obligat cùm tanto periculo: lex autem naturæ, qua prohibetur

actio

actio illicita, etiam stante vitæ discrimine non cessat. Ad secundum dicendum est, quanuis lex sit vniuersalis, & per se loquẽdo omnes comprehendat, per accidens non obligare in tali necessitate constitutos, quando hic, & nunc commune malum, ex eo quòd hic, vel ille non remigat, non vitatur. Quanuis igitur censura ista commune bonum respiciat, ad qualitatem illius in particulari, & ad periculum ex legis æquitate attendendum est. Vnde non est lex interpretanda, & restringenda ex eo tantùm quòd actio fini illius absolutè sumpto repugnat, sed etiam ex æquitate naturali, attentis rerum circunstantijs.

6. Si quis quærat, an re vera in casu secundæ conclusionis remigantes in remigando, & asportando sarcinas, & alia necessaria ad Christianos impugnandos ministrando, mortaliter peccent, licèt á censura excusentur; affirmant Nauar. & Tolet. citatis locis ab rationem in secundo argumento factam. Dicendum tamen existimo, si nocumentum Christianis inferendum sit tantùm in bonis externis, nec reipublicæ bonum, alicuiusue regni, ciuitatis, aut oppidi periclitetur, vel captio Regis, aut alterius personæ, quæ communi bono maximé referret, ipsi verò captiui vitæ, vel amißionis membri periculo exponantur, non peccare. Probatur, quia in primo casu censentur in extrema necessitate illorum bonorum, atque adeo illis vti possunt ad vitæ periculum vitandum. Ita Molin. de iust. & iur. tract. 2. disp. 115. In secundo vero casu lex charitatis pro maximo bono reipublicæ obligat, etiam ad mortem subeundam. Et in hoc sensu videtur vera sententia Nau. & Tolet.

## DISP. XXXII.

### *Vtrum dantes consilium piratis ad deprædandum censuræ huius canonis subijciantur.*

IN hac difficultate sciendum est antiquiores Bullas continere particulam, *Consilium*, vnde Ang. verb. *Excommunicat.* 5. casu. 18. & Caiet. verb. *Excommun.* cap. 18. docent dantes cõsilium excommunicari: quod verum erat iuxta antiquas Bullas. Quia tamen á modernis, & ab hac, quã exponimus, ablata est illa particula, quærunt Doctores vtrum consulentes excommunicentur.

Partem affirmatiuam tradunt Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 59. Viual. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ, numer. 22. & Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 20.

Oppositam sententiam tenent Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. numer. 22. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 7. num. 7. quæ nobis videtur probabilior, si consiliarij purè consiliarij sint. De qua re videnda sunt, quæ diximus cap. præced. disp. 24.

CAP.



# CAP. V.

## *De quarta excommunicatione Bullæ contra rapientes bona Christianorum naufragantium.*

### TENOR BVLLÆ.

4. *Bulla censura.* Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quám in cæteris cuiuscumque maris regionibus, & littoribus surripuerint; ita vt nec ob quodcumque priuilegium, consuetudiné, aut longissimi etiam immemorabilis téporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

### *Notationes circa textum.*

Materia huius césuræ, vt notat Caiet. verb. *Excommu.* cap. 23. est latrocinium, furtum, seu rapina bonorum naufragantium Christianorum. Actio prohibita est vna tantùm, surripere scilicet naufragãtiũ

Christianorum bona. Cōtra quam etiam est excommunicatio in iure c. *Excōmunicationi.* de raptor. vbi excommunicantur surripientes huiusmodi bona, si illa non restituant. Quod Caietan. loco citato dicit esse intelligendum, si data opportunitate restituere omittant. Nam quandiu restituendi opportunitas se non offert, quãtumcũq; retinentes animo non restituendi perseuerent, excōmunicationem non incurrunt. Caiet. sequuntur Nauar. in Manu. cap. 27. num. 118. & alij. Differentia ergo est inter excōmunicationem huius canonis, & excommunicationem iuris : nã hæc in iniustè retinẽtem, seu data occasione non restituentem, illa veró in surripiẽtẽm fertur.

2\. Ex hoc colligi potest duas incurrere excommunicationes eos, qui, cùm naufragantium Christianorum bona surripiuerint, postea, data occasione, ea restituere neglexerint : ita vt excommunicatio Bullæ per actum surripiendi, excommunicatio veró canonis per restituẽdi omissionem incurratur. Respiciũt enim huiusmodi censuræ diuersos actus, scilicet non surripere, & restituere.

Quando autem disput. 2. diximus vnam tantùm incurri excōmunicationẽ, cum plures feruntur supra eandem rem, intelligendũ id est, cum res est simpliciter eadem, & sub eâdem ratione cōsideratur: quod hoc loco non contingit. Nam licét vtriusque censuræ materia sit res aliena ex naufragio accepta, diuerso tamen modo consideratur : in Bulla enim in ordine ad surreptionem ; in canone verò in ordine ad retentionem.

## DISP. XXXIII.

*Vtrum per solum actũ surripiendi bona naufragantiũ huius Bullæ censura incurratur.*

In

IN hac difficultate Nau. in Manu. c. 27. docet hanc excommunicationẽ non incurri in sola acceptione bonorum naufragãtium, sed moram in restituendo requiri. Hæc Nau. sententia quoad excommunicationem c. *Excommunicationi*. supra citati, vera est, ibi enim non fertur cẽsura in surripientes, sed in retinentes; quoad excommunicationem autem huius Bullæ, nullo modo admitti potest.

Prima conclusio; Qui
1. accipit ex naufragio bona
1. Coclusio. naufragantium Christianorum animo reddendi, ac seruandi vero domino, quandiu in eo perseuerat nec ratione acceptionis, nec ratione retentionis excõmunicatur. Hanc tenet Vgolin. hoc loco §. 2. vers. *Vndecimò*. Hæc conclusio videtur manifesta; cum huiusmodi actus tum acceptionis, tum retentionis sint virtutis actus. Neque Summus Pontifex intẽdit prohibere acceptionem, vel retentionem, nisi vt vitetur malum miserorum naufragantium.

Secunda conclusio; Vt 2.
hæc Bullæ cẽsura incurra 2. Coclusio.
tur, sufficit surripere prædicta bona animo sibi retinendi quoad dominium, possessionẽ, vel vsum: quãuis statim mutato animo restituantur. In hac conclusione cõueniunt Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 58. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 21. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 29. & Say. lib. 3. de cens. cap. 8. num. 3. Et probatur ex eo, quia Summus Pontifex excommunicat surripiẽtes huiusmodi bona, quatenus per hoc furtũ committũt; sed in hoc casu verè committitur furtum; ergo incurritur censura: Neque mutatio animi, & statim facta restitutio efficiunt, quin antecedenter nõ fuerit furtum commissum. Idem intelligo, quã- 3.
do aliquis prædicta bona surripit, vt illis ad certum tempus vtatur, & postea vero domino reddat; quia per talem acceptionem, & vsum rei verus dominus

damnificatur, estque actio illa verè furtum, vt docet Sayr. vbi sup.num.4.

4. Tertia conclusio; Qui
Cōclu bono animo prædicta bona accipit; postea tamen eo mutato, illa sibi retinet, ex tunc excommunicationem Bullæ incurrit. Hanc tenet Vgolin. vbi supra, & Suar. loco cit.num.31. Et probatur; In genere moris idem est accipere rem alienam inuito domino, ac retinere animo non reddendi; sed qui accipit, manet excommunicatus; ergo, & qui retinet: cum primùm enim animũ mutauit, surripere cẽsetur, atque adeo ex tunc excommunicationem incurrit. Dixi, *Excõmunicationem Bullæ*, quia si eo tempore, quo ille mutauit animum, non se obtulit occasio restituendi, censura c. *Excõmunicationi.* non innodabitur: secus verò si talis occasio detur.

Contra hanc conclusionem sic aliquis insurget; Excommunicatio non incurritur, nisi detur actus externus prohibitus; sed per solam mutationem animi talis actus nõ datur; ergo non incurritur censura Bullæ. Respondetur tamen in hoc casu dari actum surreptionis externum, illum nimirùm quo res à principio bono animo accepta fuit, qui solùm talis animi ratione á culpa excusatur; quo mutato iam datur verum furtum externum, ac proinde sufficiens materia censuræ.

Quarta conclusio; Vt 5.
censura huius Bullæ incur- 4. Cōclu
ratur, requiritur quòd ma sio.
teria, quæ surripitur, sit materia peccati mortalis, & quòd surripiens sciat bona, quæ surripit, esse naufragantium Christianorũ. Hanc tradunt Graff. num. *61.* & *63.* & Suares numer. *29.* locis supra citatis. Probatur quoad primam partem ex eo, quòd secundùm communem Theologorum sententiam excommunicatio non incurritur absque peccato mortali, Secunda pars etiam ostenditur, quia hæc censura ponitur pro culpa surripientium

pientium

pientium bona naufragantium Christianorum; sed talis culpa formaliter non committitur, nisi ab eo, qui scit, aut scire tenetur bona illa esse huiusmodi; ergo. &c. Vnde qui inculpabiliter ignorat bona, quæ surripit, esse naufragantium Christianorum, quanuis sciat esse aliena, nō manet excommunicatus, neque etiam simplices, & rustici, qui credunt id sibi licere; dummodo ignorantia ad mortalem culpam non perueniat. Itaque quotiescumque interuenit inculpabilis ignorantia iuris, vel facti, hæc censura non incurritur.

Ex dictis in hac disputatione aperitur via ad alterius non contemnendæ difficultatis explanationē, quæ est, an accipiens naufragantium Christianorū bona in extrema necessitate constitutus, excommunicatione huius canonis innodetur. Ad quam difficultatem per sequentia respondetur.

6. Dico primó constitutū in extrema, vel quasi extrema necessitate, sine timore huius censuræ, ex bonis naufragantium, quā tum præsenti necessitati sufficiat, accipere posse. Probatur; In extrema necessitate omnia sunt communia, ita vt vnusquisque secundùm ius naturæ, ea omnia licité possit accipere, quæ sibi necessaria sunt, ius enim gentium, quo rerum diuisio est introducta, iuri naturæ, secūdùm quod omnia sunt communia, derogare non potest; ergo neque Summus Pontifex per hanc censuram hoc ius auferre intendit, vel potest.

Dico secundò accipientem in prædicto casu rem vsu non consumptibilem, transacta necessitate, teneri illam reddere vero domino, vel quod ex ea remanet, si sit consumptibilis vsu, aliàs, si sibi reseruet, per hanc clausulam excommunicabitur. Prima pars (quam tenet Arag. 2. 2. quæst. 32. articul. 5. dub. vltim. conclusione 1. 7.

&

& communiter Doctores) probatur; in extrema, vel quasi extrema necessitate solus rerum vsus est communis; ergo, ipsa transacta, illi reddendæ sunt, ad quos dominium spectat. Deinde; Qui est in extrema necessitate solùm potest accipere rem alienam, vt suæ necessitati sucurrat; ergo, quod remanet, proprio domino reddendum est. Secunda pars constat ex dictis in tertia cõclusione.

8. Dico tertiò existentes in extrema necessitate secundùm quid, quanuis res ex naufragio accipere possint, teneri ad restitutionẽ earum, quam si non faciãt, vel facere recusent, per hanc Bullam excommunicantur. Extrema necessitas secundùm quid tunc datur quando in ea constitutus alio in loco habet vnde sibi subuenire posit, quo tamẽ in pręsenti caret. Prima pars, quód scilicet huiusmodi bona posint accipere, ex dictis est manifesta. Secundam quód teneantur postea ad restitutionem, tenet Sot. lib. 4. de iust. & iur. quæs. 7. ar. 1. ad 4. Ban. 2. 2. quæs. 32. art. 6. dub. 3. Petrus de Led. in Summ. tom. 2. tract. 4. cap. 3. conclu. 11. dub. 5. Et probatur; Homines illi absolutè habent bona, quibus propriæ necessitati sucurrant; ergo nõ possunt prædicta bona accipere, nisi cum obligatione restituendi postea. Vltima pars patet etiam ex supra dictis in tertia conclusione.

Si quis tamen arguat; In extrema necessitate omnia sunt communia; ergo qui in ea aliquid accipit, quantumcumque aliás sit diues, non tenetur illud restituere, ac proinde nec excommunicatur. Ad hoc argumentum respondetur primò omnia esse communia in extrema necessitate simpliciter, quando scilicet in ea cõstitutus nihil omnino habet, quo sibi succurrat, non verò in extrema necessitate secũdùm quid, qualis illa est de qua loquitur conclusio. Respõdetur secũdò bona 9.

in

in extrema neceſsitate nõ eſſe cõmunia ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, cum eorum dominium ſemper maneat apud verum dominum. Vnde qui in extrema neceſsitate alicuius aliquid á diuite ſurripit, vt extremé indigenti ſubueniat, ſi id nõ faciat, ſed ſibi reſeruet, non extremè indigenti, tranſacta neceſsitate, ſed diuiti reſtituere tenetur.

10. Dico quartò ſurripientem bona naufragantium in extrema neceſsitate ſimpliciter, quando nihil habet, quo ſibi ſuccurrat, nec eſt moralis ſpes quòd habebit, nõ excommunicari, quamuis ad pinguiorem poſtea fortunam deueniens non reſtituat. Probatur; In caſu huius concluſionis accipiens prædicta bona non tenetur reſtituere; ergo non excommunicatur, ſi non reſtituat. Antecedens cum multis docent Ban. Led. & Arag. citatis locis. Et probatur; In eo caſu tenetur vnuſquiſque ſub præcepto dare illi in particulari eleemoſynam; ſed eleemoſyna dicit donationem gratuitam, in qua transfertur dominium; ergo qui in eo caſu accipit, dominium acquirit. Et cõfirmatur, quia omnes, qui poſſunt, tenentur in eo caſu pauperem illum à miſeria ſubleuare, quod fieri nõ poteſt, niſi per gratuitam donationem. Itaque quotieſcumque accipiens rem in extrema neceſsitate nõ tenetur reſtituere, liberatur etiam à cenſura huius canonis accipiendo rem ex naufragio.

Hæc tamen cenſura nõ comprehendit Vniuerſitates, Collegia, & ſimiles communitates, vt notat Vgol. §. 3. verſ. *Primũ.* quoniam de illis mentio non fit, & quando abſolutè excommunicatio fertur, non afficit communitates, cum ſecundùm ius non excommunicentur. Nec etiã cõprehendit accipientes ſibi debita, cũ iuſtè accipiant. Nec faciẽtes cõpẽſationẽ, aut accipiẽtes res, quas mutuauerant, dummodo alia via ſibi reddi nõ procurẽt.

DISP.

## DISP. XXXIIII.

### *Utrùm accipiens ab alio bona naufragantium hoc loco excõmunicetur.*

1. Circa hanc difficultatẽ aduertẽdum est eum, qui accipit bona naufragãtium à primo surripiente, vel illa accipere per furtũ, aut rapinam; vel ex voluntate ipsius primi surripientis. Quod adhùc dupliciter euenire potest: primò, si primus surripiens partẽ furti conferat alicui gratis; secũdò, si det ex vi alicuius pacti antecedentis, vt si conuénit cum alio quòd propter auxilium, vel fauorem sibi in surripiendo præstitum furti partem ei solueret.

Suares de cens. disp. 21. sect. 2. num. 33. asserit eum, qui gratuita donatione bona naufragantium accipit ab illo, qui ea primò surripuit, hanc excommunicationem incurrere. Probat primò; Qui accipit huiusmodi bona á primo surripiente sciens esse ex naufragio, verum dominum spoliat; ergo excommunicatur.

Secundò; Qui sic accipit, tenetur restituere vero domino; ergo si sit in mora soluendi, excommunicationem supra citati c. *Excommunicationi.* incurrit; ergo á fortiori in Bullæ excõmunicationem incidit. Nam quòd mediatè, vel immediatè accipiat, non variat malitiam actus. Et in hoc sensu intelligit omisisse alios Pontifices in suis Bullis ea verba, quæ in Bulla Greg. XIII. addebantur, videlicet, *Aut scienter sibi acceperint, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter acceperint;* quia, inquit, in verbo, *Spoliauerint*, censentur sufficienter contenta.

His tamen nõ obstantibus sit prima cõclusio; Qui per furtum, rapinam, vel gratuitam donationẽ accipit bona naufragantium à primo surripiente ex loco pro- 2. 1. Cõclusio.

prohibito non excomunicatur per hanc clausulam; nisi fortè eo loco, & tempore, & cum ijs circunstãtijs accipiat, quòd censeatur illa immediatè surripere. Primam partem huius conclusionis docent Vival. in Candel. in Explanat. Bullæ Cœnæ, numer. 33. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 64. Vgolin. hoc loco §. 3. vers. *Sextò*. & Say. lib. 3. de cens. cap. 8. num. 4. Et probatur ex ipsa Bulla, in qua tantùm de primo surripiente fit sermo, nõ verò de secundo, vel tertio; ergo quantumcumque secundus, vel tertius latro, aut gratis accipiens sciant bona illa iniustè esse ex naufragio accepta, non excommunicantur: non enim censura vltra proprium casum, cum sit pœnalis, extenditur. Anteced. non obscurè colligitur ex illis verbis; *In ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in littore inuenta. &c. surripuerint*. Quæ verba manifestè ostendunt de primo surripiente loqui tantùm Summum Pontificem. Et confirmatur ex ablatione illorum verborum, quæ erant in Bulla Greg. quæ cùm secundos surripientes excommunicarẽt, modo ablata ipsos non ligant. Secunda pars conclusionis ex eo ostenditur, quia in eo casu secũdus, vel tertius surripiens taliter accipiunt, quòd, moraliter loquendo, immediatè surripere indicantur. Verbi causa, quando in ipso actu, quo primus latro surripit, taliter statim partem alicui tribuit, vt accipiens furti particeps cẽseatur: vel quãdo primus latro surripit, & illico secundus hoc ipsum ab eo furatur. Hæc tamen prudentis iudicio expendenda sunt. Quæ in hac conclusione de surripiente á primo latrone diximus intelligi suo modo debent de surripiente ab ipso naufragante in ipso naufragio postquã bona sua accepit.

Ex hac conclusione sequitur, si quis huiusmodi bona surripiat ab eo, qui bono animo illa accipit, vt 3.

vero domino restitueret, nō excommunicari; quia, licèt in genere surripien tium sit primus, in genere accipiétium ex naufragio primus non est: nam primus surripiens hoc loco non dicit ordinem ad aliū surripientem priorem, sed ille censetur primus, quan do nullus alius præcessit, qui bona illa quomodocumque acciperet.

4. Cōclu. Secunda conclusio. Qui ex vi alicuius pacti antecedentis accipit à primo surripiente bona naufragantium, si pactum tale sit, quòd ratione illius dicatur concurrere ad furtum tanquam particeps illius, excommunicatur per hanc clausulam. Hanc tenet Suar. loco cit. Et probatur; In casu huius conclusionis homo ille dicitur fur, estq; particeps in primo furto prohibito; ergo est primus surripiens, atque adeò excommunicatur.

5. Vt hæc cōclusio meliùs intelligatur, dico primò omnes, qui dant auxilium ad faciendum primum furtum esse illius participes: vt quando latro nō potest nauim ascendere, nisi alter scalam ministret, aut eum humeris subleuet. Dico secundò esse etiam participes, qui mandant. Dico tertiò participes similiter esse receptatores, quando receptatio, vt furtū fieret, necessariò exigebatur, & sine qua non fieret: vel si merces occultent, quando ex tali occultatione furtū sequitur, vel perficitur.

Ad primum argumentū dicendum est secundū, vel tertium latronem non spoliare proximè, & immediatè patientem naufragium: de qua tantùm spoliatione loquitur Summus Pontifex, vt patet ex verbo, *Surripuerint*.

Ad secundum, etiam si admittamus secundum latronem manere excommunicatum ex vi canonis, quandò data opportunitate non restituit, censura tamen huius Bullæ eum ligari non concedimus: quanuis enim in vtroque casu detur furtum, non tamen eâdem

dem ratione in vtroque inuenitur, vt in Bulla prohibetur. Licèt etiam surripere mediatè, vel immediaté non variet malitiam, quoad absolutam rationem furti, & damni dati, sunt nihilominus diuersi modi surripiendi, supra quos diuersæ prohibitiones cadere possunt.

## DISP. XXXV.

### *Vtrum surripientes bona infidelium naufragantium hac clausula excommunicentur.*

1. PRO intelligentia huius quæstionis supponendum est bona, quæ ex naufragio surripiuntur, naues etiam, quibus asportabantur, & quæ passæ sunt naufragium, aliquando esse Christianorũ, aliquando verò infidelium. Infidelium nomine hoc loco intelligimus Gentiles, Turcas, Mauros, Iudæos, hæreticos, & apostatas.

Supponendũ etiam est bona Christianorum, vel asportari in ipsorum nauibus sicut etiam infidelium bona, vel é contra bona fidelium in nauibus infidelium, vel infideliũ in nauibus fidelium. Quod dupliciter euenire potest; primó si in illis de voluntate propriorũ dominorum asportentur: secundò, si contra eorum volũtatem hoc fiat; vt si infideles fideles proprijs bonis spolient, eaq; in nauibus suis deferant; aut è conuerso quando fideles infideles deprædantur.

Hoc posito, Graff. lib. 4. decis. c. 18. nu. 60. docet hanc censuram incurrere eos, qui bona Christianorum ex nauibus infidelium naufragiũ passis surripiũt: quod, inquit, verum est, etiam si bona illa Christianorum sint ab infidelibus capta iniustè. Ratio huius sentẽtiæ est, quia surripiẽs tenetur ea bona proprijs dominis restituere, non verò ipsis infidelibus.

Prima conclusio; Qui bona Christianorum naufragan- 2.

fragãtium surripiunt, siue in proprijs, siue infidelium nauibus pretio conductis asportentur, censurã huius canonis incurrit. Hanc tenet Graff. loco cit. & nu. 59. Probatur; Surripiens bona Christianorum naufragantium excommunicatur, vt patet in Bulla; sed bona illa per hoc quòd in nauibus infidelium pretio conductis asportantur, nõ desinunt esse illorũ, quoad dominium, vsum, & proprietatem; ergo qui illa surripit, excõmunicatur.

3. Cõclu. Secunda cõclusio; Surripientes bona infidelium naufragantium, quanuis in fidelium nauibus pretio conductis asportentur, per hanc clausulam non excõmunicantur. Hanc conclusionem tradunt Graff. vbi sup. Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 26. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 8. num. 7. Et ratio est, quia Summus Pontifex solùm loquitur de bonis Christianorum; asportati autem in nauibus fidelium non tollit, quominus bona infidelium sint; ergo. &c.

Dubitari potest hoc loco, vtrum nomine infidelium intelligantur hæretici, & apostatæ, qui ad Paganismũ, vel Iudaismũ recesserunt, cum ratione Baptismatis verè sint Christiani. Respondetur tamẽ cum Viuald. num. 3. & Say. citatis locis, non intelligi censuram huius canonis ferri in istorum bona surripientes, ac proinde ipsos comprehendi sub nomine infidelium. Probatur, quia Summus Pontifex videtur velle defendere solos Catholicos, neque enim par est, vt inimicorum Ecclesiæ bona sub tanta censura tueatur, iuxta ea, quæ diximus c. præced. disp. 30. Nomen ergo, *Christianorũ*, de solis Catholicis intelligendum est.

Tertia conclusio; Quando bona fidelium ab infidelibus sunt capta, licèt iniustè, non manet excommunicatus, qui illa ex naufragio surripit: quando verò fideles infidelium bona rapiunt, 4. 3. Cõclu sio.

rapiunt,qui surripit ex naufragio, excommunicatur. Probatur prima pars; quia bona,licèt quoad dominiũ sintChristianorum,quoad vsum,& possessionem sunt apud infideles; ergo non censentur bona naufragātium Christianorum, sed infidelium,de quorum bonorum surreptione censura nō loquitur. Secunda pars eâdem ratione ostenditur; nam cum possessio, & vsus bonorum infideliũ in hoc casu apud fideles inueniatur, ab illis immediatè surripi censentur.

5. 4. Cōclusio. Quarta conclusio; Qui surripit bona Christianorum, quæ in nauibus infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereāt, asportantur, non excommunicatur: si veró Christiani eâdem obligatione infidelium bona deferant, excommunicātur illa surripientes. Probatur ex eo, quia in primo casu bona illa non censentur fideliũ quoad damnum secutum ex naufragio, vel furto,cũ si pereāt, infidelib⁹ pereāt; atq; adeò cessat tota ratio censuræ, quæ est ne vero domino Christiano detrimentum aliquod ex naufragio sequatur: è contra euenit in secundo casu, cũ illa bona fidelibus pereant, eo quòd sunt apud Christianos quoad custodiam cum obligatione reddēdi.

Dubitari etiam potest, vtrùm,si Christiani piratæ naufragium faciant, excōmunicentur eorum bona surripientes. Sayr.vbi sup. num. 8. quanuis dicat consulendum esse de hac re SummumPontificem,probabile existimat huiusmodi surripientes non excommunicari,quià casus iste in iure excipitur, vt habetur in Auth. *Nauigia*. de furt. ius autem ciuile nō videtur derogari hoc loco, atque adeo accipiēdũ est vt explicatio, vt intelligamus, de quibus naufragantibus loquatur Sũmus Pōtifex. Eādē sentētiā defendit Vgol. hoc loco §. 3. vers. *Quintò*. qui idē dicit de rebus, quæ portabantur ad infideles. 6

7. Nihilominus quia hæc exceptio, quantùm ad primum assertum, fiebat in Bulla Pij V. iuxta quam surripientes bona piratarum Christianorum non excōmunicabantur, & in omnibus alijs Bullis similis exceptio non fit, sed absoluté de bonis Christianorum naufragantium loquūtur, manifestum est Summos Pontifices hunc casum noluisse excipere. Neque ad hoc opus erat derogari iuri communi, cum ius illud non sit legis Pontificiæ interpretatio. Solùm igitur valet exceptio ista iuris ad restringendas pœnas in eo contentas. Hæc opinio videtur probabilior, prima tamen tuta conscientia admitti potest. Quoad aliud verò assertum placet opinio Vgol. quia ad effectum impediendi iniquam illam delationem iusta est talis ablatio: si tamen per illud naufragium impedita omnino esset delatio, surripiētem non excusarem, quia ratio, quæ illum excusabat, cessat.

Ad argumentum initio factum respondetur hanc censuram non respicere primò, & per se restitutionem huic, vel illi faciēdam, sed ablationem bonorum Christianorum naufragātium.

## DISP. XXXVI.

### *Vtrúm surripientes bona, quæ tempore tempestatis ad exonerandam nauim iaciuntur in mare, aut statim peritura, hoc canone excommunicentur.*

1. Prima conclusio; Surripientes ea, quæ pro derelictis non habentur, quādo tēpore tempestatis ad nauim exonerādā in mare iactantur, censuram huius canonis incurrunt: secus verò, si habeantur pro derelictis. Hanc conclusionem docent Sylu. verb. *Naufragium.* nu. 2. Armil. eodem verb. num. etiam 2. Graff. lib. 1. Cōclusio.

lib.4. decis.c. 18.num. 60. Viuald. in Candel. in explant.Bullæ Cœnæ nu. 35. & Sayr. lib.3. de censf.c. 8. num. 8. & 9. Et probatur prima pars: Tempestas, quæ cogit proijci merces in mare, veluti naufragium reputatur, est enim nauis, hominum, merciumq; periclitatio; sed qui surripit eiecta ex nauibus quomodocumq, naufragium passis, excomunicatur, vt expressè habetur in Bulla; ergo si ea quæ surripiuntur, pro derelictis non habeantur, excommunicatio incurritur. Secunda pars ex eo est manifesta, quia ea

2. habentur pro derelictis, quæ dominus ea mente abijcit, vt ea in numero rerum suarum esse nolit, atq; adeó efficiuntur primi occupantis, vt habetur Inst. de rer.diuis.§. *Hoc amplius.*

Secunda conclusio; Qui

3. surripit res statim perituras, quas dominus alia via

2. *Cōclusio.* erat comparaturus, excommunicatur hoc loco, & ille etiam qui eas surripit, quas dominus comparaturus non erat. Hanc conclusionem tenent Doctores citati, quanuis secundam partem non absolutè defendant, sed in casu, in quo sine vitæ periculo res illæ é naufragio liberantur. Mihi tamen quoad excōmunicationem incurrendam nulla videtur distinctio facienda. Probatur conclusio quoad vtramque partē; Res illæ, quandiu non pereunt, ad verum dominum pertinent, nō enim ex naufragio illarum amisit dominium; ergo qui illas surripit, verum dominum naufragium passum spoliat, atque adeo excommunicatur, dummodo res illæ pro derelictis non habeantur. Quòd autem res cum vitæ periculo, aut sine illo liberentur, solùm facit vt verus dominus plus teneatur soluere pro labore in illis liberandis impenso, non verò dat iustum titulū eas retinendi.

Maior difficultas in hac 4.
materia est in explicando quę res habeātur pro derelictis, vt vnusquisque eas,

etiam ex naufragio tuta cõſcientia poſsit accipere. Pro cuius explicatione ſup ponendum eſt illud, quod notat Gloſſ. in Inſt. citata nimirum dupliciter contingere aliquem á ſe abijcere res ſuas, vt deſinat eſſe illarum dominus, ſeu duplici ex principio dignoſci poſſe res haberi pro derelictis; primò ex voluntate expreſſa proprij domini; ſecũdò ex interpretatione legis. Quãdo datur expreſſa voluntas, manifeſtũ eſt: quãdo verò id ex interpretatione legis iudicandũ ſit, eſt valde dubium: quod cõiecturis explicari ſolet. Prima eſt, ſi quis iactet res ſuas in mare abſq; neceſsitate. Secũda, ſi poſtquã res ſuas à ſe proijcit, eas, cũ poſsit, poſtea nullo modo quærit. Tertia, ſi eas taliter proijciat, vt conſeruari nõ poſſint, ſicut ſi quis librũ apertũ in mare proijciat. Quarta, ſi res proiectæ illico ſint perituræ, vt ſi oleum proijciatur in mare, cuius ſtatim ſit iactura, aut plumbũ, vel quid ſimile, quod nõ ſuper natat: dũmodo non coactè proijciantur. De qua re videri poſſunt l. *Falſus*. ff. de furt. l. *Qui alleuiandæ*. ff. ad leg. Rodi. de iactur. Panor. c. *Dilecti*. nu. 11. de accuſat. Syl. verb. *Naufragium*. circa finem, Sayr. num. 9.

5. Contra ſecundã conclu ſionem ſic arguitur; Quæ ſtatim ſunt peritura, habẽtut pro derelictis; ergo qui ea accipit ex naufragio, nõ excommunicatur; ſed quæ dominus nõ eſt cõparaturus, ita ſe habent reſpectu illius, cũ illi omnino pereant: ergo &c. Reſpõdetur ſtatim peritura tũc haberi pro derelictis, cũ á domino volũtariè proijciuntur, nõ verò ſi coactè hoc fiat, vt quando in tempeſtate ad exonerandam nauim proijciuntur, vel ex nauis fractione ad littus perueniũt.

6. Quæret aliquis, an nautæ accipiẽtes merces, quę forté in medio mari hinc inde fluctibus ferũtur, ſicut aliquãdo cõtigiſſe nouimus, cẽſura huiꝰ canonis inuoluãtur. Reſpõdetur nõ poſſe de hoc tradi vniuerſalẽ regulam,

gulam, sed attendendũ esse ad circunstantias, nimirũ ad locum, ad mercium qualitatem, & alia, cum huiusmodi merces esse possint non ex naufragio, quanuis probabilius sit ex illo esse, quod etiam fidelium, vel infidelium esse potuit. Si igitur ex qualitate mercium, & alijs circunstantijs constet ex naufragio fidelium esse, certum est sine huius canonis trãsgresione accipi non posse; sicut etiam si infidelium sint, accipientes eas non excommunicari: si autem res sit dubia, petenda est absolutio ad cautelã, si ab aliquo accipiãtur.

## DISP. XXXVII.

### *Vtrum accipientes bona ex naui, quæ vetustate, aut igne perijt, censura huius canonis innodentur.*

PArs negatiua hoc argumento suaderi potest; Summus Pontifex in hoc canone loquitur de bonis ex naufragio, quando nauis tempestate, seu in transuersum iactatur; sed quando nauis vetustate, aut igne perijt, non videtur, iuxta mentem Pontificis prædictis verbis explicatam, passa naufragium; ergo surripientes non excommunicantur. Quanuis igitur Summus Pontifex addat, *Quomodocumque naufragium passis*, debet hoc regulari per præcedentia verba, ita vt nanfragium ex tempestate præintelligatur.

1. Pro resolutione sciendum est naufragium (vt ex l. *Deprecatio.* & per totum ff. ad legem Rodi. de iact. & C. de naufrag. l. 2. colligit Syl. verb. *Naufrag.*) esse *quasi nauis fragium, siue fracturã, & dicitur nauis fracta, idest, periclitata, rerum, corporumq; submersio.* Ex qua naufragij descriptione patet nõ requiri ad illud, nisi quòd nauis cum ijs, quę in ea sunt, in totum, vel in partem pereat. Vnde quando nauis

nauis tempestate, incẽdio, vetustate, aut quauis alia de causa perit, vel ad saxa, seu arenam alliditur, dicitur naufragiũ passa. Quod etiam affirmandum est, quando nauis semifracta ex bello submergitur, vel ad littus iactatur. Nec opus est, vt nauis dicatur pati naufragium, quód hæc illi in nauigando, & discurrendo contingant, cum sufficiat hæc ei euenire, dum est in portu sub anchorá.

2. Conclusio. Hoc posito sit conclusio; Qui accipit aliquid ex naui, quæ igne, vetustate, vel alio modorum prædictorum perijt, hanc censuram incurrit. Hanc conclusionem tenet Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ. nu. 28. & ex dictis est manifesta, omnibus enim illis modis nauis naufragium patitur. Nauis nomine omne genus nauigij, triremis, vel cymbæ intelligitur.

3. Quæret aliquis, vtrùm hæc clausula intelligenda sit, quando cymba in flumine perit. Ratio dubitandi est, quia Summus Pontifex vult defendere bona miserorum naufragantiũ: quod si non fluminis, sed maris tantùm mentionem fecit, id fuit, quia naufragiũ in mari frequentiùs contingit, & de ijs, quę frequẽter eueniunt, loquitur lex, non excludens casus particulares. Respondetur tamen negatiuè cum Vgol. hoc loco §.3. vers. *Vndecimò*. quia Summus Pontifex solùm loquitur de naufragio, quod fit in mari; neq; ideo de fluuiali mentionẽ non fecit quia minus est, sed quia de eo legem sancire noluit, nec illa, cum sit pœnalis, extendenda est.

4. Si tamen ex naufragio maritimo aliquid accessu maris ingrediatur flumen, & in ripa illius inueniatur, idem de eo erit iudicium, ac de alijs rebus in littore ex naufragio maris inuentis. Ad rationem dubitandi patet solutio ex dictis. Vidẽda sunt quæ diximus supra c. præcedenti disp. 27.

Ad argumentum initio factum

factum dicẽdum est loqui Summum Pontificem de omni naufragio. Nec opus esse restringi hanc clausulam ad solum naufragium ex tempestate, vt constat ex verbo, *Quomodocumq;* & ex particula, *Vel,* quæ verbum illud præcedit: ex qua diuersus sensus manifestè colligitur.

## DISP. XXXVIII.

### *Quid de bonis naufragantium faciẽdum sit, & an leges, quæ de ipsis disponunt, iustæ censeri debeant.*

1\. CIrca dispositionem bonorum naufragantiũ nihil aliud in iure ciuili, aut canonico determinatum inuenio, nisi quód bona illa proprijs dominis reddantur, neque aliquis ea sibi, vel fisco acquirat. In Authent. tamen de naufragijs. l. 2. dicitur, quòd si dominus illorum intra annum ea non repetat coram iudice, non audiatur postea in iudicio. In Ordination. huius regni Lusitanię lib. 2. tit. 32. sancitum est, vt quando bona naufragãtium alicubi inueniuntur, si dominus intrà sex menses non appareat, tradantur ei, qui captiuorum causas, & libertatem ex officio procurat (qui á nostris dicitur, *Mempossieiro dos catiuos*) vt prædicta bona in redemptionem captiuorũ expendat; ea tamen lege, vt quandocumque verus dominus apparuerit, ei sua bona reddantur, soluto tamen pretio inuentori pro suo labore, & rei inuẽtione.

Vtrùm autem sit licita lex, quæ de huiusmodi bonis disponit, ac ea fisco, vel causæ piæ applicat, controuertitur. Pro parte affirmatiua stat Authent. citata, quæ post annum actionem in iudicio contra prædicta bona accipientem nõ admittit. Deinde, Rex, vel respublica de rebus inuentis dispo[illegible], & pro bono cõmuni, verũ dominũ 2.

bonis suis priuat: vt etiam cõtingit in præscriptione; ergo similiter de huiusmodi bonis potest disponere, & ea alicui applicare. Tandem de bonis, quorum domini ignorantur, fit iusta compositio; ergo de bonis naufragantium potest similiter fieri.

3. Cõclu Pro resolutione sit prima conclusio; Lex, quæ statueret vt naufragantium bona fisco, vel alicui causæ, etiam piæ illico applicarentur, iniusta esset. Hæc conclusio communis est. Eam tenent Caiet. in Summ. verb. *Excommu.* cap. 23. Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 118. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. numer. 56. Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 34. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 8. numer. 7. Et ratio est illa, quæ tangitur in c. *Excommunicationi.* de rapt. quia aflicto non est danda afflictio; secundùm enim regulam charitatis proximos, sicut nos ipsos, diligere tenemur, vt ibi notat Gloss. Deinde; Nemo debet priuari sine culpa, vel sine causa bonis suis; sed nulla datur iusta causa, vt miserorum naufragantium bona alicui statim applicentur; nec circa naufragium præsumitur culpa, cum casu contingat, & præter spem accidat; ergo lex, quæ prædicta bona illico applicaret, esset iniusta.

Secunda conclusio; Si facta tota diligentia morali vt deprehendatur quis sit talium bonorum verus dominus, ipse non appareat, licitum erit ea ad aliquos vsus applicare; dummodò vero domino comparenti, quidquid de illis extaret, redderetur, vel illud, in quo factus est ditior, qui illa expendit. Hãc conclusioné non adhibita ea moderatione, quam nos posuimus, tenent Suares, & Sayr. Et probatur secundo, & tertio argumento factis pro parte affirmatiua, quæ hoc saltem concludunt. Ex tertio ostenditur limitatio, quia quandocumque de bonis incertis compositio fit, semper 4. 2. Cõclusio.

per intelligitur facta cum obligatione ea reddendi domino comparenti; aliás esset illicita, & iniusta. Et confirmatur, quoniam lex sic facta non est contra intentionem veri domini, qui rationabiliter velle præsumitur, vt bona sua pijs causis applicentur, quãdiu ipse non apparet.

5. Argumenta initio facta, quatenus videntur esse contra primam conclusionem, soluenda sunt. Ad primum dicendum est Authent. illam esse intelligẽdam post factam diligentem inquisitionem moralem: qua etiam facta, non applicat bona illa in foro animæ, sed solùm ad sedandas lites, quæ oriri possunt, negat actionem in iudicio externo.

Ad secundum respondetur diuersam esse rationem de illis, ac de istis bonis, quia circa illa præsumitur negligentia, non verò circa ista, imò impotentia ad inquirendum, cùm rationabiliter præsumatur verum dominum ex naufragio redditum esse pauperem.

Ad tertium dicendum est probare secundam nostram conclusionem, nec facere contra primam. Nã bona, de quibus fit compositio, semper cum obligatione reddẽdi illa vero domino, si appareat, applicantur.

(:)

CAP.



# CAP. VI.

## *De imponentibus noua pedagia, seu gabellas.*

### TENOR BVLLÆ.

*Bulla vsuræ.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis noua Pedagia, seu Gabellas præterquã in casibus sibi á iure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

### *Notationes circa textum.*

MAteria huius cẽsuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 71. est libertas humana ab oppressione illicitarum gabellarum. Actiones prohibitæ sunt tres. Prima est, imponere in terris suis noua pedagia, seu gabellas. Secunda, pedagia, seu gabellas augére. Tertia, huiusmodi pedagia, seu gabellas exigere.

### DISP. XXXIX.

#### *Vtrum imponentes quodcumque tributum per hanc clausulam excommunicentur.*

1. PRO parte negatiua arguitur: Summus Põtifex non loquitur de tributis in genere, & absoluté, sed

ſed de duabus tantũ tributorum ſpeciebus, pedagijs, ſcilicet, & gabellis; ergo qui aliud ab his tributum imponit, non excommunicatur per hanc clauſulã. Conſequen. videtur bona, cum materia ſit pœnalis. Antecedens ex eo probatur, quia, vt docet Tabien. verb. *Pedagia*, in principio, & alij Summiſtæ, pedagiũ ſoluitur á tranſeuntibus pro habilitate viarum, pro fabrica, & conſeruatione pontium, ac cymbarũ vel nauium, quæ ad trãsferendum deputãtur. Gabella vero ſoluitur pro rebus mutatis. Huius opinionis videtur eſſe Caietan. loco ſupra citato, quatenus affirmat non incurrere hanc cenſuram imponentes nouas collectas, ſeu taxas. Quem ſequitur Sayr. lib. 3. de cenſ. c. 9. n. 10.

2. Pro reſolutione ſciendũ eſt, quanuis nomina, *Pedagium*, & *Gabella*, habeant peculiares ſignificationes, *Gabellam* ampla quadam, & generali ſignificatione accipi pro quacumq; exactione publica. Ita docet Syl. verb. *Gabella*. in principio. Quod etiã de verbo, *Pedagium*, dicendum eſt, vt notat Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 65. hæc enim vocabula accipiuntur vulgari, & vſitata ſignificatione pro quacunque exactione non libera, ſed quæ ex obligatione, & legali ordinatione ex priuato in publicũ, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus tribuitur.

Hoc poſito, ſit concluſio; Quicumque in terris ſuis quodcumque genus tribũti, quocumque nomine appelletur, imponunt, præterquã in caſibus ſibi à iure, ſeu ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, per hanc clauſulam excõmunicantur. Hanc concluſionem tenent Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 61. Graff. loco citat. Viuald. in Candel. in explanat Bullæ Cœnæ, num. 37. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 21. Vgol. hic. §. 3. verſ. *Secundò*, & Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. num. 41. Et probatur, tum quia nomina abſolutè 3. *Concluſio.*

poſita

posita in lege explicantur secundùm communem, & vsitatam acceptionem, relicta propria, & germana significatione; tum etiam ex identitate rationis, quoniam hæc censura imponitur, ne populus nouis exactionibus grauetur; sed eadem est ratio de vno atq; de alio tributo, quoad hūc effectum; ergo de omnibus hæc censura intelligitur.
4 Et confirmatur, quonam, vt docet Abb. in cap. *Ex tenore*. qui filij sint legit. num. 5. & 6. quem sequitur Graff. loco cit. lex pœnalis qualis est excōmunicatio, extēditur quādo per talem extēsionē euitatur periculum animarū, & homines à contractibus illicitis retrahuntur, quæ sententia probabilis est; ergo quanuis verba illa in rigorosa significatione non accipiātur pro omni tributo, & exactione, ad illam extendenda sunt.

Ad argumentum in cōtrarium patet solutio ex dictis.

## DISP. XL.

### *Vtrum omnes habentes potestatem ad imponendum tributum ab hac censura eximātur.*

Ratio dubitandi in hac materia ea est, quód antiquæ Bullæ excommunicabant omnes potestatē non habentes, qui in terris suis noua imponenbant pedagia, vt videre est apud Nauar. in Man. cap. 27. n. 61. hoc tamen loco, & in alijs Bullis recentiorū Pōtificum non ita excommunicatio fertur, sed in eos sancitur, qui huiusmodi pedagia imponūt præterquam in casibus sibi á iure seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis. 1.
Ex quo infertur, cùm in iure nō inueniatur expressum posse supremos Principes in casibus determinatis tributa imponere, frustra posita fuisse huiusmodi

modi verba. Infertur etiã imponẽtes tributa ex Principum concesſione manere excommunicatos, cum hoc in iure expreſſum non ſit.

2. Pro reſolutone ſupponendum eſt eſſe aliquas perſonas, quibus licet in terris ſibi ſubiectis tributũ imponere, vt ſupremi Principes, videlicet, Imperator, Reges, Reſpublicæ, quæ ſuperiorem non habent, Summi Pontifices, & Cõcilia generalia legitimè congregata. Ita Doctores communiter, Ioan. And. & Panorm. in c. *Innouamus*. de cenſibus Salicet. in l. *Vectigalia*. C. noua vectig. inſt. non poſ. Syluest. verb. *Gabella*. 3. num. 2. Salon de trib. art. 3. controu. 1. Emman. Rod. in Summ. tom. 2. cap. 72. num. 2. Mol. de iuſt. & iur. tract. 2. diſp. 666. Pet. Led. in Summ. tom. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 20.

3. Supponendum etiam eſt poſſe ſupremos Principes, interueniente iuſta cauſa, facultatem imponẽdi tributum alicui concedere. Quæ etiam conſuetudine ab antiquo, cuius initium hominum memoriam ſuperat, acquiritur, vt inter alios tradunt Sylu. verb. *Gabella*. 3. num. 3. Armilla eodem verb. num. 7. Tabien. verb. *Pedagium*. nu. 2. Emman. Ledeſ. & Mol. citatis locis.

His poſitis, ſit concluſio; Per hanc clauſulam excommunicantur omnes, qui tributa imponunt, ad id poteſtatem non habentes: habentes autem ad impoſitionem tributi legitimam poteſtatem, ex quacumque iuſta cauſa eis cõpetat, excommunicationẽ huius canonis nõ incurũt. 4. *Concluſio.* Hanc cõcluſionem tenẽt. Graff. lib. 4. deciſ. cap. 19. num. 66. & ſequentibus. Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. numer. 36. Sayr. lib. 3. de cenſ. cap. 9. á num. 13. vſq; ad finẽ capit. Et probatur; Summus Pontifex non intendit per hanc clauſulam auferre poteſtatem imponendi tributa ab ijs, qui iure illam poſſident, ſed ſolùm ne poteſtatem non habentes

habentes eam vſurpent, populumque nouis gabellis opprimant; ergo omnes habentes legitimam poteſtatem ab hac cenſura eximuntur, quæ eos comprehendit, quibus imponendi tributa facultas nō cōpetit.

Ad rationem dubitandi dicendum eſt hanc clauſulam ampliorem eſſe anti. qua, vt ſequenti diſput. fiet manifeſtum: deinde verba illa, *Præterquam in caſibus. &c.* non ita eſſe intelligenda, quaſi ea omnia reprobet, quę in iure expreſſa nō ſunt; ſufficit enim, vt aliquid iure cenſeantur conceſſum, quód in eo, vel formaliter, vel virtualiter contineatur.

## DISP. XLI.

### *Vtrùm habentes poteſtatem ad imponendū tributum, ſi aliquod ponant iniuſtum, hanc cenſuram incurrant.*

IN impoſitione tributi ex multis cauſis poteſt prouenire iniuſtitia; videlicet ex parte cauſæ efficiētis, materialis, formalis, & finalis. Ex efficiente tunc contingit iniuſtitia, cum tributū á non habente poteſtatem imponitur. De qua iniuſtitia egimus diſput. præcedenti. Ex materiali, cum tributum imponitur ſupra materiam indebitam, vt ſunt illa, quę non negotiationis cauſa, ſed ob neceſſariam ſuſtentationem emuntur. Ex formali, quando non ſeruatur ratio diſtributiuæ iuſtitiæ, vt ſi plus ſoluat, qui minus erat ſoluturus; vel ſi ſoluant priuilegiati, & exempti, vel etiam ſi non ſeruetur proportio inter cauſam, ab quam tributū imponitur, & ipſum tributum, ſicut ſi plus exigatur, quam poſtulet neceſsitas. Ex finali, ſi tributum pro bono publico nō imponatur. 1.

2. Hoc poſito, Tabien. verb. *Pedagium.* numer. 6. docet

docet manere excommunicatos imponentes iniusta tributa, siue iniustitia proueniat ex causa efficienti, siue finali, siue materiali; formalis vero causæ non meminit. Eandem sententiam sequitur Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 66. 67. 68. addens tamen causam formalem. Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 61. §. *Tertia*. asserit non excommunicari in hac clausula, nisi eos, qui ad imponendum tributum potestatem non habent. Vnde si iniustitia cõtingat ex parte alterius causæ, quám efficientis, Bullæ excommunicatio non incurritur. In eâdem sententia est Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 21. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 9. numer. 5. 6. & 7. Ratio huius sententiæ est, quia per hanc clausulam non prohibentur iniusta tributa, sed noua.

3. Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ numer. 39. dicit tunc imponentes, aut exigentes à Clericis tributum excommunicari, quando tale tributum nec à sæcularibus exigere licet. Vndè videtur insinuare non sufficere iniustitiam ex parte causæ formalis, vt excommunicatio huius capitis incurratur. Idem sentit Suares de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 39. & 40. Et ratio est, quia hoc non est imponere tributum in casu sibi non permisso, sed modo sibi non permisso. Quapropter, si rex in casu, in quo licitum est tributum imponere, illud Clericis imponat, non excommunicabitur ex vi huius clausulæ, quanuis per aliam excommunicationem incurrat, eo quòd facit contra libertatem Ecclesiasticam. Item si aliquibus tributum imponat, non veró alijs in quibus eadem ratio reperitur, cõmittit quidem peccatum acceptionis personarum, non tamen per hãc clausulam excommunicabitur; quia si tale tributum respiciat tantùm personas, nõ imponitur à Rege in terris suis (quod ne-

cessarium est ad incurrendam censuram huius canonis) si verò respiciat territorium ipsum, non delinquit imponendo tributum in casu sibi non permisso.

4. Pro resolutione sit prima conclusio; Probabilis

1. Cōclusio. non est sententia, quæ asserit non incurri hanc excommunicationem, nisi iniustitia ex defectu causæ efficientis proueniat. Probatur; In hac clausula non tantùm excommunicat Summ. Pontif. eos, qui imponunt tributum, ad illud imponendum legitimam potestatem non habentes, sed etiam, qui illud imponunt in casibus sibi non permisis: cum ergo dentur multi casus in quibus non licet tributum imponere, non verificarentur verba huius censuræ, si solùm intelligerentur de nō habentibus potestatem. Deinde, quia mens Sūmi Pontif. potiùs videtur respicere excessus habentiū potestatem, quam non habentium; eo quòd non habentes, si velint tributum imponere, facile à superioribus, cum illos habeant, cohiberi possunt: habētes autem potestatem, quia superiorem non agnoscūt, non est á quo cohibeantur, facileque in imponendis tributis possunt excedere.

5. Secunda conclusio; Qui 2. Cōclusio. imponunt tributum iniustum ex parte causæ finalis, aut materialis per hanc clausulam excommunicātur. Probatur; In hac clausula excōmunicantur imponentes tributū in casibus sibi nō permisis, atqui non solùm est casus non permissus quando deest potestas, sed etiam quando materia, supra quam tributum imponitur, est indebita, & quando deest finis, vt est manifestum; ergo ex quacumque istarum causarum tributū sit iniustum, excommunicatio incurritur.

6. Tertia conclusio; Non 3. Cōclusio. incurritur excōmunicatio huius canonis, quando iniustitia solummodo contingit ex parte causæ formalis.

malis. Hanc conclusionē probat prima ratio pro vltima sententia adducta, cum hoc non sit imponere tributum in casu non permisso, sed modo non permisso. Et hinc est quòd imponētes tributum Clericis, quando licitum est illud laicis imponere, non excommunicatur ex vi huius clausulæ, vt docent Caietan. Nauar. Viuald. Suar. & alij: quidquid sit in alijs clausulis, vt infra patebit.

7. Quę diximus, intelligenda sunt non modó quando tributum est reale, sed etiā quando est personale: nam verba illa, *In terris suis*, nihil aliud significant, quàm, in suo regno, vel in sua prouincia, seu in ea parte, vbi iurisdictionem habent: nō veró respiciunt solam terram, quasi in terra, vel in terrę fructibus tantùm imponendum sit tributum.

8. Dicet aliquis; Quando tributum est solùm personale, si imponatur Clericis, imponitur supra indebitā materiam, ac proinde imponens hac censura ligabitur; sunt enim Clerici materia indebita. Respondetur tamen tributum personale, cum imponatur ratione subiectionis, imponi posse omnibus subiectis, quales etiam sunt Clerici, vt infra dicemus, quanuis sint exempti; subijciuntur enim quoad bona temporalia, & etiam in aliquibus quoad gubernationem politicam, estque Rex Clericorū Rex. De qua re Vict. de potestate Ecclesiastica, Relect. 1. sect. 7. præsertim num. 4. Vnde dicendum est non manere excommunicatos per hāc clausulam sic imponentes tributum, eo quòd exceditur modus, non potestas.

Ex dictis patet quid sit dicendum ad rationem in contrarium.

Quæret aliquis, vtrùm Tyrannus imponens tributum contra prohibitionem huius canonis, seu in casibus non permissis in ijs terris, quas tyrannicé occupat, excommunicetur. Ratio dubitandi est, 9.

k quia

quia non imponit illud in terris suis. Respondetur tamen affirmatiuè nam verba illa, *In terris suis*, non intelliguntur solùm de habentibus veram, & legitimam potestatem, sed etiã de illis, qui cùm supremam potestatem exerceant, vel dominatiuam etiam non supremam, tributum impo nunt, vt colligit Vgolin. hic §. 3. vers. *Quintò*. ex l. *Pupillus*. §. fin. ff. de verb. signi. l. *Siquis seruos suos*. ff. de leg. 3.

10. Quod diximus de impo nentibus tributum, intelligendum est similiter de illud exigentibus, vt habetur in ipsa Bulla ex illis verbis, *Prohibita exigunt*. Vbi notandum est particulam, *Prohibita*, non intelligi de tributis quocumque modo prohibitis, sed de illis quæ per hanc clausulam prohibentur, iuxta ea quæ dicta sunt, vt notat Suares num. 43. Excommunicantur ergo per hanc particulam omnes ministri, vel famuli exigentes huiusmodi tributa, conductores, hęredes imponentis, qui ea exigi mandant, vt docent Caietan. in Summ. verb. *Excommunic*. cap. 71. Nauar. num. 61. §. *Quarta*. Graff. num. 69. Tolet. & Suar. vbi supra. Sayr. num. 8. & communiter omnes. Si tamen tributa sponte soluantur, non incurrunt hanc excõmunicationem, qui illa exigunt, vt, præter citatos Doctores, tenet Viuald. num. 38. At non dicitur sponte soluere, qui tributa, vt debita, soluit, tunc enim non sponte, sed coactè soluere censetur. De qua re inferiùs disputabitur. De alijs verò ad tributum spectantibus egimus in 2. 2. quæ, vita comite, in lucẽ dabimus. 11.

CAP.

# CAP. VII.

## *De falsificantibus literas Apostolicas.*

### TENOR BVLLÆ.

*6. Bullæ censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum, gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falsó fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò signantes Supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

### *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius cẽsuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommuni.* c. 26. est sacrilegium, quo offenditur Sedes Apostolica in falsificatione suarum literarum. Actiones in ea prohibitæ sunt quatuor. Prima, falsificare literas Apostolicas, etiam in forma Breuis. Secunda, falsificare supplicationes gratiam

tiam, vel iustitiam concernentes per Romanũ Pontific. aut Vicecancellarios, aut eorum locum gerẽtes, aut de mandato Romani Pontificis signatas. Tertia, falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis. Quarta, falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut prædictorum vices gerẽtium.

2. Hæc censura antiqua est in iure, habetur in cap. *Ad falsariorum*. de crim. falsi. Circa eius intelligentiam videndi sunt Caiet. vbi supra. Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 22. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 10. n. 4. vsque ad 7.

3. Literæ Apostolicæ, vt notat Graff. lib. 4. decis. c. 18. num. 74. & 76. dicuntur Bullæ plumbeo sigillo signatæ, quæ á Datario, idest, Ecclesiæ Notario cũ sigillo, & subscriptionibus solitis expediuntur. Breuia veró dicũtur rescripta sub nomine Papæ expedita, nõ tamen tam amplo stylo, sed breuibus characteribus descripta. Differunt hæc inter se, quia Breuia cera rubea signantur: literæ verò plumbeo sigillo.

Supplicationes sunt petitiones in scriptis, quæ fiunt superiori; & iuxta subiectam materiam, quæ fiunt Papæ, Vicecancellario, vel eorum vices gerentibus. Huiusmodi supplicationes, si propriè accipiantur, fiunt ad instantiã partis, vt notat Innocent. in c. *Ex literis*. de in integ. restit. & ibi Abb. Secundùm tamen communem loquẽdi vsum tam quę fiũt ad instantiã partis, quám quæ motu proprio Papæ concedũtur, dicuntur supplicationes, continentq; gratiam, vel iustitiã. Supplicationes gratiam concernentes sunt illæ, quibus petitur aliquid gratiosè sibi concedi, vt pote beneficiũ Ecclesiasticum, arg. Clem. *Gratiæ*. & Clem. fin. de rescript. Et dicũntur gratiã continere, quoniã petitur id quod ius nõ cõcedit, est enim gratia quoddã quasi pri- 4.

priuilegium contra legem cõceſſum. Supplicationes autem iuſtitiam concernẽtes ſunt eæ, quibus quis petit id, quod ius cõcedit, ſed alio modo, vt potè vt detur ſibi iudex, & vt cauſa alicui cõmittatur, argu. toto tit. de offic. leg. & dicũtur ſupplicationes, quoniã ſuperior iudicem ei dare non tenetur, ex quo habet iudicem. Dicuntur etiam de iuſtitia, quia vult vt iudex datus ſecũdùm iuſtitiã

5. cauſam definiat. Et quia vſus loquendi præfertur ſignificationi propriæ termini, etiam in lege pœnali, & odioſa, vt docent Barth. in leg. *Non dubium.* C. de legib. Abb. in proœmio Decretal. & in c. *Per tuas.* de probationib. & Tolet. vbi ſup. efficitur, vt ſupplicationes hoc loco iuxta hanc cõmunem acceptionem ſumantur. Huiuſmodi ſupplicationes dicũtur *Signaturæ*, cùm Sũmus Põt. aut Vicecancellarius ſubſcribunt, *Fiat*; vt ex Nauar. in Man. c. 27. n. 62. notat Graff. num. 67.

Ex contextu huius Bullæ ſequitur non excommunicari per illum falſificantes literas Legatorum, nec Summorum Pœnitentiariorum Papæ, nec Nunciorum, nec Archiepiſcoporum, vel quorumcumq; inferiorum Prælatorum, ſed Summi Pontificis etiã non conſecrati, vt notat Vgolin. hic §. 2. verſ. *Poſtremò.* Hoc tamen intelligendum eſt de literis Põtificis, vt Pontifex eſt, non verò de illis, quas vt particularis perſona mittit. Ita Vgolin. §. 3. verſ. *Sextò.* 6.

## DISP. XLII.

### *Vtrùm quomodocumq; falſificantes literas Apoſtolicas hoc loco excommunicentur.*

IN hac difficultate Hoſti. in Sum. tit. de crim. falſ. §. *Porrò.* Panorm. in cap. *Ex literis.* nu. 5. de fide inſtru. Syluest. verb. *Excommu. 7.* numer. 8. §. *Corrigentes.* & 1.

 Caiet.

Caietan.verb. *Excommu.*c. 26.docet mutantes etiam literam vnam in literis Apostolicis manere excõmunicatos. Quorum sententia sic probatur: Olim in priuilegijs Summo Pœnitentiario concessis erat, quòd posset absoluere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem literæ, vel puncti in literis Apostolicis, sensu non mutato; ergo quæcũq; mutatio in literis Apostolicis sufficiens est ad incurrendam censuram huius canonis. Et confirmatur, quoniam mutans literam vnam est verè falsarius.

2. Cõtrariam sententiam defendunt Ricard. in 4. dist.12.artic.12. quæs. 4.S. Anton 3.p.tit.24. cap.16. Tabien. verb. *Excommun.* 5.casu.5. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 61. §.*Sexta.* Graff. lib.4. decis.cap.18. num.78.Viual.in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ numer. 53. & 54. Tolet.in Summ.lib.1.cap.22. Vgol. hic §.3.vers.*Secundò.* Suar. de cens. disp.21.sect. 2.nu. 46.& 47. & Sayr. lib.3.de cens.cap.10. num.11. Qui omnes dicunt nõ omnem mutationem in literis Apostolicis esse peccatum mortale,sed illam tantùm, qua sensus, & substantia mutatur; variant tamen in fundamento, nam Tolet. & Sayr. ideo sententiam istam amplectuntur, quia in antiquis Bullis apponebantur hæc verba, *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut literam &c.* quę modó non apponuntur. Alij, licèt hoc fundamentum non negent, alio ducuntur, videlicet mutationem literæ,vel puncti rem esse parui momenti, nec esse materiam peccati mortalis,ac proinde ex tali mutatione non incurri censurã,quæ sine peccato mortali non incurritur.

Pro resolutione aduertendum est,falsificare literas Apostolicas multis modis posse contingere, vt habetur cap.*Licet.* de crim. falsi, & si attendamus ad ipsam scripturam, tripliciter fieri posse: per additionem; 3.

nem; per minutionem, radendo aliquid ex ipsis literis; vel per mutationem. In huiusmodi autem falsificationibus aliquãdo mẽs Pontificis mutatur, videlicet apponendo, quod ipse apponere nolebat, aut detrahẽdo quod ipse volebat explicare. Aliquando etiã fit mutatio sine mutatione mentis Pontificis: & hoc dupliciter; primò, si mens Pontificis nõ mutetur, sed Grammaticalis tantùm error corrigatur; secundo, si mutatio fiat ad mentem Pontificis secundùm se, nõ tamen pro vt in literis explicatur; vt si Sũmus Pontifex dispenset cum aliquo in secundo gradu, & per errorem dicatur in literis quòd dispensat in tertio; tunc si quis loco tertij gradus poneret secundum, mutaret quidem sensum literarũ, non tamen faceret contra mentem Pontificis. Possunt etiam mutari, & falsificari literæ Apostolicæ per falsificationem sigilli, mutando scilicet cereum in plumbeum, vel plumbeum in cereum.

Hoc posito sit prima cõclusio; Quotiescumque mutatur sensus literarum Apostolicarum contra mẽtem Põtificis, quanuis hoc fiat per mutationem vnius literæ, vel puncti, incurritur censura huius canonis. In hac conclusione omnes conueniunt, estque manifesta, cum hæc mutatio sit in re graui vera, & formalis falsificatio literarum Apostolicarum. 4. 1. Cõclusio.

Secunda conclusio: Si quis falsificauit literas Apostolicas, quanuis illis nõ vtatur, excommunicatur per hunc canonem: si verò rasit aliquam clausulam animo addendi nouam, & postea pœnitentia ductus eandem scripsit, non excommunicatur. Hanc cõclus. tenet Graff. num. 79. & 80. Probatur quoad primam partem, quia in eo casu datur vera literarum falsificatio; nec Summus Pontifex loquitur de vtentibus, vel non vtentibus literis falsificatis, vt disp. seq. dicemus, sed de fal- 5. 2. Cõclusio.

 sifican-

ſificantibus. Secunda pars ex eo colligitur, quia in caſu illius nulla datur mutatio, & animus non ſufficit ſine falſificatione ad cenſuram incurrendam.

6. 3. Cõclu ſio. Tertia concluſio: Quãdo ſolùm Grammaticalis error in literis Apoſtolicis corrigitur, non incurritur hæc cenſura. Hæc concluſio eſt Doctorum, quos ſecundo loco citauimus. Et probatur; Qui Grammaticalem errorem corrigit, non eſt verè falſarius, ita vt de crimine falſi puniri poſsit; ergo non excommunicatur. Nam hoc loco prohibetur literarum falſificatio, quæ vera, & propria non datur per ſolam materialem mutationem, ſed requirit formalem, ad quam neceſſaria omnino eſt ſenſus mutatio.
7. Anteced. probatur, quoniam, vt ex Hoſt. docent Sylu. verb. *Falſarius.* numer. 1. Armill. eodem verb. & num. Viuald. vbi ſup. num. 47. vt quis puniatur de crim. falſi, tria requiruntur: primum, mutatio veritatis; ſecundum, quod mutetur cum dolo; tertium, cum præiudicio: definitur enim falſitas quòd ſit *mutatio veritatis cum dolo, & iactura*, quorum nullum in caſu concluſionis inuenitur: nam veritas non mutatur, cùm idem ſenſus maneat; nec datur dolus, cum mutatio ad decipiendum non fiat; nec denique ex mutatione malum aliquod ſequitur, imò bonum, cum error emendetur. Et confirmatur, quia, vt habetur in cap. *Ex conſcientia.* de crimine falſi, per raſuram Bullæ in loco non ſuſpecto non datur falſitas. Hoc etiam latè probat Salzedo in Practic. criminal. canonic. c. 117.

Quarta concluſiio; Quãdo mutatio fit ad mentem Pontificis ſecundum ſe, ſed cõtra id quod in literis habetur, probabilius eſt incurri cenſuram huius canonis. Tenent hanc concluſionem authores primę ſententiæ, & cum eis Suar. vbi ſup. Probatur, quoniã hæc 8. 4. Cõclu ſio.

hæc mutatio eſt magni momenti; & licét mens Summi Pontificis fuerit conceſsionem facere iuxta mutationem factam, intentio eius non eſt, vt error literarum per alios, quàm per miniſtros ad id deputatos corrigatur. Deinde; Non licet nouas literas fabricare in prædicto caſu, & loco aliarum ſupponere; ergo neque iam expeditas ſic mutare. Tandem; In hac cenſura non prohibetur falſificatio mentis Pontificis, ſed literarum Apoſtolicarum, quod in caſu concluſionis re vera contingit. Quod hactenus diximus de falſificatione, & mutatione literarum, intelligendum ſimiliter eſt de falſificatione, & mutatione ſigilli; vt ſi ex plumbeo in cereum, vel ex cereo in plumbeum mutetur. Mutatio autem fili, ſeu chordæ, quibus ſigillum appenditur, ex vno colore in alium, res parui momenti videtur, niſi ex hoc literæ falſæ, & inualidæ iudicentur.

9. Ad argumentum initio factum reſponderi poteſt, conceſsionem illam Summo Pœnitentiario factam intelligendam eſſe iuxta quartam concluſionem, quia in illa concedimus mutari literas non mutato ſenſu, quem Summus Pontifex intendebat. Et eodem modo poſſunt explicari ea, quæ in antiquis Bullis apponebantur: vt *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, vel literam. &c.* quód intelligantur quando per mutationem puncti, aut literę, vel mutatur mens Pontificis, vel ſi retineatur, literarum ſenſus euertitur. Ad confirmationem reſpondetur ex probatione ſecundæ partis ſecundæ concluſionis: non enim, ſi iuxta doctrinam canonũ, & Doctorum loquendum ſit, illa mutatio in literis cenſetur earum falſificatio; & quanuis id admitteremus, falſificatio eſſet in re parui momenti, quæ ad peccatum mortale non ſufficit. Nam falſifi-

10.

falsificatio nulli nociua pœna ordinaria non punitur, vt ex communi sentētia docet Salzedo loco supra citato.

## DISP. XLIII.

## *Vtrùm falsificantes literas, quæ euanuerunt, aut vtentes falsificatis hoc loco excommunicentur.*

1. Concluſio. PRima conclusio; Falsificantes literas Apostolicas, quæ iam euanuerunt, reddendo illas vtiles, ex cōmunicantur hoc loco. De hac conclusione dubitari nō licet, perinde enim se habet reualidare literas, quæ expirarunt, ac alias de nouo fingere, vel iam expeditas mutare; sed hæc vt censura incurratur, sufficiunt; ergo & illud.

2. Cōclu. Secunda conclusio; falsificantes prædictas literas Apostolicas nō reddendo illas vtiles, non excommunicantur per hanc clausulam. Hanc tenent Ricard. in 4.d.18. artic.12. quæst.3. Sylu. verb. *Excommun.* 7. num. 10. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 169. Graff. lib.4. decis.c. 18. num.83. & Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 52. Et probatur; Mens Summi Pontif. est impedire ne prætextu literarū Apostolicarū aliquid fiat, vel prohibeatur; ergo falsificatio literarū, quæ nulli prodesse, aut nocere potest, non prohibetur.

Tertia conclusio; Vtentes literis falsificatis, hac censura non ligantur. 3. 3. Conclusio. Hanc conclusionem tenēt Nauar. vbi supra cap. 27. num.62. Graff. numer. 85. Viuald. numer. 50. Vgolin. hoc loco §. 3. vers. *Octauò.* Suar. de cens. disp.21. sect. 2. num. 48. Et probatur, quia diuersum quid est falsificare literas, & vti falsificatis, vt constat ex capit. *Ad falsariorum.* de crim. falsi, vbi tanquam actiones diuersæ distinctè prohibētur, sed Summus Pontifex hoc loco solùm meminit falsi-

falsificantium; ergo non vult alios comprehendere. Dixi non ligari hac censura vtentes literis falsificatis (quales sunt, qui scientes, vel scire debentes illas esse falsas, eis vtuntur) quia in dicto cap. *Ad falsariorum.* certum est excõmunicari.

## DISP. XLIIII.

### *Vtrùm impetrantes literas obreptitias, vel subreptitias, tanquam falsarij excommunicentur.*

1. PArs affirmatiua suadetur ex cap. *Ad falsariorũ.* de crim. falsi: vbi literæ obreptitiæ, vel subreptitiæ dicuntur falsæ, excommunicantur enim eo loco, qui falsas literas impetrant; vbi fit distinctio inter falsificãtes literas, & falsas impetrãtes. Sensus ergo est; falsas literas, idest quæ falsam narrationem, vel falsam informationem continẽt.

2. Pro resolutione huius difficultatis sciendum est literas subreptitias eas esse, quæ ad petitionem, in qua falsitas exprimitur, vel veritas tacetur, expediuntur: obreptitias verò, quę expediuntur, quãdo sub inuolucro verborũ sic inuolutè supplicatur, vt Papa veritatem nõ percipiat. Hi tamẽ termini aliquando cõfunduntur, vt notat Graff. lib. 4. decis. c. 18. n. 74.

Hoc posito, sit conclusio; Impetrantes literas subreptitias, vel obreptitias, non excõmunicantur hoc loco: incurrũt tamen pœnas c. *Ad falsariorum.* Hæc conclusio communis est: eam docent Nau. in Man. c. 27. n. 62. §. *Quarta.* Graff. vbi sup. num. 75. Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ. n. 51. Vgol. hic. §. 3. vers. *Quartò.* & Suar. de cẽs. disp. 21. sect. 2. n. 50. Et ratio est, quia huiusmodi literæ verè à Cancellaria Papæ procedunt, ergo quoad expeditionem non sunt falsæ, ac proinde impetrantes illas non excommunicantur. Quòd autem incurrant pœnas dicti cap. 3. *Conclusio.*

*Ad falsariorum*. ex illo constat manifestè.

4. Ad argumentum in cōtrarium respōdetur literas illas non esse falsas quātū ad expeditionem; de quibus censura huius canonis intelligitur: & sic qui eas impetrant, non dicuntur falsarij. Dicuntur tamen literæ falsæ, non propriè sed quasi præsuppositiuè, quia scilicet supposita narratione falsa expediuntur.

## DISP. XLV.

### *Vtrùm defensores, & fautores falsificātium literas Apostolicas, vel illas per alios falsificantes, in hac clausula comprehendantur.*

1. .Cōclusio. PRima cōclusio; Defensores, & fautores falsificantium literas Apostolicas, vel illas per alios falsificantes non excommunicantur per hanc Bullam. Hanc conclusionem tenet Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 81. & Suar. de cens. disput. 21. sect. 2. num. 48. Et probatur, Summus Pōtifex in hac Bulla de solis falsificantibus loquitur; ergo fautores, & defensores non excommunicantur per illam: nam, cùm lex sit pœnalis, extendenda non est. Quòd verò falsificantes per alios non excommunicentur, ex eo probatur, quia in cap. *Ad falsariorum*. de crim. falsi, vbi Summus Pontifex falsificantes per alios excommunicare intendit, id expressè declarauit; ergo cū hoc loco id non fecerit, eos comprehendere noluisse presumendum est.

Secunda conclusio: Defensores, & fautores falsificantium literas Apostolicas, ac eas per alios falsificantes excommunicantur in iure; vt habetur in dicto cap. *Ad falsariorum*. 2. 2. Cōclusio.

Censura tamē huius cap. reseruata non est.


# CAP. VIII.

## *Contra deferētes vſui belli idonea ad infideles, & eis reuelantes pertinentia ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ.*

### TENOR BVLLÆ.

1.

*7. Bullæ censura.*

Tem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos per noſtras, ſiue huius ſanctæ Sedis ſententias expreſſè, vel nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumēta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quàm alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciē & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos], in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant

præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſsis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

## Notationes circa textum.

2. MAteria huius cẽſuræ eſt ſacrilegium contra Rempub. Chriſtianam cõmiſſum, vt docet Caiet. in Summ. verb. *Excommu.* cap. 20. finis autem eſt ne quis inimicis Crucis Chriſti contra Catholicos auxilium præſtet. Diuiditur hic canon in duas partes; in prima excomunicantur aliquot genera perſonarũ: in ſecunda priuilegia ſuper delatione harum rerum prohibitarum annullãtur. De hac materia habetur in iure l. 1. C. quę res export. non deb. & l. *Cotem.* ff. de public. c. *Ita quorundam.* & cap. *Olim.* & c. *Ad liberandũ.* de Iudæis. Extrauag. *Multa mẽtis.* de Iudæ. & alias ſæpe.

3. Circa primam partem ſciendum eſt excommunicari in ea quinque genera perſonarum. Primũ, deferentes res hoc loco prohibitas ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos per Sedem Apoſtolicam declaratos. Saracenorum, & Turcarũ nomine intelliguntur omnes Mahometicæ perfidiæ ſectatores. Nomine inimicorum Chriſtiani nominis, Iudæi, & Pagani. Hæreticorũ nomine apoſtatæ, dummodo declarati ſint per Sedem Apoſtolicam. Quæ declaratio fit, quando eorum regna, prouinciæ & ciuitates, vt hæreticorum, á Sede Apoſtolica declarantur, ſicut noſtris temporibus declaratũ eſt Angliæ regnum, aut quan-

quando ipsi expressé, vel nominatim declarantur. Secundum, qui prædictos de rebus statum Christianæ reip. concernentibus in Christianorum perniciem per se, vel per alios certiores faciunt. Tertiũ, ad id dantes auxilium. Quartum, dantes consiliũ. Quintum, dantes fauorem quomodolibet.

4. Res, quæ ad prædictos infideles deferri prohibẽtur, tredecim sunt. Primò equi; per quos intelliguntur etiam debiles, claudi, & morbosi. Ita Nauar. in Manu. cap. 27. num. 63. §. *Tertia.* muli etiam, & asini, & quæcumque animalia, quæ ad sarcinas asportandas inseruire possunt. Ita Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 85. Secundò, arma; per quæ intelliguntur tam offensiua, vt lanceæ, enses, pugiones, bombardæ, & similia; quàm etiã defensiua, vt cassides, loricæ, scuta, & alia huiusmodi. Intelliguntur etiam non solùm quæ principaliter ad prælium sunt instituta, vt prædicta, sed etiam quæ ex intentione vtentium ad præliandum ordinantur, vt lapides, ligna, cultri ad scindendũ pennas, vel panem: cum hac tamen differentia, quòd illa deferre semper est prohibitum, hæc autem tunc prohibentur, cùm ex intentione ad præliandum accommodãtur. Sic docent Syluest. verb. *Excommun.* 7. §. 59. Tabien. verb. *Excommun.* 6. Nauar. vbi sup. §. *Quarta.* Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 67. Graff. nu. 88. loco citato, Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 23. dub. 5. Intelligũtur etiam ea, quibus equi armantur, & præparantur, vt apti sint ad prælium, qualia sunt frenũ, habenæ, sella, & similia. Ita Vgol. hic ad illa verba. *Equos, arma.* vers. *Postremò.* Tertio, ferrum; quod intelligitur tam de ferro facto, quam de vena ferri, ex qua ferrum cõflatur, quidquid dicant Nau. §. *Quinta.* & Graff. num. 89. Nam vena ferri nullum alium habet vsum, quàm ex ea erui

erui ferrum, ac proinde est verè materia, qua bellatores alios impugnāt. Huius sententiæ est Sylu. vbi sup. & Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 55. Ferri tamē nomine nō veniunt claui, cum ad præliandum instituti non sint, nisi in tanta quantitate deferantur, vt ex illis possint fieri instrumenta bellica: vel, nisi necessarij sint ad ligneas machinas construendas, aut cōcludenda bombardarū Christianorum foramina, ne illis vti possint: in quo euentu vel vnum clauum dare infidelibus mortale existimo cum Vgolin. hoc loco ad illud verbum, *Ferrū.* vers. *Excipio.* Quartò, filū ferri. Quintò, stannum. Sextò, calybs. Septimò, omnia metallorū genera. Octauò, bellica instrumēta; quorum nomine veniūt etiam tympana, tubę, fistulæ, & similia. Sic Nauar. §. *Sexta.* & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 11. numer. 30. Nonò, lignamina: quorum nomine intelligūtur omnia ligna, ex quibus fieri possunt naues, triremes, & quæcumque machinæ, aut instrumenta ad præliandum. Ita Sylu. Tabien. num. 3. & Tolet. citatis locis. Intelliguntur etiam naues ipsæ, & triremes, vt docet Naui. Nam iuxta doctrinam Aristotel. propter quod vnumquodque tale, & illud magis, lignamina autē propter naues prohibentur. Decimò, canapis. Vndecimò, funes ex quacumque materia. Duodecimò, ipsa materia funium. Decimotertiò, alia huiusmodi, quibus Christianos impugnāt.

5. Circa hæc vltima verba est difficultas, quid per illa intelligatur. Tolet. vbi sup. docet non comprehendi in hac clausula, qui merces, victualia, ac similia, etiam belli tempore ad fidei inimicos deferunt, quā uis excommunicentur in iure. Probat ex verbis sequentibus, scilicet, *Quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* Quæ verba cum præcedentibus coniungūtur; mercibus autem, & victualibus nullus impugnatur

tur. Placet tamen cum Caietan. vbi sup. & Suares nu. 56. si huiusmodi victualia, vestes, & quæcumque merces tali tempore, & opportunitate deferantur, vt moraliter censeri possint instrumenta, & auxiliũ ad bellum gerendum, excommunicari ea deferentes. Comprehenduntur etiam in illis verbis deferentes milites, victualia, vt sunt panes, vinum, carnes. &c. medicinas item, & medicos, ac chirurgos. Ea etiã deferri prohibentur prædictis verbis, quibus hostes prædicti Christianis magis terribiles fiunt vt plumæ, panni militares, & similia.

6. De auro, & argento, seu pecunia non est minor difficultas, vtrum excommunicentur per hanc Bullam ea deferentes. Ad quã difficultatem affirmatiuè respondendum existimo cum Nau. nu. 63. §. *Sexta.* Viuald. num. 58. & Suares num. 54. sup. citatis locis. Nam aurum potest sumi dupliciter, vel vt metallũ quoddam est, vel formaliter secundùm quód in pecuniam fabricatur; qua ratione specie morali differt à se ipso, vt aurum est. Si vt metallum, seu materialiter sumatur, intelligitur sub illis verbis, *Omnia metallorũ genera:* si verò vt pecunia, & secũdùm formalem vsũ, comprehenditur sub illis alijs verbis, *Alia huiusmodi. &c.* quia etiam tali tempore deferri potest, vt instrumentum ad Christianos impugnandos censeatur. Si tamen sub prædictis verbis merces, victualia, & pecunia non intelligantur (quod videtur probabilius, eo quòd eo loco sermo tãtùm esse videtur de instrumentis bellicis, & de illorũ materia) adhuc tamen ea deferentes tempore belli excommunicantur, ligantur enim hac censura dantes auxiliũ, quod per istorũ delationem dari negandũ non est. Quoad hunc effectum tempus treugæ, belli etiam tempus reputatur.

Circa secũdam partem huius canonis, illud tãtùm aduertendum est, reuocari 7.

omnia priuilegia, quibus á Summis Pontificibus fuit cōcessum, vt quæ hoc loco prohibentur, ad infideles deferri possent, quæ de prohibitione huius Bullæ expressam mentionem non faciunt. Nec placet quod docet Tolet. nimirùm non reuocari per hanc Bullam priuilegia deferendi merces, & exercendi commercia, cùm hæc, vt diximus, non parum afferant infidelibus auxilium, quod hoc loco expressè prohibetur. In hoc tamen ad temporis circunstantias respiciendum est.

## DISP. XLVI.

### *Vtrùm mandantes deferri prohibita per hãc censuram excommunicentur.*

1. CAiet. verb. *Excommun.* in principio, Tabien. verb. *Excommu.* 5. casu. 49. nu. 5. Mart. Led. 2. 4. q. 26. art. 2. in principio, Nau. in Man. c. 27. num. 51. §. *Tertiò.* docent nomine facientis non intelligi mandantes; nam, vt post multa cōcludit Felin. in c. *Mulieres.* de sententia excom. dispositio requirens actum personalem nō potest impleri per alium. Ex qua doctrina inferunt Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 23. dub. 3. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 11. n. 25. non excommunicari hoc loco mandantes deferri ad infideles prohibita per hūc canonem. Et confirmatur; In clausula 11. & 13. huius Bullæ exprimuntur mandantes; ergo, cum in hac eorū non meminerit Summus Pontifex, illos excōmunicare noluit.

Hæc argumenta rectè probant sub nomine deferentis non excōmunicari mandantes; atq; adeò ex vi huius particulæ non excōmunicantur. Nihilominus non video qua ratione, qui hoc loco prohibita deferri mandant, ab excōmunicatione huius canonis excusentur. Nā in ea non solùm excōmunicantur deferentes, sed etiam auxilium, vel fauorem 2.

fauorem quomodolibet præstātes; nulli autem dubium esse potest, quin mittere ad infideles prohibita sit auxilium & fauorem eis præstare. Nec potest dici hoc auxilium, & fauorem nō deberi per alios præstari, quia verbum, *Quomodolibet*, includit quodcumque auxilium, & fauorem quomodocumq; præstentur. Probatur etiam efficacius; In Bulla cōiunguntur hęc verba, *Deferunt, seu trāsmittunt*, quorum primo significantur ij, qui per se portant, secundo veró, qui per alios id faciunt, alioquin verbum illud, *Trāsmittunt*, nihil operaretur contra c. *Si Papa.* de priuil. in 6. & l. *Quoties.* ff. de reb. dubi. & facit in simili c. *Significauit.* §. *Illi quoq;.* de Iudæ. Excōmunicantur igitur non solùm deferentes, siue nomine proprio, siue alieno deferāt, sed etiam mandātes.

3. Si quis dicat particulas, *Dantes auxilium, consilium, & fauorem*, non intelligi, nisi circa illos, qui hæc præstāt ijs, qui infideles (de quibus loquitur Summus Pontif.) de rebus ad statum Reip. Christianæ pertinentibus certiores faciunt; ita vt soli dantes auxilium. &c. vt huiusmodi infideles scire posśint quæ ad statū Christianæ Reipubl. pertinent, excommunicentur; falsum omnino dicet, nā per hūc canonem omnia prohibētur, quæ possunt esse in damnum Catholicæ Religionis, si infidelibus præstentur. Et quia omnibus istis modis infidelibus cōtra Catholicos præstatur auxilium, non sunt restringenda prædicta verba ad solos certiores facientes, sed formaliter intelligenda de omnibus contra Catholicos auxilium præstātibus.

Illud cum Sayr. vbi sup. num. 35. notandum est, per statum Christianæ Reip. intelligi statum temporalem, siue totius Christianismi, siue cuiuscūque regni, prouinciæ, ciuitatis, aut loci, tam pertinentium ad Ecclesiam, quàm ad Principes seculares.

# DISP. XLVII.

## *Vtrùm vendentes infidelibus prohibita deferri hoc loco, vel corũ aliqua ex gratitudine conferẽtes excommunicentur.*

1. Circa primã huius disputationis difficultatem Caiet. verb. *Excommu.* c.20. Nau. in c. *Ita quorundam*. de Iudæ. not. 10. n. 41. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 23. dub. 1. & Say. lib. 3. de cens. c. 11. n. 21. 22. & 26. docent non excõmunicari vendẽtes res per hũc canonẽ deferri prohibitas, quando Christiani in terris suis infidelibus ad se venientibus vendunt. Fundamẽtũ est, quia cũ cẽsura hæc sit pœnalis, nõ debẽt verba illius extendit sed interpretãda sunt iuxta propriã significationẽ. Quia igitur vendere nõ est deferre, & Summus Pontifex de deferentibus loquitur, ad vendentes extendenda nõ erit censura.

2. In hac tamen difficultate idem dicendũ existimo, quod dubio præcedenti. Fateor quidem non manere excommunicatos vẽdentes prohibita ex vi particulæ, *Deferẽtes*: nihilominus, quatenus vendendo fauorem præstant infidelibus contra Christianos, nõ est quare ab hac censura excusentur, & idem est si illis vendant, quos certò sciunt ea ad infideles esse missuros, siue ipsi infideles ad Christianorũ ciuitates veniant, siue in ipsis pacificè viuant, nisi fortè eos paruitas materiæ excuset, vt si hastam vnã, vel equũ vendant. Quod idem dicendũ erit de cõmutãtibus arma pro armis, vt enses pro hastis, sicut docet Say. vbi sup. n. 27. quidquid in contrariũ dicat Sylu. verb. *Excõ.* 7. n. 64. qui tenet ob has cõmutationes cẽsurã huius canonis incurri. Cuius sententia erit vera, si cõmutatio talis fuerit, vt infideles notabiliter meliùs Christianos impugnẽt aliàs

aliás res est parui momẽti, propter quam censura nõ fertur.

3. Si quis tamen arguat multos posse interfici gladio vno, hasta, vel sclopo, atque adeò in huiusmodi commutationibus paruitatem materiæ non dari: neganda est cõsequentia; tum quia paruitas materiæ in hoc casu attenditur respectu totius prohibitionis, delationis scilicet armorum; tum etiam, quia sicut infidelis gladio à Christiano in commutatione accepto multos posset interficere, sic etiam poterat hasta, quam cum gladio commutauit.

4. Circa secundam difficultatem cõueniunt Nau. in Manu. cap. 27. num 66. §. *Sexta*. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 90. & Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ numer. 61. non excommunicari hic donantem gladiũ, equum, hastam, vel sclopum Principi, aut Duci infidelium, siue ex gratitudine, siue ex liberalitate, siue ad conciliandam gratiam, & amicitiam quodcumque istorum conferatur. Differũt tamen hi Doctores in assignanda huius rei ratione, nam Viuald. excusat hæc conferentes ex paruitate materiæ: Nauar. verò, & Graff. ex defectu intentionis Summi Pontificis, quã dicunt non esse hos excommunicari, cum hæc inter Primates, & Duces fieri communiter soleant; vnde non ex defectu verborum, sed ex defectu mẽtis excusantur. Hæc ratio videtur probabilior, nam ex illa á Viualdo adducta, quanuis hæc conferentes á mortali peccato, & censura excusentur, á veniali culpa nõ excusantur, quia paruitas materiæ non omnino à culpa liberat.

## DISP. XLVIII.

### *Vtrùm deferẽtes prohibita ex vna terra infidelium ad aliã maneant per hãc Bullam excommunicati.*

1. PArtem negatiuã tenẽt Sylu. verb. *Excommun.* 7. num. 64. quem sequitur Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 66. & Suar. de cens. disput. 21. sect. 2. numer. 56. circa finem, dummodo infideles cum Christianis bellum non gerant. Idem docet Tabien. verb. *Excommun.* 6. num. 7. dummodo hoc non fiat in detrimentum fidelium. Citant pro sua sententia declarationem Greg. IX. in Extrauagan. *Postulastis.*

2. Partem affirmatiuam sequitur Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 23. dub. 2. dicens absoluté excommunicari deferentes hoc canone prohibita ex vna terra infidelium ad aliam, & dub. vlt. addit manere etiam excõmunicatos, quanuis ea deferant, vt infideles, vel hæretici cum infidelibus, vel hæreticis pugnent, dũmodo delata perseuerent. Idẽ sentit Sayr. lib. 3. de cens. cap. 11. num. 19. & 33.

Horum tamen Doctorũ sententiæ sequentibus cõclusionibus conciliari possunt.

3. *1. Conclusio.* Prima conclusio; Qui ex vna terra infidelium ad aliam deferunt hoc canone prohibita, si talis delatio fidelibus nullo modo nocere possit, hanc censuram non incurrunt. Probatur manifestè ex eo, quód in hoc casu cessat tota prohibitionis ratio, quæ est ne prædicta deferantur in dãnum, & perniciem Christianorum. Continget hoc, si quæ deferuntur, vel non perseuerant, vt sulphurei pulueres in ea quantitate delati, quód post decursũ bellum inter infideles, non supersint: vel si perseuerãt, ad eos infideles deferuntur, qui nullo modo Christianos ob regionum distantiam possunt debellare.

4. *2. Cõclusio.* Secunda conclusio; Qui prædicta defert ab vna terra infidelium ad aliam, si Christianis nocere posśint, quanuis ad infideles debellandos deferantur, innodatur hac censura. Hæc conclusio manifestè constat ex hac Bulla, in qua omnis dela-

delatio prędictorum in dãnum fidelium interdicitur. Quòd autem dãnum mediaté, vel immediaté sequatur, parùm refert, cùm satis sit posse infideles contra Christianos bellum mouere, quanuis illud actu inter eos non sit.

## DISP. XLIX

## *Utrúm deferentes ad infideles prohibita, nõ tamen vendentes, in hac censura comprehendantur.*

1. PRO parte affirmatiua, quam tenet Vgol. hoc loco §. 2. vers. *At quid de ijs.* arguitur primò ex cap. *Si quis non dicam.* de pœniten. d. 2. vbi affectus punitur, vt effectus; ergo, quanuis deferentes ad infideles prohibita, ea non vẽdant, hanc censuram incurrent.

2. Secundò; Deferentes prohibita, quanuis ea non vendant, cõtra prohibitionem huius canonis faciũt; ergo excommunicantur. Probatur anteced. quia in hac censura solùm prohibetur delatio prædictorũ ad infideles, nec de venditione mentio aliqua fit. Et confirmatur primó; Huiusmodi deferentes peccant mortaliter contra hanc prohibitionem; ergo. &c. Confirmatur secũdò; Iuxta multorum sententiam (quos disp. 46. & 47. citauimus) mandãtes deferre, & vendentes non excommunicantur, eo quòd non deferunt; ergo solùm deferre hoc canone prohibetur.

3. Prima conclusio; Deferentes ad infideles prohibita, non tamen vẽdentes, aut tradẽtes, censurã huius canonis nõ incurrũt. Hãc conclusionem docent Syl. verb. *Excommunic.* 7. nu. 64. & Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 64. Et probatur; Delatio prædictorum prohibetur in ordine ad venditionem, seu traditionem, nè infideles habeant instrumenta, quib⁹ Christianos impugnare

1. *Cõ*[*clu*]*sio.*

nare valeant; ergo si non sequatur effectus, venditio scilicet, aut traditio, non incurretur excommunicatio, quæ solùm propter actum cõpletum incurritur.

4. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Deferentes prohibita ad infideles, si ea vendant, aut tradant, quanuis statim pœnitentia ducti illa recuperent, in excommunicationẽ istam incidunt. Hác cõclusionem tenent citati Doctores. Et ratio est manifesta, eo quòd secutus est effectus prohibitus, & actu cõpleto violata est lex.

5. Cõclusio. Tertia conclusio; Qui prædicta defert ad infideles, & vendit sciens se illa recuperaturum antequam Christianis noceant, & ea intentione deferat quòd iterùm recuperet, infidelesque decipiat, non excõmunicatur. Probatur conclusio, quia huiusmodi delatio, & venditio in nullo est Christianis nociua, imò in damnum infideliũ ordinatur; ergo non est intentio Summi Pontificis in casu posito ea vendẽtes excommunicare.

Si quis tamen insurgat; Per accidens est, quòd ex hac delatione, & vẽditione damnum fidelibus non sequatur; ergo sic deferens, & vendens excommunicationem incurrit. Probatur conseq. Ea, quæ sunt per accidens, non veniunt in considerationem; igitur á censura non excusant, prohibet enim Summus Pontif. media per se ordinata ad impugnãdos Christianos. 6.

7. Ad hoc argument. respondetur negãdo antecedens: licèt enim ex venditione absolutè considerata per se sequatur damnum fidelibus, ex ea tamen, quæ talibus circũstãtijs vestitur, per se moraliter tale dãnũ non sequitur; quòd si sequatur, id erit per accidẽs.

Quarta conclusio; Qui prædicta ad infideles defert, & vendit, quanuis ob eorum abundantiam ad actualiter impugnandos Christianos illis nõ egeãt, hanc censuram incurrit. Hanc tenet Tolet. in Sum. 8. 4. Cõclusio.

lib.

lib.1.cap. 24. Et probatur; Impugnare actu est finis, hoc verò loco media prohibentur, ex quibus actualis impugnatio per se potest prouenire; ergo cum ex huiusmodi delatione, & venditione Christianorũ impugnatio per se sequi possit, & per accidens sit quòd non sequatur, manifestum est hac clausula prohiberi.

9. Ad primum argum. in contrarium respondetur affectum puniri quasi effectum in foro exteriori, maximè sæculari, non vero in censuris, quæ, nisi sequatur effectus, non incurruntur, vt patet in multis locis iuris canonici c. *Si quis suadẽte.* 17.q.4. cuius censura nõ incurritur ex solo desiderio percutiendi Clericum, nisi adsit manuum violentarũ iniectio; & aliás sæpe.

10. Ad secundum concedimus violari hanc legem quoad culpam in foro conscientiæ, quatenus deferẽs prohibita ad infideles habet animum transgredientem legem iustam hoc prohibentem. Negamus tamẽ violari quoàd actum externum, quod necessariò requiritur, vt excommunicatio incurratur. Et per hoc patet solutio ad primam confirmationem. Ad secundam dicendum est nõ excommunicari per hanc clausulam quomodocũq; deferentes, sed deferentes cum effectu venditionis scilicet, vel traditionis. Quòd si iuxta aliorum sententiam vendentes, & mãdantes per particulam, *Deferentes*, non excommunicantur, inde est quia de illis non verificatur quòd deferant.

## DISP. L.

### *Vtrùm reuelãtes Christianorum secreta per literas infidelibus, & nuntius illas deferens, aut verbaliter denuntiãs, excõmunicentur.*

1. Vt hęc difficultas explicetur, suponẽdũ est excõmunicari per hãc clausulam

lam eos, qui infideles per se, vel per alios certiores faciunt de rebus statum Reipub. Christianæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnũ, addique immediatè, *Illisq; ad id auxilium. &c.* quo loco relatiuum, *Illis*, non refert reuelantes secreta Christianorum, sed ipsos infideles; ita vt sensus sit excommunicari dantes infideli bus auxilium. &c. Ex quo sequitur non excommunicari dantes auxilium, consilium, vel fauorem ipsis reuelantibus, nisi hoc in fauorem ipsorum infidelium cedat.

2. Cõclu-
1.
Quo præmisso, sit prima conclusio; Qui Christianorum secreta in ipsorum perniciem infidelibus reuelant, siue per nuntium, siue per literas id fiat, excommunicantur. Ita Vgol. hic ad illa verba. *Nec non illos, qui per se.* §. 2. vers. *Secũdò.* Probatur, In hac clausula excõmunicantur huiusmodi secreta per se, vel per alios reuelantes; sed reuelantes per nuntium per alium reuelant, & reuelantes per literas, quãuis mediatè, per se reuelant; ergo excommunicantur. Idem censeo de reuelante illi, quem scit infidelibus nuntiaturum.

Secunda conclusio; Nũtius, per quem huiusmodi secreta reuelantur, & deferens literas sciens horum reuelationem in eis cõtineri, hanc censuram incurrunt. Probatur; Hi omnes verè reuelant Christianorum secreta infidelibus; ergo. &c. Probatur anteced. Qui applicat ignem, moraliter loquendo, verè dicitur comburere; ergo qui defert epistolas, vel alterius dictum denuntiat, verè moraliter eos certiores facere censebitur. 3. 2. Cõclusio.

Tertia conclusio; Reuelans aliquid infideli in dãnum alicuius particularis Catholici, non excommunicatur per hanc clausulã: nec similiter ministrans instrumentum ad illum occidendum, nisi sit talis persona, ex cuius occasione notabilis iactura Reipub. Christia- 4. 3. Coclusio.

Christianæ sequatur. Prima pars huius conclusionis probatur; Hæc clausula non respicit per se primò bonum particularium; ergo solùm per illam prohibentur quæ bono cõmuni sunt nociua, atque adeò reuelans secretum in damnum particularis personæ, vel præbens auxilium, vt occidatur, hic non excommunicatur. Probatur anteced. tum ex illis verbis, *De rebus statum Christianæ Reip. concernentibus in Christianorum perniciem. &c.* tum etiam, quia deferens gladium, vel hastam ad infideles non excommunicatur propter materiæ paruitatem; quod nequaquam dicendum esset, si hæc censura in bonum particularium personarum sanciretur: nam gladio vno vel hasta multi particulares occidi possunt. Secunda pars ex eo constat, quia occisio personæ Reipub. valde necessariæ in ipsius Reipub. detrimentum redundat. Quid verò si quis illud reuelet, quod infideles iam sciunt? Excommunicari affirmat Vgol. vers. *At quid de ijs.* quia iam facit actionẽ prohibitam, quæ si fidelibus nõ nocet, id est per accidens. Idem sentio, quia reuelare nõ est accessoriè prohibitum, dummodo reuelans non nouerit illud scitum iam esse ab infidelibus, nec per nouam istam reuelationem plus Christianis nocere posse infideles, nam tunc reuelatio illa censebitur materia leuis.

## DISP. LI.

### *Vtrùm deferentes prohibita ad infideles, vel Christianorum secreta eis reuelantes à censura huius canonis aliquando excusentur.*

AD hanc difficultatem respondetur conclusione affirmatiua. Quæ probatur ostendendo casus, in quibus excommunicatio prædicta non incurritur. 1. *1. Casus.*

Primus

1. Casus. Primus est ignorantia siue iuris siue facti; quamuis circa hanc censuram non passim iuris ignorantia detur, cum pauci sint, qui illius notitiam non habeant. Ignorantia facti cõtinget, si prohibita in arca clausa deferantur, & deferẽs quid in ea contineatur ignoret, vel si secretum per epistolam reueletur, cuius non sit conscius deferẽs. Quod in hoc casu ignorantia excuset, docent Syluest. verb. *Excommunic.* 7. numer. 64. Nauar. in cap. *Ita quorundã.* de Iudæ. not. 8. numer. 25. Vgolin. hic. §. 2. vers. *Quinto*. Et Sayr. lib. 3. de cens. cap. 11. nu. 34. colligiturq; ex his, quæ communiter tradunt Doctores in regul. *Ignorãtia.* de regul. iur. in. 6.

2. Casus. Secundus, quando prædicta deferuntur in Christianorum vtilitatem, vt si commutentur, vel vẽdantur pro ijs, quibus Christiani magis indigent, ita vt maior sit eorum commoditas, quám damnum inde proueniens. Ita Tabien. verb. *Excommunic.* 6. nu. 5. §. 4. Nauar. nu. 23. & Sayr. proximé citatis locis, & Vgol. hic §. 2. vers. *Tertiò*.

Tertius, quando quod defertur, vel manifestatur, est res parui momenti; paruitas enim materiæ à mortali culpa excusat, sine qua excommunicatio non incurritur, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 88. artic. 5. & 6. & 2. 2. quæs. 66. artic. 6. ad 3. & q. 158. articul. 3. ac Doctores communiter. 3. 3. Casus.

Quartus, quando infideles cum proprijs armis in terras suas à fidelibus deferũtur. Ita Sayr. nu. 20. post Syluest. qui de hac re refert declarationẽ Greg. IX. 4. 4. Casus.

Quintus, ad euitandam mortem, membri abcisionem, vulnera, & similia dãna personalia, siue in persona propria, siue in maximè coniuncta, vt in vxore, filijs, parentibus, fratribus, consanguineis, & affinibus ex matrimonio vsque ad quartum gradum, & in amico fidelissimo: ad euitandam etiam omnium vel maioris partis bonorũ 5. 5. Casus.

tempo.

temporalium amissionem; dummodo tale Ecclesiæ, vel Reipûbl. bonum non interueniat, vt ijs omnibus præferendum sit. Hoc ex parte docet Sayr. citato loco. Et ratio prioris partis est, quia lex humana cum tanto periculo, & detrimẽto obligare non intendit: & non solùm proprium damnum, & malum reputatur, quod in propria cõtingit persona, sed etiam in valde coniunctis, & in amico, cùm aliquando fratribus præferatur. Vnde metus ex his periculis ortus in virum constantem cadit. Quod simili ferè ratione de amissione omniũ, vel maioris partis bonorũ temporalium dicendum est, vt diffusè ostendi in Opusculo de solicitantibus tract. 2. cap. 7. 8. & 9. quod propediem in lucem proditurum spero. Secunda pars ex eo probatur; nam quando bonum commune præponderat bono particulari, legi obedire tenemur. Circa hoc tamen videnda sunt, quæ diximus cap. 4. dis. 31. num. 3.

Sextus ponitur à Sylu. vbi supra numer. 61. ex aliquorum sententia, quam etiam sequitur Sayr. videlicet excusari ab hac censura deferẽtem prohibita, quando aliter captiui redimi non possunt: quam sententiam sequitur Vgol. vers. *Octauò*. Quod Syluest. intelligit, quando hoc fit tempore pacis, non verò si fiat tempore belli. Quæ tamen sententia non placet Toleto in Summ. lib. 1. cap. 24. sed existimat deferentes in hoc casu manere excommunicatos tam in terminis huius Bullæ, quam in terminis iuris antiqui. Prior sententia est magis pia, & idcirco in eam inclinandum existimo, dummodo grauius detrimentum ex prædictorũ delatione Christianæ Reipublic. nõ sequatur, quám sit ex captiuorum redemptione vtilitas; hoc enim de benignitate Pontificis præsumendum est. 6. 6. Casus

CAP.

# CAP. IX.

## *Contra impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.*

### TENOR BVLLÆ.

8. *Bullæ censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pōtificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

### *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius censurę est sacrilegium, quo offenditur Sedes Apostolica in suis victualibus, & in alijs ad vsum Romanæ Curiæ pertinentibus. Actiones prohibitæ sunt quatuor. Prima, impedire eos, qui victualia, & alia ad vsū Romanæ Curiæ necessaria adducunt. Secunda, eosdē inuadere. Tertia, prohibere, impe-

re, impedire, & perturbare, ne prædicta ad Curiam Romanam adducantur. Quarta, per se, vel per alios, qui prædicta faciunt, defendere. Comprehēdit hæc censura vniuersaliter omnes cuiusuis sint conditionis, & status: non tamen consulentes, auxiliũ ve præstantes. De hac re habetur in Bulla, quæ incipit, *Inter multiplices nobis*. Greg. XIII. ann. 1587. die 7. Maij Pontificatus sui anno 6.

2. Nomine Romanæ Curiæ, vt notant Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. *95*. & *96*. Vgolin. hic §. 3. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 12. numer. 3. non intelligitur sola familia Papæ, sed omnia Sedis Apostolicæ tribunalia, ita vt Romana Curia sit locus, vbi est Sedes Apostolica, & vbi tractantur lites, & negotia. Vnde, si Summus Pontifex eiusque tribunalia Romæ non essent, non excommunicarentur impedientes ne prædicta adducerentur Romam; excommunicarentur tamen qui impedirent, ne prædicta ad locum, vbi tunc esset Sedes Apostolica, adducerentur. Romana igitur Curia est Romana ciuitas, quatenus in se habet Sedem Apostolicam. Non excommunicatur etiam, qui inuadit deferentem prædicta alicui particulari personæ siue vt det, siue vt vendat, cùm hæc ad vsum Romanæ Curiæ non deferantur, sed ad vsum particularis personæ. Ita Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 74. Graff. numer. *95*. & Sayr. numer. 4. citatis locis, quidquid in contrarium videatur dicere Vgol. §. 4. vers. *Sextò*. & §. 5. vers. *Tertiò*. Ad vsum tamen Curiæ illa asportari dicenda sunt quæ deferuntur, vt publicè vendantur siue ab ipsis deferentibus, siue ab alijs, vt quæ deferuntur ad stabularios, pistores, & macellarios, & similes.

DISP.

## DISP. LII.

### *Quænam sub hac censura nõ impediri præcipiantur ad Curiam deferri.*

1. Ad hanc difficultatem respondert videtur ex l. *Verbo victus*. ff. de verb. sign. vbi sic dicitur; *Verbo victus continentur quæ esui, & potui, cultuique corporis, quæq; ad viuendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem. Cætera quoque quibus tuendi, curandi ve corporis nostri gratia vtimur, ea appellatione significantur*. Et ex l. *Quos nos*. cod. tit. §. *Verum viuere*. quæ sic habet; *Et vestimenta, & stramenta contineri; sine his enim viuere neminem posse*.

2. Quia tamen significatio ista in legatis, & fauorabilibus locũ habet, vt docet Glos. in dicta l. *Verbo victus*. & hæc censura rigorosa est, non tam ampla significatione videtur interpretandum verbum, *Victualia*, sed paulò strictiùs, iuxta l. *Cum hi*. ff. de transacti. §. *Qui transigit*. vbi alimentorũ nomine, habitatio, aut calceamenta non intelliguntur. Et iuxta doctrinã Syluest. Tabien. & Armill. verb. *Alimentum*. numer. 1. alimenta, & victualia æquiparantur.

Nihilominus in prima acceptione standum est. Probatur; In hac censura non solùm ponitur verbũ, *Victualia*, sed additur, *Seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria*; ergo non solùm excommunicantur impedientes, ne victualia deferantur, sed etiam qui impediunt deferri quidquid ad vsum Romanæ Curiæ necessarium est; vt frumẽtum, vinum, oleum, animalia viua, & mortua, ligna, papyrũ, & similia, vt notat Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ. n. 73. & Vgol. hic §. 2. per totũ. 3.

Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 96. docet excusari ab hac censura impedientem per horã, ne prædicta ad

ad Curiã deferantur. Quæ ſententia tunc erit vera, quando ex tali impedimẽto aliud maius ab impediẽte præuiſum non ſequatur; vt ſi trãſacta hora prædicta, ob aliam cauſam, vel non deferantur, vel difficilè, aut cum notabili mora ad Curiam perueniant. Aliàs excommunicatio incurritur.

5. Docet etiam idẽ Graff. excuſari impedientem res parui momenti; vt ſi quis, inquit ille, impediat ne cardines deferantur. Hoc tamen verum non intelligo, ſi de tota ſpecie alicuius mercis loquatur, ſed ſolùm de aliqua parte modica; nulla enim eſt mercium ſpecies, quæ ſecundùm ſe totam res parua iudicanda ſit. Excuſantur tamen impedientes deferri ea, quæ ad vſum Curiæ neceſſaria non ſunt, vt pſittaci, ſimiæ, & ſimilia. Excuſantur etiã impedientes tabellarios, ne literas deferant, quia non eſt particula, quę iſtos cõprehendat, nam verba illa, *Alia ad vſum. &c.* explicanda ſunt per præcedentem particulam, *Victualia*, vt notat Vgolin. §. 5. verſ. *Poſtremò.*

## DISP. LIII.

### *Vtrùm qui, ſine animo inferendi dãnum Curiæ Apoſtolicæ, impedit prædictorum delationem, excommunicetur.*

PARS affirmatiua hac poteſt ratione ſuaderi; In hac clauſula non prohibetur animus, ſed opus; nulla enim eſt particula oſtendens animum eſſe primó prohibitum; ergo qui impedit ne prædicta deferantur, quocumque animo id faciat, excommunicatur: nam hoc ſolùm in cenſura exprimitur. Et confirmatur; Deferens arma ad infideles, quocũque animo deferat, excommunicatur; ergo ſimiliter impediens deferri victualia, quacumq; intentionę impediat, 1.

pediat, excõmunicabitur. Probatur consequentia, quia in vtroque casu infertur damnum, in primo fidelibus, in secundo Romanæ Curiæ; ergo si in vno casu censura ligat, similiter ligabit in altero.

2\. Contraria sententia cõmunis est; quam tradunt Caietan. verb. *Excommun.* cap. 19. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 64. Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 71. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. numer. 96. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 12. numer. 4. & Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 64. Sed hæc sententia aliquo moderamine temperanda est, vt sequentibus conclusionibus patebit.

3\. Conclusio. Prima conclusio; Gubernator impediens ob necessitatem suæ Reipub. ne ad Curiam Romanam victualia deferantur, excommunicationem non incurrit. Hanc tenent citati omnes. Probatur; Vnusquisq; gubernator tenetur necessaria suæ Reip. prouidere; ergo quando Respubl. his indiget, quæ ad Curiam Romanã deferenda erant, tenetur gubernator ex iustitia impedire, ne á Republica extrahantur, ergo nõ excommunicatur; nullus enim ob exercitium actus ex iustitia debiti excõmunicatione ligatur. Idem intelligit Vgol. hic §. 1. vers. *Non dolo.* si quis impediat eos, qui aliunde res huiusmodi deferunt, vt in sua ciuitate remaneant, dummodo caritas annonæ ibi grauis sit. Hoc tamẽ solùm admitterem in casu, quo in Curia nõ est illarum rerũ, quæ asportari impediũtur, indigentia, quia tunc videtur habere locum epicheia, aliter impediẽtem à censura non excusarem, cum ad impediendum delationem mercium, quæ aliunde asportantur, ius nõ habeat.

Secunda conclusio; Qui, grassante peste in Romana Curia, interdicit suis ciuibus, ne prædicta ad illam cum commeatu deferant, non excommunicatur. Hanc etiam tenent Docto- 4. 2. Conclusio.

Doctores citati. Ratio est; quia hoc non est prædictarum rerum delationem impedire, sed curare ne ad locum peste infectum cum mercibus abeuntes, inde iterum ad locum, á quo fuerunt digressi, reuertantur. Quòd si ex hoc sequatur non deferri victualia, cùm pauci sint, quibus si prohibeatur regressus, illa deferre velint, id est per accidens, & penes ea, quæ per accidens sunt, vt citato loco Caietan. docet, pœnę, & censuræ non intelliguntur: in hoc autem casu sanitati patriæ tantùm consulitur.

5. 3. Cõclusio. Tertia conclusio; Si pater familias prohibeat filijs, ne victualia Romam deferant, propter probabile periculum latronum, vel propter aliquod malum, quod eis probabiliter eueniet, in hanc censuram nõ incidit. Ita Graff. vbi supr. Et ratio est manifesta, quia per hoc consulitur bono filiorum, quod pater famil. lias respicere tenetur. Idẽ dixerim de quocumq; alio illud ipsum prohibente ei quem scit esse occidẽdum, si Romam proficiscatur. In his tamen conclusionibus ad regulas charitatis attẽdendum est; nam quando charitatis pręceptum obligat vt etiam cum aliquo periculo victualia deferantur, qui eorum impedit delationem, saltem regulariter, excommunicationem incurret; tũc enim obligat censura.

Quarta conclusio; Qui propter odium deferentis, ne ex delatione victualium aliquid lucretur, illa deferre impedit, hanc cẽsuram incurrit, & ille etiam qui stante dubio practico probabili, an impedire posit, impedimentũ aliquod apponit. Probatur; In vtroq; casu censura obligat, nam in primo res est manifesta, cum saltem secundariò sic impediens dãnum inferat Curiæ Romanæ: in secũdo etiã obligare certũ est, quia in re dubia præceptũ superioris obseruare tenemur, & præsumendũ est iustum. 6. 4. Cõclusio.

Contra primam partem 7.

 huius

rediens à Romana Curia, postquã est in domo sua iam priuilegio nõ gaudet. Vagabundus vbi primum á Curia recedit censetur esse in suo domicilio, quia totus terrarum orbis est ipsi patria, & sic qui illum cædit censuram huius canonis non violat. Ita Vgol. hic §.3.num.1.

2. 2. *Cõclusio.* Secunda conclusio; Illi dicuntur ratione Romani Pontificis ad Sedem Apostolic. venire, qui non ob alia negotia veniũt, quám ob ea, quæ in bonum ipsius Sedis Apostolic. ordinantur. Videtur colligi hæc conclusio ex differentia in inter hanc clausulam, & duodecimam, in qua percutientes eos, qui super proprijs causis ad Curiam Romanam recurrunt, excommunicantur; ergo eos tantùm hoc loco excommunicari iudicandum est, qui ad prædictam Curiam veniũt pro causis ad ipsius bonum spectantibus. Qui igitur huiusmodi venientes interficiunt, mutilant, &c. siue quando veniunt, siue quãdò, peracto negotio recedũt, siuè quandiù, ipso durante, in Curia cõmorãtur, in censuram huius canonis prolabuntur. Qui verò interficiunt, &c. ob alias causas venientes, hanc censuram non incurrunt. Intelligitur hæc censura de quibuscumque venientibus, siue fideles, siue infideles, aut hæretici sint, quia hi omnes sub Ecclesię tutela accipiuntur. Intelligitur etiam de illis, qui eos comitantur, quia quando priuilegium alicui conceditur, & seruis suis, & familiæ, sine quibus concesso priuilegio cõmodè, & pro honoris dignitate vti nõ potest, cõcedi cẽsetur, vt habetur in c. *Licet.* §. *Cũ cõcedatur.* de priu. in 6.

3. 3. *Cõclusio.* Tertia conclusio; Qui venientes (vt prædictũ est) propter delictum occidũt, &c. siue publica, siue priuata authoritate id faciant, censura huius canonis nõ implicantur. Hanc tenet Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 81. quem sequitur Sayr. vbi

supra

ſupra num.8.Et probatur; Summus Pontifex non intendit per hanc clauſulam criminoſos defẽdere, aliás enim cenſura hæc prauis hominibus ad multa perpetranda facinora occaſionem præberet: ergo. &c. Et confirmatur; Iurans ſecuritatem non tenetur illã ſeruare de nouo delinquẽti, vt cum Baldo docet Panorm. cap. *Ego N.* de iure iurand. fol. 130. col. 2. nam ſecuritas, ſeu ſaluuſconductus non eſt defenſio nouorum criminum; ergo ſimiliter in noſtro caſu ſecuritas veniendi ad Sedem Apoſtol. non eſt delinquẽtium protectio. Si igitur prædicti in itinere, ſiue ante illius inceptionem delinquant, ſine timore cenſuræ comprehendi, & puniri poſſunt.

4. 4. Cõcluſio. Quarta concluſio; Qui præfatos venientes. &c, interficiunt, mutilant. &c. vel quia ſic veniunt, vel nulla præcedente cauſa, per hanc clauſulam excõmunicantur. Hanc docẽt Autores pro præcedenti concluſione citati, citatis etiam locis, quanuis Viual. num. 80. ſibi videatur contrarius. Prima pars huius concluſionis ex eo eſt manifeſta, quia veniẽtes, quà tales ſunt formaliter, percutiuntur. Secunda veró pars inde colligitur, quia talis occiſio virtualiter in iniuriam Romanæ Curiæ cedit, ex offenſione enim venientiũ ad Rom. Curiã nulla præcedẽte cauſa ipſa maximé læditur. Vt quis dicatur mutilare, ſatis eſt, quòd partem membri abſcindat: mutilare enim abſcindere eſt arg. cap. pen. de corp. vit. iuncto cap. *Si quis abſcinderit.* diſt. 55. at qui partem abſcindit abſcindere ſine dubio dicitur, vt colligi poteſt ex c. *Qui partem.* dict. diſt. 55 vbi qui partem cuiuslibet digiti ſibi abſcindit irregularis efficitur. Nõ ſufficit tamen dentem euellere, quidquid vellit Vgol. hoc loco ad illud verbum, *Mutilãt.* verſ. *An igitur*. eo quòd dentes proprium officium habẽt in corpore: nam dantes inter

ter membra non numerãtur, vt tradit Innocent. in c. *Significauit.* de corp. vit. Non sufficit etiã verberare aut vulnerare, cum de his actionibus Summ. Pontif. nõ loquatur. Spoliare hoc loco cẽsendus est, vt Vgol. tradit in verb. *Spoliant*, qui vxorẽ, vel filios, aut seruos adimit, quos quis secũ defert ad Apostolicam Sedẽ vadens, non verò si spoliet ijs, quæ domi reliquit. Si quis tamen spoliet eũtem ijs rebus quas illi accõmodauit vt vadẽs Romã secũ deferret, excõmunicatur cùm ex eò quod frãgit cõtractum iniuriam faciat. Si tamen non ea intentione accommodauit, sed vt domi vteretur, nõ crediderim excommunicari, siue authoritate iudicis siue propria accipiat, quia nõ facit iniuriam si authoritate iudicis accipiat; si veró propria, non facit iniuriam in re, sed in modo.

5. 5. Cõclusio. Quinta conclusio; Morantes in Curia illi censentur, qui occasione illius in ea detinentur, quos ad Curiam venire diximus. Ita Vgolin. hic ad illa verba. *Nec non illos.* vers. *Quo ad secũdam.* quia vna pars legis alteram declarat, & antecedentia, & consequentia arg. l. *Si seruus plurium.* §. fin. ff. de leg. 2. Idem etiam ostendit particula, *Morantes*, quæ non significat habentes domicilium: quidquid in cõtrarium dicant Caiet. Tolet. & Sayr. locis in 1. concl. citatis. Vnde simul atque aliquis in Curiam domicilium transtulit, hoc priuilegio non gaudet, atq; adeò qui actiones hoc canone prohibitas in Romanos ciues exercent, aut in alios qui etiam ratione Curiæ Romanæ in ea degunt, in hanc censuram non incidunt.

## DISP. LVIII.

### *Utrùm exercentes per alios actiones hoc canone prohibitas, & qui aliorum nomine illas*

*illas exercent excommunicentur.*

1. IN hac difficultate ea primò se offert dubitādi ratio, quia hoc loco sunt prohibitiones diuersæ; aliter enim hic textus se habet circa venientes ad Curiam, & ab ea recedentes, aliter circa morantes in ea: nam qui hos interficiunt, nisi id authoritate vsurpata faciant, non excōmunicantur, qui verò illos, etiā si priuata authoritate id efficiant, excommunicationem incurrunt. Cum ergo in prima prohibitione ponantur illa verba, *Sua, vel aliorum opera*, quæ in secunda non apponuntur, signū est interficientes per alios non excommunicari.

2. Quòd aliorum nomine exercentes actiones hoc canone prohibitas, in excōmunicationem non incidant, ex eo suaderi videtur, quia, vt patet ex verbis Pontificis, ille interfector morantium in Curia excommunicatur, qui eos prætextu authoritatis temerè vsurpatæ occidit, sed qui iussu alterius hoc præstat est purus executor, nec authoritatē vsurpat; ergo non excommunicatur.

Prima conclusio; Qui non vsurpando authoritatem ordinariam, vel delegatam interficit, mutilat, &c. morantes in Curia, siue per se hoc faciat siue per alios, per hunc canonem non excōmunicatur. Patet conclusio ex verbis Pontificis. Dixi, *Per hunc canonem*. quia per alium, vt in sequētibus patebit excommunicabitur. Ex hac conclusione sequitur non excommunicari hoc loco, qui morantem in Curia vt fur spoliat, vel vt inimicus interficit. 3. 1. Cōclusio.

Secunda cōclusio; Qui vsurpando authoritatem prædictos per alios interficit hanc excommunicationem incurrit. Hanc tenet Suares de cens. disput. 21. sect. 2. numer. 66. circa finem. Probatur; Interficiens authoritatiuè interficit per alios, scilicet per ministros 4. 2. Cōclusio.

ministros; sed hoc loco excommunicãtur interficientes authoritatiuè; ergo excommunicãtur quando per alios interficiunt. Et confirmatur, quoniam aliás hæc censura nullius esset effectus, cum nullus sit qui authoritatiuè per se ipsum interficiat.

5. 3. Cõclusio. Tertia conclusio; Qui de authoritatiuo alterius mandato morantem in Curia interficit, &c. huius canonis censura ligatur. Hanc etiam tradit Suares cit. loco. Et ratio est, quia huiusmodi interfector cẽsetur vna persona cum mãdante, nec operatur, nisi sub illius nomine, & iurisdictione, atque adeò per authoritatem operatur, nam omnes iustitiæ executores per authoritatem operantur.

N CAP.



# CAP. XI.

## *Contra lædentes Romipetas ac peregrinos, etiam in Vrbe morantes, vel ab ea recedentes.*

### TENOR BVLLÆ.

10. Bullæ censura. ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Vrbẽ causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

### *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius cẽsuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 13. est sacrilegium, quo inuaduntur ad sanctam Vrbem pergentes, seu Romam venientes. Dicitur Roma *Vrbs*, per excellentiam, vt potè quia totius orbis in temporalibus fuit caput, estque modó in spiritualibus. Actiones in ea prohibitæ circa Romipetas, & peregrinos, sunt nouem: primæ sex principales, aliæ accessoriæ: prima, interficere; secunda, mutilare; tertia, vulnerare; quarta, detinere; quinta, capere; sexta, deprædari; septima, auxiliari; octaua, cõsulere; nona fauere.

Vt hæc excommunicatio incurratur, tres conditiones requiruntur, vt citato loco notat Caietan. & cum eo Sayr. lib. 3. de censf. cap. 14. Prima eſt, quòd actiones illæ in Romipetas, ſeu peregrinos exerceantur. Vgolin. hic §. 2. verſ. *Quartò.* & *Quintò.* exiſtimat peregrinorum nomine comprehendi etiam hæreticos, & ſchiſmaticos, dūmodo deuotionis cauſa veniant, & non negent poteſtatem Summi Pontificis; Iudæi etiam, qui Chriſtiani fieri volunt. Secunda eſt, quòd ad Vrbem veniant, in ea morentur, vel ab ea recedant. Tertia, quòd deuotionis, aut peregrinationis cauſa Romam veniant. De hac materia habetur in cap. *Si quis Romipetas.* 24. quæſ. 3.

2.

3. Circa literam huius textus ſciendum eſt nomen, *Romipetas*, eſſe magis amplum, quàm nomen, *Peregrinos*: nam Romipeta omnis ille dicitur qui Romam venit. Vnde ciuis Romanus veniens Romam Romipeta appellatur, peregrinus tamen dici nō poteſt. Graff. lib. 4. deciſ. c. 8. num. 98. docet Romipetam eſſe illum, qui deuotionis cauſa. Romam venit, ſiue equeſtri, ſiue pedeſtri digreſſu, peregrinū verò, qui pedeſtri itinere, cū habitu peregrino deuotionis cauſa Romam petit. Deuotionis, & peregrinationis nomina idē hoc loco ſignificāt: ſolū enim (vt notat Caiet. ſup.) differūt penes exteriorē manifeſtationē. Nam deuotio actus eſt interior, peregrinatio verò exteriora ſolita eſt habere ſigna, & vulgariter qui deuotionis cauſa pergunt dicuntur peregrini.

4. Notat etiā Caiet. & poſt illū Viuald. in Cand. in explan. Bull Cœn. n. 78. Tol. in Sum. lib. 1. c. 25. & Sayr. vbi ſup. n. 4. hunc canonē non Papam, Curiam vè Romanam, ſed Vrbem Romanam reſpicere. Vnde ſi Papa, vel Curia Romæ non eſſent, adhuc percutientes Romipetas excō municarentur, cum hæc

censura in fauorem visitãtium limina Apostolorũ sanciatur. Excõmunicatio ista ad percutiẽtes, mutilãtes, &c. peregrinos in Hierusalem, vt citati Doctores referunt, olim extendebatur.

5. Quæ diximus cap. præcedenti circa venientes ad Sedem Apostolicam, huic capiti applicãda sunt. Vnde si Romipetæ, & peregrini crimen aliquod committant, per iudicem puniri possunt: imó si quis eos percusserit occasione ab eis accepta, hanc censuram non incurret, iuxta dicta cap. præceden. disp. 57. conclus. 3. quidquid in contrarium dicere videantur Caiet. cit. loco, & Nau. in Manu. cap. 27. num. 65. §. *Quinta*. Non excommunicatur etiam qui aliquam prædictarum actionũ exercet in eum, qui Romam venit, vt in domũ suã vadat, vel vt amicum visitet, eo quòd deuotionis, aut peregrinationis causa non accedit. Ita Caiet. & Say. vbi sup. Nec excõmunicatur percutiẽs eum, qui litis, vel curiositatis causa Romam venit, & postea occasionaliter limina Apostolorum visitare intendit, cũ deuotio principalis causa veniẽdi esse debeat. Sic Graff. n. 100. Si tamen æqualiter, & deuotionis, & negotij causa illùc eat, existimo quòd excõmunicatur illũ percutiẽs, eo quòd verba Bullæ ei cõueniant. Nõ excõmunicatur etiam, qui peregrinũ ab alio mortuũ spoliat, vel ab ipso viuo aliquid clam furatur, quia propriè nõ dicitur deprædari, nam deprędari est apertè, & per vim aliquid alicui auferre. Nec qui aliquã ex prędictis actionib⁹ exercet in illũ qui postquám iter arripuit, vel Romã peruenit animũ peregrinãdi mutauit, aut loca pia visitare noluit, cũ iam desinat esse peregrinus.

Vt dantes auxilium, cõsiliũ, vel fauorem in prædictis actionibus excõmunicentur, requiritur quòd sequatur effectus, aliás in hãc cẽsurã nõ incidẽt, vt notat Graff. cit. loco. Et ratio est, quia

quia, vt habetur l. 1. §. *Hac autem verba.* ff. quod quisq; iuris. verba cũ effectu intelligenda sunt. Dantes cõsilium ad interficiendum Romipetas excõmunicãtur, etiam si sola sequatur vulneratio. Ita Vgol. vbi sup. ad illa verba, *Et in ijs.*

## DISP. LIX.

### *Vtrùm percutiẽs morantem Romæ deuotionis causa excõmunicetur.*

1. RAtionẽ dubitãdi in hac difficultate præbent verba illa Põtif. *Et in ea morãtes,* in quibus pars affirmatiua videtur definiri. Et cõfirmatur, quoniam eadem videtur ratio circa morãtes in Curia, & ad ipsam veniẽtes; nam hæc cẽsura in fauorẽ visitãtiũ limina Apostolorũ sancitur, quod morãtes in Curia deuotionis causa procuidubio faciũt.

2. 1. Cõclusio. Sit pro resolutione prima cõclusio; Percutientes solũmodo morãtes in Curia deuotionis causa, qui Romipetæ, & peregrini dicũtur, excõmunicationem huius canonis incurrunt. Hanc tenet Caiet. in Sum. verb. *Excommunicatio.* c. 14. Sayr. lib. 3. de cens. c. 14. & Graff. lib. 4. decis. c. 18. nu. 100. Et ratio est quoniam particula, *Morãtes,* vt ex ipso contextu patet, ad præcedẽtes scilicet, *Romipetas, & peregrinos,* quos hoc loco Summ. Pontif. defendere intendit, refertur. Quãdiu igitur peregrinus, & Romipeta Romæ detinentur, tãdiu per hanc censuram ab iniurijs defẽdũtur. Et hoc fit cõformiter ad ius canonicũ secũdùm quod priuilegium datum ad eundum, intelligitur datũ ad morãdum, & recedendũ, c. *Quia diuersitatem.* de cõcessione præben. & c. *Statutum.* §. *In præferẽdo.* de rescrip. in 6.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Simul atq; Romipeta, & peregrinus, postquam Romã veniunt, eligunt ibi manere, & in ea, vt cæteri in Vrbe morantes, domicilium ponunt, etiam si deuotionis causa hoc faciant, non

cēſentur peregrini, & Romipetæ, nec ipſos percutientes excommunicãtur. Prima pars huius concluſionis ex eo eſt manifeſta, quia peregrinus, vt peregrinus, domicilium non habet in ea parte, in qua peregrinus dicitur, atque adeò per hoc quòd Romæ domicilium eligit, deſinit eſſe peregrinus. Ex hoc manifeſtè ſequitur ſecunda cōcluſionis pars. Nam, vt concluſione præcedenti dictum eſt, ſolummodo in percutientes Romipetas, & peregrinos cenſura iſta lata eſt.

4. 3. Cōclu ſio. Tertia concluſio; Qui percutit Romipetas, & peregrinos, antequam proficiſcantur, aut poſtquam redierint, hoc canone non plectitur. Hanc tenent Caiet. & Sayr. citatis locis. Et probatur; In hac clauſula excōmunicantur percutientes Romipetas, & peregrinos ad Vrbem accedentes, vel ab ea recedētes; atqui de prædictis non verificatur quòd ſint Romipetæ, & peregrini, neque quòd ſint accedentes, vel recedentes; ergo qui eos percutiunt, in cenſuram non incidunt. Romipeta tamen cenſetur, qui poſtquam iter arripuit, in domum ſuam reuertitur ad ſuſcipiendam rem aliquã, vt ſecum deferat, quam ſecum portare oblitus erat. Idem dicendum eſt de eo, qui dũ eſt in itinere aliquò diuertit, vt amicum viſitet: quoniam adhuc cenſetur Romam petere.

Ad rationem dubitandi patet ſolutio ex dictis. Ad confirmationem dicendũ eſt Romipetas tantùm, & peregrinos, quandiu tales ſunt, voluiſſe Summum Pontificem defendere, & in ijs, quæ ex legislatoris voluntate dependent, non valet argumentum ex paritate rationis. 5.

CAP.

# CAP. XII.

## *Contra offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.*

### TENOR BVLLÆ.

11. *Bulla censura.*  Tem excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos á suis Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominijs eijcientes: Nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

## *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius cẽsuræ, vt notant Caiet. in Summ. verb. *Excommunicatio*. cap. 11. & 12. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 101. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 15. num. 2. est sacrilegium, quo Ecclesia in suis principalibus membris læditur. Actiones principales prohibitæ sunt octo. Prima, interficere; secunda, mutilare; tertia, vulnerare; quarta, detinere; quinta, capere; sexta,

sexta, carcerare; septima, hostiliter insequi; octaua, eijcere à suis locis. Actiones accessoriæ sunt quinq;. Prima, mandare; secunda, ratũ habere; tertia, auxiliari; quarta, consulere; quinta, fauere. Personæ, quæ prædictis actionibus offendi prohibentur, sex numerantur. Prima, Cardinales; secunda, Patriarchæ; tertia, Archiepiscopi; quarta, Episcopi; quinta, Sedis Apost. Legati, sexta, Nuntij. Loca, è quibus ne eijciantur, Summus Pontifex vetat, sunt quatuor. Primus, Diœceses; secundus, territoria; tertius, terræ; quartus, dominia. De materia huius canonis tractatur in iure canonico cap. *Felicis*. de pœn. in 6. Extrauag. *Super gentes*. de consuetud. Clement. *Si quis suadente*. de pœn.

2. Hostiliter insequi, (vt notant Sylu. verb. *Excom.* 7. num. 23. & Sayr. vbi sup. num. 7) est insequi vt hostem, & inimicum capitalem, vel publicè, & manifestè, in quo sensu sumitur hostile in cap. *Si quis* o. 3. 11. quæs. 3.

Circa eijcientes notant Nauar. in Manu. cap. 27. num. 67. §. *Quinta*. Graff. vbi supra, & Sayr. etiam citato loco, nu. 8. eiectionem hoc loco prohibitam illam esse, qua prædicti á terris, & locis ipsorum proprijs eijciuntur. Vnde, vt hæc censura incurratur, non sufficit quòd á Regis curia eijciantur, quamuis in hoc casu incurratur illa, quæ habetur in dicta Clement. *Si quis suadente*. 3.

Notant etiam Nauar. & Graff. citatis locis non solùm iudices, & Principes eijcientes prædictos à terris suis, sed etiam lictores iussa exequentes excommunicari. Et ratio est; tum, quia huiusmodi lictores sunt verè eijcientes; tum etiam, quia, vt supra diximus, cap. 10. disp. 58. conclus. 3. exequentes censentur vna persona cum mandante, & idẽ est vtriusq; delictum. 4.

DISP.

## DISP. LX.

### *Vtrùm interficientes Cardinales, qui non dum habēt capellum, excommunicentur.*

RAtio dubitãdi à parte negatiua se offert, quia constitutio ista, secundùm quòd pœnalis est restringi debet; ergo non est interpretanda, nisi de Cardinalibus habentibus omnia Cardinalatus insignia.

1. *Conclusio.* Sit nihilominus conclusio; Qui actiones hoc canone prohibitas in Cardinalem nominatum, & qui iam assensit, licet capellum non habeat, exercet, huius excommunicationis reus efficitur. Hanc tenent Paludan. in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. casu 16. & Savr. lib. 3. de cens. cap. 15. num. 3. Et probatur; Simul atque in Cardinalem aliquis nominatur, & assentit, veré, & propriè Cardinalis efficitur, nam capellum accidẽtarium est; sed percutiens Cardinalem excommunicatur; ergo qui huiusmodi percutit, hac censura ligatur. Idem est si Cardinalis Cardinalem interficiat, vel idem se ipsum, aut quamcumque actionem ex prohibitis exerceat in se, vel in alium. Ita Vgol. hic §. 2.

Ad rationem dubitandi respondetur legem quãtumcumque pœnalem nõ restringi in eo casu, de quo secundùm proprietatem verborum, & communem acceptionem verificatur, quod circa Cardinales non habentes capellum contingit: nec ad accidentaria attendendum est, quando omnia substantialia dantur. 2

## DISP. LXI.

### *Vtrùm interficiẽs Episcopum non consecratum censuram huius canonis incurrat.*

PArtẽ huius quæstionis affirmatiuã tenet Graf. lib. 4. decis. c. 18. num. 102. falsò pro ea citãs Armillã, 1

& Nauar. Eius tamen sententia sic probari potest primò; Hæc constitutio est Episcopis fauorabilis; ergo quamuis interfectoribus videatur odiosa, qua ex parte est fauorabilis, extendi debet, ac proinde in illa particula, *Episcopos*, non consecrati etiam includuntur. Consequentia probatur ex cap. *Si quis suadente diabolo.* 17. quæs. 4. vbi excommunicantur percutientes Clericum, vel Monachum: quæ constitutio, licet odiosa percutiẽtibus, quatenus Clericis, & Monachis est fauorabilis, ad percutientes professos, cõuersos, & nouitios extenditur.

2. Secundò; Episcopus electus adhuc non confirmatus verè, & propriè est Episcopus; ergo qui illum interficit, per hunc canonem excõmunicatur. Cõsequentia est bona. Antecedens ex eo videtur certum, quia Episcopus confirmatus ante consecrationem potest actus iurisdictionis exercere; vt docet Nauar. in cap. *Accepta.* de rescrip. in solutione 8. oppositionis num. 31. iuxta cap. *Nihil.* de electione.

Sit tamen conclusio; Interficiens Episcopũ non consecratum, siue tantùm sit electus, siue etiam confirmatus, huius canonis pœnam non incurrit. Hác docent Armilla verb. *Excommunic.* excommunic. 3. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 67. §. 8. Viuald. in Cã del. in explanat. Bullæ Cœnæ nu. 88. Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 25. Suar. de cens. disput. 21. sect. 2. num. 69. & Sayr. lib. 3. de censu. cap. 15. numer. 4. Et probatur; Episcopus non consecratus non est verè, & propriè Episcopus, licet sit administrator; ergo illius interfector hac censura non plectitur; in pœnalib⁹ enim non extenditur lex vltra verborum proprietatem. Antecedẽs est communis Iuristarum sententia. Glos. in Clement. 2. verb. *Pontificum.* de celebrat. Miss. Archidiaconus in cap. *Illud.* 23. dist. Sylu. verb. *Excom.* 7. nu. 3. Conclusio.

7. nu. 44. & Caiet. verb. *Excommunic.* cap. 12. Et ratio est, quia Episcopatus est dignitas, & ordo supra Sacerdotium, & Episcopus in sui cōsecratione accipit characterem, siue nouum, siue extensionem præcedentis, in ordine ad corpus Christi mysticum, per quē Episcopus efficitur. Et cōfirmatur, quoniam Episcopus electus, & confirmatus tantùm ab Episcopatu repelli potest, vt docet Nau. in cap. *Si quando.* de rescrip. except. 10. num. 13. ex sentent. Cardin. & Imol. in cap. *Ex parte.* de Cler. ægrotan.

4. Ad primum argumentum in contrarium negatur consequentia. Et ratio est, quoniam hæc Episcoporum immunitas non datur propter iurisdictionē, sed propter consecrationem, quæ in proposito deest. Ad probationem ex c. *Si quis suadente.* dicendum est immunitatem illam Clericis datam ob dignitatem ordinis eis conferri; vnde ordinati omnes Clerici dicuntur, quoad Monachos verò extensionem fieri per alia iura, vt videre est in cap. *Monachi.* c. *Parochianos.* cap. *De monialibus.* cap. *Cum illorum.* de senten. excommun. cap. *Religioso.* §. fin. & ibi Gloss. in verb. *Non possit.* de sentent. exc. in 6.

5. Ad secundum negatur antecedens. Et ad probationem decendum est posse quidem Episcopum ante consecrationem in aliquo casu iure permisso actum iurisdictionis exercere, inde tamen non sequi esse verè Episcopum, cum Episcopatus non in iurisdictione, sed in ordine cōsistat.

## DISP. LXII.

### *Vtrùm omnes interficientes Cardinales, Archiepiscopos, &c. vel ad id dantes auxilium, consilium, vel fauorem, hoc loco excommunicentur.*

Pars

1. PARS affirmatiua hac vnica ratione suaderi potest; Hæc immunitas propter dignitatem personarum confertur, quæ interfici absolutè, & nulla facta distinctione, prohibentur; ergo ex quacumque causa interficiantur, censura incurritur; cum semper dignitas personalis, & persona interfici prohibita offendantur.

2. Conclusio. Prima conclusio; Qui per ignorantiam, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, in sui suorum vè bonorum defensionem, Cardinalem, Archiepiscopũ, &c. interficit, hac censura non ligatur. Hanc tenent Syluest. verb. *Excommunic.* 7. num. 3. Tabien. verb. *Excommun.* 5. casu. 2. §. 3. Nau. in Manu. cap. 27. num. 67. §. *Sexta*. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 69. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 15. num. 5. & Vgolin. hoc loco §. 3. vers. *Item in excommunicationem*, vers. *Quartò*. Et probatur, tum quia ignorantia inuincibilis excusat à culpa, tum etiam, quia vim vi repellere licet. cap. *Significasti*. o. 2. de homicid. voluntar. cap. *Si verò*. o. 1. de sentent. excommun. l. *Vt vim*. ff. de iust. & iur. l. *Scientiam*. §. *Qui cum aliter*. ff. ad legem Aquileam. Vnde sequitur non excommunicari hoc loco, nisi iniustos interfectores. Si igitur prædicti noctu incedant, mutato habitu, qui illos interfecerit ignorando inuincibiliter eorum dignitatem personalem, non excommunicabitur. Idem est in omni casu in quo secũdùm ius permittitur interfectio Ecclesiasticæ personæ sine hoc quòd excommunicatio incurratur. De qua re latè Vgolin. vbi sup.

Si quis tamen cõtra hãc conclusionem arguat; In occisione nocturna prædictarum personarum datur culpa lethalis, quæ etiam in defensione propria dari potest, vel saltem venialis; ergo nihil est, quod in his casibus ab excommunicatione interfectores excuset, cum in vno detur peccatum mortale, in alio veniale, 3.

niale, cum quo moderamẽ inculpatæ tutelæ non stat.

4. Respõdetur peccatum mortale, quod in primo casu inuenitur, non esse eiusdem speciei, aut saltem eiusdem circunstantiæ cũ eo, quod hoc loco prohibetur: nã hic sola talis qualitatis personæ occisio, non verò occisio absolutè, vetatur. Vnde qui ex ignorantia prædictos interficit, cum qualitatem personæ inuincibiliter ignoret, in hanc prohibitionẽ formaliter non delinquit. Quãdo autem cognoscit, & interficit in sui defensionem, ideo nõ incurrit istam pœnam, quia defensio iure naturæ licita est, in qua cum peccato veniali, imo & aliquando cum mortali moderamen inculpatæ tutelæ dari potest: & si nõ quoad omnes circunstantias, ita vt actus omni culpa vacet, tamẽ quoad occisionẽ absolutè, quia aliter se nõ potest defẽdere, quãuis ex cõcepto odio simul occidat.

5. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Ad prædictarum personarum interfectionem dantes auxilium, cõsilium, vel fauorem, quæ ad peccandum nihil adijciunt, seu ex quibus actiones hoc loco prohibitæ nõ sequũtur, ab hac cẽsura sunt immunes. Hãc tenet Sylu. verb. *Excommu.* 7. num. 44. ex sententia Ioan. Andr. Tabien. verb. *Excommunic.* 5. cas. 2. nu. 5. & cas. 3. nu. 1. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 103. Viuald. num. 89. & Sayr. nu. 12. & 13. citatis locis, Glos. in cap. *Nuper.* in verb. *Consilium impendo.* de sentent. excommun. & in cap. *Felicis.* in verb. *Fauorem.* & in verb. *Simplici fauore.* de pœn. in 6. Et probatur; Dare auxilium, consilium, vel fauorem eatenus prohibentur, quatenus quodammodo sunt causa actus principaliter prohibiti; ergo quãdo ad talem actũ nõ adijciunt, hac lege, & censura non interdicuntur. Tunc igitur dans auxiliũ, consilium, vel fauorem excommunicatur, quando non nuda, sed fraudulenta censentur, cum

videlicet

videlicet ex illis ad operandum alius mouetur, nō verò quando vel non mouetur, vel nō magis, quàm antea in suo proposito firmatur.

6. Auxilium præstatur dādo instrumenta, occultando in loco, vnde ad interficiendum quis exire possit: consilium vero, suadendo, rogando, impellendo, vel securitatem ostendendo: fauorem præstat, qui defendit, comitatur, vt tutò interficiat, & alijs modis similibus iuuat.

7. Contra hanc cōclusionem obijcitur; Dantes auxilium, consilium, vel fauorem peccāt mortaliter, licét actiones principales non sequātur, faciuntque per hoc personis exemptis iniuriam manifestam; ergo cum verè auxiliū præstent, dent consilium, & fauorē impendant cum iniuria, excommunicationem incurrent.

8. Respōdetur verum quidem esse dari in hoc casu mortale peccatū, iniuriosum ex natura sua, quia tamen huiusmodi actiones principaliter prohibitæ non sunt, sed in ordine ad actiones principales, non cēsentur perfectæ, nisi quando aliarum actionum sunt causa, secus veró si nihil operentur; quanuis id per accidens eueniat. Nam censura, quæ requirit actum perfectum, si actus non sequatur, non incurritur, quanuis interueniat peccatum, quod in sola voluntate perficitur.

Ad argumentum initio positum respondetur, esto immunitas detur propter dignitatem personarum, necessariam esse actionem externam iniuriosam circa personas priuilegiatas, qualis non datur quando vel ignoratur persona, vel iustè interficitur; nam prohibitio non materialiter sed formaliter intelligenda est. 9.

(:)

DISP.

## DISP. LXIII.

### *Vtrùm mandantes interficere personas hoc canone exemptas, effectu non secuto, excommunicationem incurrant.*

1. EXcommunicari mandátes interficere Cardinales, & alios Prælatos, etiam effectu non secuto, probari videtur ex cap. *Pro humani*. de homic. in 6. vbi excommunicatur mandás interficere Christianum per assasinos, quanuis effectus non sequatur; ergo satis est mandare, esto mãdatum non expleatur. Et confirmatur, quia, vt colligitur ex Gloss. ibi in verb. *Mandauerit*. hoc ipsum mãdatum est delictum consummatum.

2. 1. Cõclusio. Sit pro resolutione prima conclusio; Actiones hoc canone prohibitas exequi mandans, effectu non secuto, in excommunicationem nõ incidit. Docẽt hanc conclusionem Sylu. verb. *Excommunic*. 7. num. 44. Tabien. verb. *Excomm*. 5. cas. 2. nu. 4. Armil. verb. *Excommun*. excommunic. 2. Graff. lib. 4. decis. c. 18. nu. 103. Viuald. in Cand. ni explanat. Bullæ Cœnæ nu. 89. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 15. num. 9. Et probatur; Verba absolutè prolata cum effectu intelligẽda sunt, præsertim quando actiones per ea prohibitæ sunt accessoriæ; ergo, vt mandans excommunicetur, necesse est quòd sequatur effectus. Consequentia est bona. Antecedens habetur in cap. *Relatum*. de Cler. non resid. de pœnit. dist. 1. §. *Hæc autem verba*. & aliàs sæpe in iure. Videnda est Gloss. in dicto cap. *Relatum*. in verb. *Cum effectu*. & in Clemen. *Si quis suadẽte diabolo*. de pœn.

Secunda conclusio; Si mandans reuocauit mandatum, & reuocatio ad mãdatarium ante actus executionem peruenit, non 3. 2. Cõclusio.

excom-

excommunicatur,quanuis mandatarius, non obstãte reuocatione, mandatum cõpleat. Hanc tenet Syar. cit.loco,& Vgolin.hic ad illa verba. *Nec non ea mandantes*.§.3. verſ. *Primùm*. Et ratio eſt,quia ex quo mandans mandatum ſuum ſufficienter reuocauit, non eſt cauſa actus ſecuti, nec mandatarius ex vi mandati,ſed ex malitia ſua delictũ committere præſumitur.

4. Contra hanc tamen cõcluſionem hoc poteſt confici argumentum; Qui ad prædictas actiones dedit conſiliũ, licét poſtea illud retractet, ſecuto effectu, excommunicatur; ergò idem dicendum erit de mandante.

5. Ad hoc argumentum ſunt qui concedant parem eſſe rationem de mandante,& conſilium dante,quia exiſtimant conſiliarium, reuocando ſufficienter cõſilium, non eſſe cauſam moralem actus ſecuti. Ita Vgolin.in verbo. *Conſiliũ.* verſ. *Secundò*. Hæc tamen doctrina mihi non probatur,cum re vera cõſiliarius, quantumcumque conſiliũ retractet, cenſeatur cauſa moralis actus: vnde eſt, quòd ſecundùm omnium ſententiam ad reſtitutionem tenetur,ad quam nullus,niſi in actum moraliter influat, obligatur.

Ad argumentum igitur negãda eſt conſequentia. 6.
Et ratio eſt, quia mandatarius non niſi virtute mãdãtis operatur,atque adeò reuocato mandato non operatur mandantis virtute,ſed propria: cæterũ accipiens conſilium virtute propria operatur,quanuis motus ab alio per formã, vel quaſi formam ab eo acceptam, ſuaſit enim cõſiliarius operanti,per conſilium, debere actiones illas facere, idque ſibi eſſe conueniens, quod re vera eſt aliqua forma manens in intellectu,& voluntate cõſilium accipientis, á conſilium dante in conſeruari non dependens: quidquid autẽ à mandante in mãdatario ponitur ab eo pẽdet in fieri, & conſeruari, eſt enim

enim mādatarius simplex mandati executor. Vnde apparet manifestè auferri causalitatem, & influxum in actum, reuocato mandato, non verò retractato consilio.

7. Ad argumentum initio factum negatur consequētia, nam casus illius textus particularis est, & specialiter determinatus, ex quo ad alios casus non sumitur argumentum, præsertim quando in vno actio est accessoriè, in alio verò principaliter prohibita, quia in primo non sufficit mandare, quod in secundo sufficit. Et hic est sensus citatæ Glossæ, videlicet, hoc ipsum mandatum est delictum commissum; ibi enim principaliter, & directè prohibetur mandatum. Ex quo patet ad confirmationem soluti.

## DISP. LXIIII.

### *Vtrùm ratam habens percussionem Cardinalis, vel aliorū Prælatorum hanc censurā incurrat.*

Circa hanc quæstionē Nau. in Man. c. 27. n. 67. §. *Septima.* dicit ratum habentem nomine mādātis comprehendi. Quam sententiam sequitur Suar. de cēs. disp. 21. sect. 2. n 71. dicens tunc propriè dari ratihabitionē, quando ipsa est virtuale quoddā mādatum. Potest cōfirmari hæc sententia ex regul. 10. de regul. iur. in 6. quæ sic habet; *Ratihabitionē retro trahi, & mandato non est dubium comparari.* Quod similiter habetur in c. *Cum quis.* de senten. excom. in 6. 1.

Horum tamen Doctorum placitū, si illud de iuris prçsumptione interpretentur non displicet, nam secundùm ius dari videtur præsumptio antecedentis consensus, quia vt docet Panorm. in cap. 1. de cōuer. infid. in fin. quem sequitur Syluest. verb. *Consensus.* num. 6. §. 4. ad ratihabitionē requiritur, quòd ex- 2.

trema sint habilia ad illum actum perpetrandum, scilicet tempus, in quo actus gestus est, & tempus ratihabitionis: quòd si alterũ istorum desit, ratihabitio non procedit: cum enim ipsa sit iuris fictio, procedere nõ potest super impossibili. De qua re Bart. in l. *Si quis pro emptore*. ff. de vsu cap. ex qua doctrina manifestè colligitur dari præsumptionem iuris antecedentis censas. Si verò prædicti Doctores velint ratihabitionem esse verè mandatum virtuale, non placet eorum sententia, nam mãdatum semper antecedit, atque adeò in actum influit. Quod in ratihabitione circa actionem præteritam nõ inuenitur. Vt igitur appareat, quando ratum habens actiones hoc loco prohibitas, excommunicetur, nonnullas conclusiones trademus.

3. 1. Cõclusio. Prima conclusio: Ratas habens actiones hoc canone prohibitas, si nomine illius factæ non sint, vel si extrema non sint habilia, excommunicatiõnem nõ incurrit. Hanc conclusionem quoad primam partem, quæ communis est, tradunt Syluest. verb. *Excommunic*. 7. nu. 23. Tabien. verb. *Excommunic*. 5. cas. 2. num. 6. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 15. num. 11. & habetur de regul. iuris iñ 6. regul. 9. vbi sic dicitur; *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. & cap. *Cum quis*. de sentent. excommunic. in 6. & l. *Si seruus*. ff. de preca. Secunda pars patet ex citata sententia Panorm. Exemplum esto: si quis interficiat aliquem prædictorum nomine infantis non habentis rationis vsum, quãtumcũque ille postquám ad annos discretionis peruenerit, ratum habeat factum, in excommunicationem non incidit, quia secũdùm ius hoc non est propriè ratihabitio. 4.

2. Cõclusio. Secunda conclusio: Qui ratum habet factum, non autem qualitatem illius, scilicet quod ipsius nomine perpetratum sit, non incurrit

incurrit hanç censuram. Ratio est manifesta, quia non habens ratum, quod nominé suo factum est, vt suo nomine factum, non dicitur ratum habere, vt probat Syluest.verb. *Consensus*.num. 6.§.2.

5. 3. Cōclusio. Tertia conclusio; Vt censura huius canonis incurratur, sufficit ratihabitio tacita. Probatur, quoniā hęc sufficit in maleficijs vt quis verè, & propriè dicatur ratum habere, vt ex cap. 1. vt lite non contest. colligit Gloss. in verb. *Procuratoris*. Gloss. item in cap. *Notum*. in verb. *Et consentientem*. 2. quæs.1. & Sylu. loc. proximè cit. Exemplū est in carcerantibus, vel retinētibus prædictos Prælatos aliorum nomine. In quo casu, illi, quorum nomine hoc factū fuit, postquám illud nouerint, cum posśint, non reuocant, facto approbant; ac proinde tacitè ratum habent. Euenire hoc potest in omnib⁹ illis actionibus hic prohibitis, quæ tractum successiuum habent. Quid verò si à principio ratum non habuit, postea tamē approbauit. Respondent Feder. de Sen. in consil. 238. Anchar. in cap. *Cum quis*. de senten. excōmun. in 6. nu. 5. vers. *Quæro*. Marian. Socin. sent. in c. *Sicut tuis*. nu. 17. de simo. & Vgolin. hic ad illa verba, *Vel rata habentes*, quia factum intelligitur de facto à principio l. *Boues*. §. *Hoc sermone*. ff. de verb. sig. & quia sicut statim approbando excommunicatur, esto deinceps reprobet, sic reprobando ab excommunicatione liberatur quanuis postea approbet.

Contra primam, & secundam cōclusionem hoc potest fieri argumentum; 6. Quæcumque approbatio, & cōfirmatio cuiuscumq; actus dicitur ratihabitio; ergo non opus est, vt actio alicuius nomine fiat, vt rata haberi censeatur. Consequētia est bona. Antecedens colligunt Doctores ex l. 1. in prin. ff. quod metus causa. l. 1. C. si maior factus ratum habuerit. l. *Quod*

*enim*.12. in princip.ff. rem ratã habere. Illudq; docet Iazon in l.*Omni modo*. nu. 6. C.de inofficiof. teft. Et confirmatur, quia in criminibus talis ratihabitio ad peccatum fufficit.

7. Refpondetur tamen ratihabitionem accipi dupliciter, primo latè, vt comprehẽdit omnem confenfum in actum præteritum; in quo fenfu loquũtur iura, & Doctores in argumento citati: fecundò preffè pro confenfu in actum alicuius nomine geftũ. Qua ratione de ratihabitione loquimur in conclufionibus præcedentibus. Cum igitur materia fit pœnalis, explicanda funt verba cenfuræ iuxta fauorabiliorẽ, & magis pripriã fignificationẽ, qualis hęc vltima cẽfetur.

8. Ad confir.quã pro fent. Nau.& Suar.adhibuimus, refpõdetur non eandẽ effe rationem de ratihabitione quoad peccatum abfolutè, & quoad cenfurã hoc canone latam. Nam ad culpam fufficit confenfus in obiectum prauum, ad cenfuram autem legis violatio requiritur.

## DISP. LXV.

### *Vtrùm defenfores, & receptatores interficiẽtium Cardinales, Archiepifcopos, &c. cenfura huius canonis innodentur.*

PRO parte negatiua huius quęftionis illud ftat, quòd quando Sum. Pont. voluit excõmunicare defẽfores, & receptatores, de illis expreffam mentionẽ fecit, vt in alijs claufulis huius Bullę videre eft; hoc autẽ loco illos prętermifit; fignũ igitur eft eos hoc canone cõprehendere noluiffe. 1.

In contrariũ eft opinio Nau.in Manu. c.27.n.67. §.*Sexta*. afferentis fub illis verbis, *Auxiliũ, cõfiliũ, & fauorem*, contineri omnia, de quibus in Clem. *Si quis fuadente*. fermo fit, atque adeò per easdem particulas defenfores, & receptatores excommunicari.

Vt

2. Vt quid in hac re dicẽdum sit appareat, supponẽdum est ex Gloss. in Clement.1.in verb. *Defensauerit.* de pœnit. defensores, & receptatores interficientium Cardinales, & alios Prælatos, vel illos defendere, & receptare ante patratum crimen, vel quando est in fieri; vt si actio tractum habeat successiuum, vel post crimen commissum. In quibus casibus, vel defendunt, & receptant eos vt amicos, vel vt criminosos.

3. 1. Cõclusio. Hoc posito, sit prima conclusio; Receptatores, & defensores interficientium prædictos Prælatos excõmunicãtur hoc loco, quãdo ex eorũ receptatione, & fauore, vel crimen cõmittitur, vel in fieri conseruatur. In hoc sensu vera est sententia Nau. Et ratio est quia huiusmodi receptatores, & defensores verè, & propriè ad crimen perpetrandum auxilium, & fauorem præstant.

4. 2. Cõclusio. Secunda cõclusio; Qui post cõmissum crimen prędictos defendunt, & receptant, siue vt amicos, siue formaliter vt criminosos, in censuram huius canonis nõ incidunt. Hanc ex parte tenet Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 72. Et probatur argumento posito à parte negatiua. Deinde; Qui post crimen patratum prædictos receptat, & defendit, ad ipsum patrandũ auxilium, consilium, vel fauorem non impendit, est enim in hoc casu crimen iam perfectè commissum, nec in fieri perseuerat; ergo huiusmodi receptatores, & defẽsores ex vi huius canonis nõ excõmunicãtur. Probatur cõsequẽtia, quia postquàm Summus Põtif. quas prohibet, actiones numerauit, addit, *Præstantes in eis auxilium*, &c. Quæ verba non obscurè ostendunt in prædictis actionibus præstandũ esse auxiliũ, atque adeò illud debere antecedere: qui autẽ post actiones iam factas receptant, non in illis, sed in re alia hoc loco non prohibita, fauent, ad vitandum

 scilicet

ſcilicet amicorum ſupplicium. Quòd autem receptatores approbantes ſic factum non excommunicentur, ex diſp. præced. patet. Cum enim illorũ nomine crimen commiſſum non ſit, non dicuntur ratum habere in ordine ad excommunicationem incurrendã. Nihilominus per Clement. 1. de pœn. & per cap. *Felicis.* eod. tit. in 6. excommunicantur.

## DISP. LXVI.

### *Utrùm interficientes Clericos, vel Religioſos de familia Cardinalium hoc loco excõmunicentur.*

1. Partem huius quæſtionis affirmatiuam defendit Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ nu. 86. dicens exercẽtes actiones per hanc clauſulam vetitas in Clericos, vel Religioſos de familia Cardinalium, ex vi illius excommunicari. Probat, quia licet hoc loco de Cardinalibus tantùm, & alijs Prælatis mentio fiat, per extẽſionem eos etiam comprehendit cenſura, qui excõmunicantur in cap. *Felicis.* de pœn. in 6. & in conſtit. Pij. V. edita anno Domini 1569. 14. Calend. Ianuar. quæ incipit. *Infelicis ſæculi.* quibus in locis huiuſmodi interfectores excommunicantur. Citat pro hac parte Armill. in Summ. verb. *Excomm.* excomm. 2.

Sayr. lib. 3. de cenſ. c. 15. num. 3 prædictam Viuald. ſententiam tunc veram eſſe credit, quando illæ actiones Cardinalium intuitu in Clericos, & Religioſos de illorũ familia exercentur, quia tunc, inquit, iniuria illa ipſis Cardinalibus fieri cenſetur. 2.

Neutra tamen harum opinionum videtur vera. Sit igitur concluſio; Interficientes, vel vulnerantes Clericos, aut Religioſos de familia Cardinalium, etiam in eorum præſentia, & eorum intuitu, per hãc 3. *Concluſio.*

Bullam

Bullam non excommunicantur. Probatur conclusio; tum quia Summus Pōtifex hoc loco de huiusmodi interfectoribus non loquitur, nec censura ex parte qua pœnalis est extendi debet; tum etiam, quia ratio censuræ in istis cessat, imponitur enim propter dignitatem personalem Cardinalium, qua Clerici, & Religiosi de eorum familia insigniti non sunt. Dixi, *Per hanc Bullam*, quia per caput *Felicis.* & cōstit. Pij. V. certum est excommunicari excommunicatione Summo Pontifici reseruata.

Ad rationes pro sententia Viuald. & Sayr. dicendum est constitutionem pœnalem non extendi ad diuersum casum, præsertim efficaci, & simili ratione non cogente: iniuriam etiam factā Cardinalibus per illas percussiones non prohiberi hac censura; de qua similiter non loquitur Armilla, sed de ea quæ in cap. *Felicis.* continetur.

## DISP. LXVII.

### *Vtrum eijcientes Cardinales, & alios Prælatos à locis, vbi munus suum explere debent, excōmunicentur.*

PARTI negatiuæ fauet Nauar. in Manu. c. 27. num. 67. §. *Quinta.* quatenus docet voluisse Summū Pōtif. per hanc clausulam prouidere contra illos iudices sæculares, qui, cum Episcopos non parentes suis iussis nō possint capere, nec punire, iubent eis, vt è regno exeant; ergo iuxta Nauar. sententiam necesse est, vt prædicti á locis proprijs eijciantur, vbi ad minus ordinariam habent iurisdictionem. Et confirmatur, quoniā aliàs à terris suis expelli non dicerentur. 1.

Pro resolutione sit prima conclusio; Eijcientes prædictos à locis, vbi munus suum explere debent, 2. 1. Cōclusio.

per hanc clausulam excõmunicantur. Hanc conclusionem tenet Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 101. & Suar. de cens. disput. 21. sect. 2. num. 70. Et probatur: Eijcientes Cardinales, Archiepiscopos, &c. à territorijs suis excõmunicantur, vt patet; sed territoriũ dicitur ille locus, vbi aliquis iurisdictionem exercet, vt constat ex c. *Nouit.* de offic. leg. cap. *Vt animarum.* de elect. & ibi Gloss. in verb. *Territorium.* & l. vltim. ff. de iurisdict. omni. iudic. ergo qui à prædictis locis eos eijciunt, hac censura plectuntur.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Vt hæc censura incurratur, satis est quód prædicti eijciantur á locis, vbi delegatum tantùm habent iurisdictionem, vel ad quæ etiã sine iurisdictiõne missi fuere. Probatur; Non omnes Nuncij Apostolici sunt iudices; & tamen qui eos eijcit excommunicatur; ergo quanuis Nuncius nullam habeat iurisdictionem, qui illum expellit, censuram incurrit. Consequentia est bona. Minor habetur in Bulla; maior verò in cap. *Ius gentium.* 1. dist. & cap. *Nobilissimus.* 97. dist. Quibus in locis agitur de Nũcio Papæ pro ambatiata, vel ad nudum ministerium misso, qui nullam iurisdictionem habet, in quo à Legato distinguitur, qui semper in certa Prouincia ordinarius iudex constituitur, vt notat Sylu. verb. *Delegatus.* num. 16. Deinde; Episcopus, qui renunciauit Episcopatui, & non ordini, non habet iurisdictionem aliquam, quanuis illam habere possit delegatam; & tamen, quia est verè Episcopus, qui illum à regno eijcit, excommunicatur; ergo non solùm excommunicantur expellentes eos, qui ordinariam habent iurisdictionem, sed etiam qui delegatam, vel nullam. Non tamen excommunicabitur qui prædictos ad loca venientes non admittet, eó quòd in Bulla solùm eijcere prohibetur.

Ad

4. Ad argumentum in cōtrarium respondetur Summum Pontific. non solùm intendere impedire ne Cardinales,& alij nominati à locis, vbi ordinariam iurisdictionem exercent, expellantur, sed etiam ab illis, vbi solùm delegatam, vel ad quæ pro ministerio aliquo exequendo, mittūtur, ob dignitatem personarum. Ad confirmationē dicendum est nomine terræ quod in Bulla ponitur, intelligi quemcumque locum, siue in quo viuunt, siue in quo iurisdictionem exercent, qui dicitur locus sui muneris.

# CAP. XIII.

## *Contra lædentes eos, qui ad Curiam Romanam pro negotijs suis recurrunt.*

### TENOR BVLLÆ.

*12. Bullæ censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eádem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel

vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi, occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directé, vel indirecté, delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

## *Notationes circa textum.*

MAteria huius cẽſuræ, vt notat Caietan. in Sum. verb. *Excom.* c. 15. eſt ſacrilegium, quo ex certa ſpeciali cauſa (litis videlicet, vel negotij) offenduntur qui ſub protectione Apoſtol. Sedis ſunt. Quoad perſonas offendentes eſt vniuerſalis, comprehendit enim omnes cuiuſcunque dignitatis, & præeminentiæ. Quantum verò ad perſonas offenſas, ad nouem perſonarum genera extẽditur. Quarum primæ ſũt, recurrentes ad Romanam Curiãm in ſuis cauſis, vel negotijs; ſecundæ, huiuſmodi cauſas, vel negotia in eãdem Curia proſequentes; tertiæ, procurantes; quartæ, negotiorum geſtores; quintę, aduocati; ſextę, procuratores; ſeptimę, agẽtes; octauæ, auditores ſuper dictis cauſis, vel negotijs deputati; nonæ, iudices etiam deputati ſuper eiſdẽ cauſis, vel negotijs. Actiones principales tres prohibentur. Prima, occidere; ſecunda, quoquo modo percutere; tertia, bonis ſpoliare: ſiue hæc per ſe, ſiue per alios, ſiue directè, ſiue indire-

indirectè quis faciat. Actiones accessoriæ sunt sex. Prima, prædicta committere; secunda, exequi; tertia, procurare; quarta, in eis dare auxilium; quinta, dare consilium; sexta, dare fauorem.

Circa hanc censuram illud notandum occurrit in ea non excommunicari prædictas actiones exercentes in personas prohibitas, nisi quando prædictarum causarum, & negotiorũ occasione id faciunt: causas etiam, & negotia ex ijs esse debere, quorum tractatio ad Curiam pertinet, vt non obscurè ostendunt verba illa, *Ad Romanã Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes*. Vnde percutiens venientem ad Romanam Curiam super aliqua causa á Curiæ iurisdictione aliena, non excõmunicatur.

## DISP. LXVIII.

### *Vtrúm percutiens recurrentem per alios ad Sedem Apostolicã excommunicetur.*

NON excommunicari percutientem eum qui in suis causis per aliũ ad Sedem Apostolicam recurrit, quanuis ratione talis recursus illum percutiat, sic probari potest; Quando in censura contra percutientes lata non exprimitur quód id per se, vel per alios faciant, solùm explicatur de percutientibus per se, & qui per aliũ percutit in excommunicationem non incidit; ergo simili ratione quando censura loquitur de recurrentibus ad Sedem Apostolicam, non declarans an de recurrentibus per se vel per alios loquatur, de recurrentibus tantùm per se intelligenda erit; sed hoc contingit in proposito casu; ergo percutiens recurrẽtem per aliũ nõ excõmunicatur. Huius sentẽtię est Vgol. hic vers. *Quintò in excõmunicationẽ.* quatenus dicit agentes negotia

sua

ſua per literas non excommunicari, eo quòd non recurrunt.

2. Cōcluſio. Prima concluſio; Percutientes recurrentem ad Romanam Curiam in ſuis cauſis, ſiue per ſe, ſiue per alium recurrat, ſiue per literas negotium tractet, excommunicātur, dūmodò ratione talis recurſus illum percutiāt. Hanc cōcluſionem tenet Sayr. lib. 3. de cenſ. cap. 16. num. 5. Et probatur; Qui per aliū ad Curiam Romanam recurrit, verè, & propriè ad illam recurrere dicitur; ergo, qui illum percutit, excommunicatur. Patet conſequentia, quia in hac clauſula excommunicantur percutientes eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt. Antecedens probatur; Recurrere in cauſis, & negotijs ad aliquem iudicem, vel ad aliquod tribunal, nihil aliud eſt quàm illuc negotia, vel cauſas transferre, vt de eis ibi tractetur; ad hoc autem non requiritur perſonalis recurſus; ergo qui per alium recurrit, verè, & propriè recurrit. Deinde; Intentio Summi Pontif. in hac clauſula eſt eos defendere, qui in ſuis cauſis ad Sedis Apoſtolicę protectionem confugiunt, ita vt in ea liberè poſsint cauſas, & negotia ſua tractare; ſed hæc ratio æqualiter inuenitur in recurrente per ſe, & recurrente per alium; ergo omnes iſtos Summus Pontifex hac cenſura defendit; aliàs enim, qui ad Sedem Apoſtolicam per ſe recurrere nō poſset, ſed per aliū, multoties occiſionis, vel percuſsionis timore, iuris ſui proſequendi aditus ei præcluderetur. Intelligitur etiam hæc cenſura, eſto cauſa extra Curiam de mādato Summ. Pontificis tractetur, quod fit multoties.

3. 2. Cōcluſio. Secunda concluſio; Percutiens recurrentem ad Sedem Apoſtolicā in ſuis cauſis, ipſis iam terminatis, non excommunicatur, quāuis occaſione præcedentis recurſus illum percutiat. Probatur, quia Summus Pontifex excommunicat hoc

hoc loco eum, qui percutit recurrentem ad Sedem Apostolicam, &c. sed post terminationem causarum, ille non dicitur recurrens, atque adeò qui illum percutit non excommunicatur. Hæc conclusio est conformis conclusioni tertiæ disputationis 59. Intelligitur tamen gaudere hoc priuilegio donec in domum suam redeat, quia facultas de veniendo ad aliquem locum intelligitur etiam de redeundo.

4. Si quis tamen contra hanc cōclusionem arguat, sequi ex illa non esse sufficienter prouisum à Summo Pontifice, vt liberè vnusquisque in suis causis ad illum possit recurrere, æqualiter enim fere recursum impediet, vel retardabit timor percussionis tẽpore recursus, quàm post illum faciendæ.

5. Respondetur tamen Summum Pontific. tantummodò velle auferre impedimenta proxima, quæ liberum recursum ad Sedem Apostolicam retardare possint, non verò remota; neque enim legislator de omnibus contingẽtibus tenetur disponere, nisi tantùm de proximis, & principalibus.

Ad argumentum initio factum negatur consequẽtia. Et ratio differentiæ est, quia percutere, & interficere dicunt actiones personales, quæ per ipsos percutientes, & interficiẽtes fiunt; nam percutére per alios potiùs est mandare, vel quid simile, quàm percutere; vnde cum in pœnalibus non debeat terminus extendi vltra propriam significationem, nõ interpretãdum est verbũ, *Percutere*, nisi de interficiente per se. Recurrere autem in causis, non tam dicit personas, quám causas, atque adeó impertinẽs est ad veram, & propriam rationem recursus, quòd quis per se, vel per alium recurrat. 6.

DISP.

## DISP. LXIX.

### *Vtrùm sufficiat crimi naliter accusare recurrentem ad Sedem Apostolicam, vt huius canonis censura incurratur.*

1. Circa hanc difficultatem Say.lib.3.de cens. cap.16. num.4.§. *Secunda.* absolutè docet accusantē criminaliter eos, qui in suis causis ad Sedem Apostolicam recurrunt, aut iudices in eisdem causis, aduocatos, & reliquos, de quib' in Bulla sermo est, excommunicari, si occasione dictarum causarum accuset, dummodó accusatio sit de falso crimine, aut per falsos testes probato, non autem si de vero. Hæc tamen sententia, vt perfectè intelligatur, sequentibus conclusionibus explicanda erit.

2. *Conclu sio.* Prima conclusio; Qui aliquem prædictorum criminaliter accusat, iustè tamen, licèt ex odio, & occasione causæ ad Sedem Apostolic. delatæ, censurā huius canonis non incurrit. Probatur; Summus Pontifex per hanc censurā non intendit aliquem iure suo priuare; solùm enim vult auferre impedimenta, vt vnicuique liberum sit ad Sedem Apostolicam recurrere; sed iusté accusans habet ius ad accusandum; ergo cum illud integrum perseueret, etiam post huius Bullæ promulgationē, sine timore censuræ accusare, accusationēque vsq; ad finem prosequi valebit.

3. 2. *Cōclusio.* Secunda cōclusio; Qui ad Sedem Apostolicam iustè recurrentem, ratione talis recursus iniustè accusat, ex qua accusatione accusato pœna mortis, percussionis, aut amissionis bonorum imponitur, per hunc canonem excōmunicatur. Probatur; Exercens per alios actiones hoc loco prohibitas, vt ex Bullę cōtextu constat, excōmunicatur;

nicatur; sed sic accusans, per alios exercet actiones prohibitas; ergo excommunicatione huius canonis innodatur.

4. 3. Cōclusio. Tertia conclusio; Accusans iniustè ad Sedem Apostolicam recurrentes, si accusatio vsque ad inflictionem pœnæ nō perducatur, vel pœna per actionem hoc loco prohibitam non infligatur, in excommunicationem huius Bullæ non incidit. Probatur; In primo casu huius conclusionis nec mors, nec percussio, nec bonorum ablatio secuta est, quod necessariò requiritur, vt censura incurratur. In secundo pœna inflicta non inuoluit aliquam actionē hoc loco prohibitam, qua deficiente censura non ligat; ergo in his casibus accusans, quantumcumque iniusté, huius censuræ reus non efficitur.

5. 4. Cōclusio. Quarta conclusio; Accusans criminaliter, iniustè licét, iniustè recurrentē ad Sedem Apostolicam, vt talem recursum impediat, huius canonis excommunicatione nō plectitur. Probatur; Summus Pontifex iniustis delationibus causarum fauere non intēdit; ergo non defendit per hanc Bullam iniustè recurrentes; atque adeó qui hos accusat, quanuis ex accusatione actionum prohibitarum aliqua sequatur, in excommunicationem nō incidit.

6. Recurrētes iniusté hoc loco eos intelligo, quibus recursus nulla ratione secundùm iuris ordinem, tā in foro externo, quám in cōscientia competit; secus verò si res dubia sit, esto probabilius sit non competere recursum: tūc enim ad superiorem pertinet determinare, an iusté, vel iniustè ad Sedem Apostolic. recurratur.

## DISP. LXX.

### *Vtrùm infamans recurrentem ad Sedem Apost. ob talem recursum, excōmunicetur.*

Viuald.

1. Viuald. in candel. in explanat. Bullæ Cœnæ nu. 91. partem huius quæstionis tenet negatiuam, videlicet non excommunicari ex vi huius clausulæ infamantem eum, qui in suis causis ad Sedem Apostolicam recurrit. Probatur hæc sententia primò; In tota hac censura nulla mentio fit de infamia; ergo infamans ex vi illius non excõmunicatur. Et si quis dicat infamiam contineri sub illis verbis, *Bonis spoliãt*, cum fama, quæ per infamiam aufertur, bonũ quoddam sit: contra arguitur, quia licèt fama sit quoddá bonum, verbum, *Spoliant*, restringit illud verbum, *Bonis*, vt accipiatur tantùm pro bono immobili. Nam spoliatio, vt colligitur ex c. *Frequens*. de rest. spoliat. in 6. est rei immobilis ablatio: dicitur enim in eo c. spoliatus, qui substantia sua priuatur, substantia autem, vt habetur l. vltim. C. de verborum significat. accipitur pro patrimonio, quod non est res mobilis. Cum igitur fama mobilis res sit, iuxta illud Virgilij Ænead. 4. *Fama malum, quo non aliud velocius vllum Mobilitate viget.* &c. & illud Ouid. 4. de Ponto eleg. 4. *Fama per immensas aëre lapsa vias.* non dicetur quis illa spoliari.

Secudò; Nullus spoliatur re, quam non possidet, vt manifestum est; sed homo non possidet famam suam; ergo non potest illa spoliari: atque adeò sub illis verbis, *Bonis spoliant*, nõ continetur fama; cum ea solùm ibi intelligi debeãt, quibus aliquis spoliari valet. Probatur minor, quoniam fama, & honor quamuis fundamentum habeãt in honorato, & in eo de quo præclara diuulgatur fama, verè, & propriè sunt apud alios, nam fama est clara cum laude notitia, & honor testimonium excellentiæ, quæ est in homine, atque adeó ab illis non possidentur. Et confirmatur eadem minor; quia possessio est corporalis rei detẽtio, spiritualia enim non possidẽtur. cap. *Conquestus.* 2.

de

de foro competen. & ibi gloss. verb. *Quasi possessione.* & cap. *Cum Ecclesia.* de causa possessionis; ibi etiam Glos. verb. *Quasi possessione.* l. *Sequitur.* §. *Si viā.* ff. de vsu capio. & l. 3. in princ. ff. de acquirend. possess. fama autem non est quid corporale.

3. Pars tamen affirmatiua non contemnendis argumentis suaderi potest. Primò; Per hanc censuram excommunicātur spoliantes bonis suis eos qui ad Sedem Apostol. recurrūt; sed qui prædictos infamāt, iniustè spoliant illos bonis suis; ergo hanc censuram incurrunt, si infamia talis sit, quæ ad peccatum mortale pertingat. Probatur minor; In Iure hæc dictio. *Bona*, in plurali significat res nostras, quæ sunt in nostro dominio, aut quasi dominio, vt videre est in l. *Bonorum.* ff. de verb. signif. sed fama est in nostro quasi dominio; ergo, qui illam iniustè aufert, spoliat hominem bono suo, imó maximo bono inter bona externa, vt docet S. Thom. 1. 2. quæs. 2. art. 2. ad. 1. & 2. 2. quæs. 103. art. 1. ad 2. & aliàs sæpe. Minor est sententia ferè communis, quam inter alios docent Sot. lib. 4. de iust. & iur. quæst. 2. artic. 3. conclu. 4. Arag. de iust. & iur. quæst. 62. art. 1. Ban. ibid. quæst. 2. de dominio, Petrus Ledesm. in Summ. tom. 2. tract. 8. cap. 3. conclus. 7. & alij non pauci. Et ratio est, quia earum rerum homo est dominus, & eas possidet, vel quasi possidet, quas per arbitrij facultatem gubernat; atqui, vt Sanct. Thom. docet. 2. 2. quæst. 73. artic. 4. ad 1. homo gubernat honorem, & famam per facultatem arbitrij; ergo honoris, & famæ est verè dominus, illaque quasi possidet. Et confirmatur ex eo, quòd homo possidet, & est dominus earum rerum, quæ vsui humano subijciuntur; huiusmodi sunt honor, & fama, vt proximè citat. loc. quæst. 129. art. 1. S. Thom. docet.

4. Secūdò; Si spoliare solū

intelligeretur de bonis materialibus, sequeretur spoliantem iure suo, aut seruitute recurrentem ad Sedē Apostolic. non excommunicari, quod nulla ratione admittendum est; ergo sub illis verbis, *Bonis spoliant*, nō solùm materialia, sed etiā immaterialia bona comprehenduntur. Probatur sequela, quia ius, & seruitus nō sunt res materiales, nec propriè possidentur, sed quasi possidentur. Nec potest dici ex eo infamatorem sub illis verbis non comprehendi, quia secundùm propriam significationem nullus dicitur spoliari fama. Nam licèt germana significatio verbi, *spolio*, solummodó de acceptis à militibus in bello dicatur, secundùm communem vsum ad plura extenditur, etiam ad ablationem famæ; vt videre est apud Ciceron. in oratio. pro Publ. Quin. vbi sic habet; *Necesse est, iste, qui amicū, socium, affinem fama, & fortuna spoliare conatus est, vanum se, & perfidiosum, & impiū esse fateatur.* quo etiam loquēdi modo vtitur lib. 3. de off.

5. Ex his sententijs vtraq; probabilis apparet; prima tamen magis placet ex eo solùm, quia licét secundū Grammaticos dicatur aliquis spoliari fama, hunc tamen modum loqūendi apud Iurisperitos non inuenio: & quanuis alicubi inueniatur, non est vulgaris locutio, secundùm quā leges explicantur relicta etiam magis propria terminorum significatione. Nā vt ex Philosopho refert. S. Thomas quæs. 4. de verit. a. 2. vsus maximè est æmulandus in significatione nominum.

6. Restat igitur argumēta vtriunq; sententiæ soluere. Ad primum pro secunda sententia factum respōdetur verum quidem esse hominem esse dominum suæ famæ, illamq; quasi possidere, nihilominus secundùm cōmunem, & vsitatā nominis acceptionē, præsertim in Iure, nullum dici spoliari fama sua, quanuis dicatur spoliari bonis, & fa

ma bo-

ma bonum quoddam ſit: applicatur enim verbum, *Spoliare*, ad bonũ in genere, non verò ad omnem illius ſpeciem, vnde bonorum nomine hoc loco non cõprehenditur fama.

7. Ad ſecundum reſpondetur ideo hominem dici ſpoliari iure, & ſeruitute, quia licèt in ſe immateria lia ſint, materiale reſpiciũt, vt agrum, domum, vineã, &c. & ideo iura computãtur inter immobilia, vt colligit Gloſſ. in cap. 2. de reb. Eccl. non alien. verb. *Iura*. in 6. fama autem, & honor non dicunt per ſe ordinẽ ad rem materialem.

8. Ad primum argumentũ primæ ſentẽtiæ bene cęptum eſt reſponderi. Ad impugnationem negandum eſt illam eſſe adæquatam ſpoliationis difinitionem, nã qui rem mobilẽ iniuſtè aufert, ſpoliare dicitur, pręſertim hoc loco: quoniam qui pecuniam, quæ res mobilis eſt, ſurripit, proculdubio hanc cẽſuram incurrit, vt innuit Viuald. vbi ſup. n. 93. Nec quod adducitur ex c. *Frequẽs*. aliquid cõcludit, quia ibi intendit Sum. Pontif. vitare calumnioſas ſpoliationis exceptiones, quæ aliquando in iudicio fiunt. Vnde ſolùm dicit ſpoliatum eum, qui tota, vel maiori parte ſuæ ſubſtantiæ ſe per violentiam deſtitutum affirmat. Nec verbum, *Subſtantiæ*, intelligendũ eſt ſolùm de re mobili, cum aliquando de eo, quod ad neceſſariam vitæ ſuſtẽtationem requiritur, intelligatur.

Ad ſecundum neganda eſt minor. Et ad probationem dicendũ eſt nõ omnia eodẽ modo poſsideri, nec omnem poſſeſsionem eiuſdem eſſe rationis: nã res materiales poſsidẽtur per detentionem, immateriales verò, vt iura, & ſeruitutes per patientiã, & vſum quaſi traduntur, & poſsidentur, vt notat Syl. verb. *Poſſeſsio*. Fama etiã, & honor quaſi poſsideri dicuntur, quãdo in mente, & ore eorũ ſunt, qui de homine bene opinãtur, & loquuntur. Ad confirmationem concedimus 9.

 famam

famam non poſsideri propriè, ſed quaſi poſsideri; quia tamẽ ſub hominis dominio cõſtituitur, poteſt illa ſpoliari, ſufficit enim ad ſpoliationẽ quaſi poſſeſſio.

## DISP. LXXI.

### *Vtrùm à recurrente ad Sedem Apoſtolicã liceat pecuniam, vel quid ſimile ad compenſationem faciendam ſurripere.*

1. VIual. in Cãd. in explanat. Bullæ Cœnæ, nu. 93. docet non excommunicari eum, qui á recurrente ad Sedem Apoſtolicam bona ſurripit ad compenſationem faciendam, quã uis ex eo quód ad Sedem Apoſtolicam recurrit hoc faciat, dummodo compenſatio aliàs iuxta Theologorum doctrinam licita ſit, ſecretòq; & ſine ſcandalo fiat. Ratio illius eſt, quia faciendo compenſationẽ debitis circunſtantijs concurrentibus non peccat, atque adeò nõ excommunicatur. Hæc ſententia vera quidem eſt, vt exiſtimo, nihilominus reſtringi non debet ad ſolũ caſũ, in quo ſecretò, & ſine ſcandalo fit. Nec fundamentum, quo probatur, õnino cõuincit.

2. Sit igitur prima concluſio; Spolians recurrentem ad Curiam Romanam, vt compenſationem eius, quod verè, & realiter ſibi debetur, faciat, quanuis in modo faciendi peccet mortaliter, cenſuram huius canonis non incurrit. Probatur; In hoc canone non excõmunicantur, niſi qui occaſione cauſarum ad Curiam Romanam recurrentes ſpoliant; ſed qui intendit cõpenſationem, nõ ſpoliat occaſione cauſarũ; ergo non excõmunicatur. Quòd autem peccatũ mortale, & acceptio ſcãdalo ſa in modo faciendi compẽſationem nihil ad cẽſuram incurrendam faciat, ex eo eſt manifeſtum, quia huiuſmodi ſcandalum, & peccatum

1. Cõcluſio.

tum delationem causæ nõ respiciunt, quam solam non impediendam Summus Pontifex hac censura prohibet. Circunstantiæ igitur, quæ ad faciendam iustam compensationem á Doctoribus assignantur, scilicet quód aliquid verè, & realiter debeatur, quòd debitum sit certum, & liquidum, quòd non plus accipiatur, & quód alia via recuperari non possit, ad hoc tendunt, vt compensatio sine peccato fiat, non verò vt à cẽsura excusent.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Qui occasione causæ ad Curiã delatæ compensationem facit, aliás non facturus, dummodò non plus accipiat, quàm quod ei debetur, in hanc censuram non prolabitur. Probatur; Intentio, & animus nõ faciũt actionem compensationis iniustam, cum semper sit acceptio veri debiti, cuius [il]lationem non aufert, creditorem compensationem facere noluisse; sed Summus Pontifex per hanc censuram nullo modo debiti recuperationem impedit; ergo non excommunicat facientem compensationem circa verum debitũ. Et confirmatur, quia cõpensationem faciens nõ spoliat proprié, & in rigore loquendo, cum rem sibi debitam accipiat, & hoc loco spoliatores tantùm excommunicantur. Dixi, *Dummodò non plus accipiat*, quoniam qui plus accipit, proculdubio excommunicatur, si excessus ad peccatum mortale sufficiat, tunc enim datur spoliatio, & iniusta acceptio.

# CAP. XIIII.

## *Contra appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatem.*

### TENOR BVLLÆ.

*3. Bullæ censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quám sæculares, cuiuscunque dignitatis, qui prętexentes friuolam quãdam appellationẽ, à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorũ, processuum, executorialium, & aliorum decretorum á Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus, Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissarijs, alijsque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliás ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta,

prædicta, capi, & retineri faciunt, qui vé illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni d. mandari, aut ne Tabelliones, & Notarij, super huiusmodi literarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta cóficere, aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerát, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicé, vel occulté, qui vè aliás quibuscunque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliás quomodolibet retinere præsumunt.

## *Notationes circa textum.*

1. MAtera huius césuræ, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 29. est sacrilegiũ, quo offen.

offenditur authoritas Sedis Apostolicæ in friuolis appellationibus, in suis executionibus, in suis officialibus, & in alijs, quæ in litera continentur. De hac re est textus. in cap. *Quoniã.* de immunit. Eccl. in 6. prędicti tamen capitis censura non ita extenditur, sicut ista, quæ quoad personas offēdētes, quoad literas, quarum occasione fit offensio, & quoad actiones, & modos, quibus talis offensio fieri potest, ampliatur. Diuiditur hic canon in duas partes. In prima excommunicantur appellantes, & impedientes literas Apostolicas; in secunda, quæ incipit, *Qui ve aliàs.* excommunicantur impedientes recursum ad Romanam Curiam.

Hæc censura quoad personas vniuersalis est, comprehendit namque omnes tam Ecclesiasticos, quám sæculares, cuiuscũq; dignitatis sint, ita vt quicunque aliquid ex prohibitis hoc canone facit, per illum excommunicetur. Actiones in prima parte prohibitæ decem & septē sunt. Prima est, prætextu friuolæ appellationis à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad curias sæculares, & laicam potestatē recurrere. Secunda, huiusmodi appellationes à laica potestate facere admittere, etiã instante Fisci Procuratore, vel aduocato. Tertia, literas Apostolicas capi, & retineri facere. Quarta, prædictarum literarum executionē impedire. Quinta, illud idē prohibere. Sexta, impedire, vel prohibere instrumēta, vel acta cõfici super executione earundē literarum. Septima, acta vel instrumenta confecta tradi parti, cui interest, impedire, vel prohibere. Octaua, aliquam ex personis infra nominandis capere. Nona, easdem percutere. Decima, vulnerare. Vndecima, carcerare. Duodecima, detinere. Decimatertia, ex ciuitatibus, locis, & regnis eijcere. Decima quarta, bonis spoliare. Decima-

cima quinta, perterrefacere. Decima sexta, concutere. Decima septima, comminari. Vt censura posita propter prædictas actiones incurratur, satis est quòd siue per se, siue per aliũ, seu alios, siue publicè, siue occultè exerceantur.

Personæ, contra quas prædictæ actiones fieri prohibentur, octo numerãtur. Prima, partes actrices. Secunda, earum partium agẽtes. Tertia, consanguinei. Quarta affines. Quinta, familiares. Sexta, notarij. Septima, executores. Octaua, subexecutores. Literæ, quas impedire nõ licèt, sunt primò, literæ Apostolicę, etiam in forma Breuis, gratiam, vel iustitiam concernentes; secundò, citationes; tertiò, inhibitiones; quartó, sequestra; quintò, monitoria; sextò, processus; septimò, executoriales; octauò, quæcunque alia decreta: siue literæ prædictæ emanent à Romano Pontifice, & à Sede Apostolica, siue à Legatis, Nũcijs, Præsidentibus, Palatij, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissarijs, alijsque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis. Excommunicãturque nõ solùm prædicta absolutè prohibẽtes, sed etiã impedientes ne executioni, sine eorũ beneplacito, & cõsensu, vel examine, mãdentur.

In secũda huius canonis parte aliquot personarum genera excommunicãtur. Primum, prohibentes ne aliqui ad Curiam accedãt, vel recursum habeant, pro quibusuis eorum negotijs, prosequẽdis, vel gratijs, & literis impetrandis: ne vè gratias ipsas, & literas impetrent, seu impetratis vtãtur. Secundũ, ne prædicta fiant, statuentes. Tertium, idipsum mandãtes. Quartum prædictas literas, gratias, seu negotia, quomodolibet apud se, aut notarios, seu tabelliones retinentes. Excommunicanturque istorum aliquod facientes, siue directè, siue indirectè, dummodo tamen cum pręsumptione, id faciant. Ex quo sequitur

non

non excommunicari illud faciẽtes per ignorantiam, etiam si culpabilis sit, vt notat Sayr. lib. 3. de cens. cap. 17. numer. 8. Nam iuxta doctrinam Cardinalis communiter receptam, in Clementin. 1. de priuil. quæst. 39. quem sequitur Nauar. in Comment. de datis, & acceptis, num. 38. tom. 2. & in relect. cap. *Accepta*. opposit. 8. num. 33. de restit. spoliat. lex puniẽs præsumentem, non comprehendit eum, qui bona fide ignoranter, aut imprudenter, siue inanimaduertens operatur.

Circa hanc clausulam, & sequentes, in quibus de pertinentibus ad libertatem Ecclesiasticam agitur sunt in hoc Lusitaniæ Regno nonnullæ determinationes, quæ inter Ecclesiasticos, & sæculares iudices, in aliquibus causis in praxi seruantur: de quarum iustitia non est nobis modò disputandum. Qui has determinationes scire cupit, eas inueniet in diplomate Regio ad finem huius Relectionis addito.

## DISP. LXXII.

### *Vtrùm priuata authoritate executionem literarum Apostolicarum impedientes excommunicentur.*

Excõmunicari per hãc clausulam personas priuatas, quæ prætextu friuolæ appellationis à grauamine, & executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem recurrunt, dubitandum non est, cum id in Bulla expressè contineatur. Vtrùm autẽ impedire literas Apostolicas, acta, & instrumenta, exercereque actiones illas, scilicet capere, detinere, &c. ad solos Magistratus referendum sit, ita vt personæ particulares, quę hoc ipsum faciunt, non excommunicẽtur, dubitari potest. 1.

Com-

2. Comprehendi sub hac censura solos Magistratus videtur docere Graff. lib. 4.decis.cap.18. num. 107. & Sayr. lib. 3. de censf.cap. 17.numer. 6. Et ratio pro hac parte sit,quia Magistra tus sunt qui hoc faciunt, & actiones prædictas ipsi tantùm exercent : nam appellationem ab executione literarum Apostolicarum soli Magistratus acceptare possunt.

Quod etiam non intelligatur hæc censura,nisi de sæcularibus Magistratibus, ex eo suaderi videtur, quia ad istos tantùm prohibetur appellari, & in recursu ad potestatem laicam Sedes Apostolica maximè offenditur.

3. 1. Cōclusio. Sit tamen pro resolutione prima conclusio ; Non solùm Magistratus, & qui authoritatiuè prędictas actiones exercent, sed etiam particulares personæ,quæ per publicam authoritatē eas fieri procurant , excōmunicantur. Hanc conclusionem tenet Nauar.in Manu.cap.27.num. 68.§. *Quinta*. & Vgolin. hic ad illa verba,*Qui ve illa*.vers. *Postremò*. Et probatur inprimis de Magistratibus ex eo,quòd eorum excessus in hac parte perniciosissimi sunt,& quia multa, de quibus Summus Pontifex loquitur, de illis tantum intelligi possunt , vt appellationes prohibitas aceptare,impedire ne sine eorum examine,& cōsensu literæ Apostolicæ executioni mādētur,& statuere , ne aliquis ad Curiam Romanam recurrat. Probatur deinde quoad personas particulares; In hac censura excommunicantur facientes acceptare , faciētes capere,&c.sed huiusmodi actiones á particularibus personis exerceri possunt , & solent, nam Magistratus regulariter ad instantiam alicuius particularis hæc præstant; ergo de particularibus etiam intelligitur censura. Et cōfirmatur cōclusio, quoniā in illis verbis, *Faciunt capi, retineri . &c.* non solùm comprehenduntur , qui

prædicta

prædicta procurant, sed qui ad instantiam faciunt; nam si procurare prohibitum est, facere etiam prohibitum erit: iuxta illud Aristotelis, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

4. Cõclu Secunda conclusio; Potestates Ecclesiasticæ, quæ actiones hoc loco prohibitas faciunt, & priuatæ personæ Ecclesiasticę, quę in particulari ad eas concurrunt, huius censuræ reæ efficiuntur. Hãc tenet Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 29. & Nauar. in Manu. cap. 27. num. 68. Et ratio est, quia in hac censura nulla inter personas sæculares, & Ecclesiasticas discretio fit, sed de omnibus absolutè loquitur Summus Põtifex; ergo, cum nulla sit ratio, quæ Ecclesiasticos excuset, quin potiùs ipsi ratione status maiorem videntur Summo Pontifici iniuriã irrogare, dicendum est sub hac censura comprehẽdi.

Ad primum agumentũ respondetur particulares personas actiones illas prohibitas vel per se in particulari, vel per publicas potestates exercere posse. Quanuis igitur sint aliquæ actiones, quas soli Magistratus per se primò exercere valent, ad eas tamen particulares personas modo prohibito concurrere posse negandum non est.

Ad secundum concedimus solas appellationes ad Magistratus sæculares hoc loco prohiberi: nihilominus impedire executioné literarum Apostolicarum etiam Ecclesiasticos comprehendit, cum ipsi hoc ipsum authoritatiuè præstare posint, imò cum maiori scandalo, cum obediẽtiam Ecclesiæ magis, quam sæculares procurare teneantur.

## DISP. LXXIII.

### *Utrùm in hac clausula mandantes, & cõsulentes excommunicentur.*

Dubium

1 DVbium hoc circa ea, quæ in ſecunda parte huius clauſulæ continentur, locum non habet, expreſſè enim ibi excõmunicantur mandantes, ne aliquis ad Curiam Romanam accedat, aut in ſuis cauſis recurſum habeat, aut ne literis impetratis vtatur. Dubium tamen eſt circa actiones, quæ in prima parte cauſulæ continentur, an ſufficiat illas mandare, vel conſulere, ita vt mandans, vel conſulens appellare ad laicam poteſtatem, vel retinere literas Apoſtolicas, &c. hac cenſura innodetur.

2. Viuald. in Candel. in explanat. Bullæ Cœnæ num. 96. docet mandantes non excommunicari hoc loco, cum de illis in hac cenſura mentio non fiat; & quãdo Summus Pontifex vult cẽſuram ad mandantes extẽdere, id explicare ſolet, vt videre eſt in fine huius clauſulæ, & in clauſula 11. Idem argumentũ fieri poteſt de cõſulẽtibus, illorum enim nõ meminit Sum. Pontif. quod tamen facit in alijs clauſulis, vt in 7. 10. 11. 12. & 20.

Hæc ſentẽtia quoad cõſulẽtes vera eſt circa õnes actiones cõtẽtas in hac clauſula, vt argumentum factũ ſufficienter probat, & itẽ quoad appellantes, quoad aliquas verò reſpectu mandantiũ nõ omnino placet. 3. Nã ſi loquamur de illis, qui appellationes admitti, literas capi, & retineri faciũt, videtur cõprehendere mãdantes; qui enim mãdat, & appellationẽ acceptari, & literas capi, & retineri facit, quod hic expreſſè prohibetur, & ſic ſub nomine, *Admitti, capi, & retineri faciẽtis*, mãdantes cõprehẽdũtur. Idẽ dicẽdũ exiſtimo quoad perſonas, & actiones ſequẽtes à quarta vſq; ad decimãſeptimã, eo quòd poſt õnes illas additur particula, *Per ſe vel aliũ, ſeu alios*: quę verba proculdubio mãdãtẽ includũt: nã qui mãdat, per aliũ impedit, & perturbat. Licẽt igitur mãdantes non exprimantur per verbum, *Mandare*, exprimuntur tamen per

mẽ per verba æquiualẽtia. Ex quo ad argumentum Viuald. patet solutio.

## DISP. LXXIIII.

### *Vtrùm omnes appellãtes à mandatis Apostolicis ad curias sæculares hæc censura comprehendat.*

1. AD hãc difficultatem ex verbis Bullæ facilè respondetur, scilicet, *Prætexentes friuolam appellationẽ*; ex quibus constat non omnes appellantes excõmunicari, sed solummodo friuolam appellationem prætexentes, vt notãt Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 105. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 17. num. 5. dummodo sub nomine appellationis ad sæculares curias non fiat recursus, vt infra dicemus. Solùm igitur quid sit friuolam appellationem prætexere, explicandũ superest.

2. *Prætexere* nihil est aliud, si verbi vis expendatur, quàm *velare*, seu, *causam aliquam non veram afferre*, iuxta illud Virgil. 4. Ænead. *Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* & Cicer. in Pison. *Nemo potest exercitũ apertè petere, vt non prætexat cupiditatem triumphi.* Vnde, *Prætexere friuolam appellationem est sub colere, & nomine appellationis illam, quæ friuola iudicatur, afferre.* Non tamẽ sufficit appellationem secundùm se esse friuolam, sed requiritur, vt appellãs friuolam esse sciat. Nam, *Prætexere*, nõ dicit quomodolibet afferre, sed afferre ex intentione. Quanuis igitur aliquis per friuolam appellationem ad potestatem laicam recurrat cum ignorãtia culpabili, si absit dolus, non excommunicabitur.

*Friuola appellatio* illa censetur, *quæ sine legitima causa interponitur*, vt colligitur ex Gloss. in cap. *Cum appellationibus friuolis*. de appellat. in 6. & tradit Miranda de ordin. iud. quæst. 30. art. 12. cõcl. 3. Itaque quando sine causa rationabili, aut omnino sine illa; aut cũ causa 3.

ficta

ficta appellatio interponitur, talis appellatio est friuola. Existimandum tamē non est appellationem esse friuolam, quotiescunque sententia secundùm acta est iusta: cum stante iusta sententia secundùm allegata, & probata, licitum sit appellare, sufficit enim ad iustè appellandum quòd sententia re ipsa iniusta credatur, & per agenda de nouo talem esse demonstrari procuretur, vt docet Nauar. in Manu. cap. 27. num. 15. §. *Nota quartò.*

4. Dubitari tamen potest, vtrùm omnis appellatio, quæ secundùm Ius admittenda non est, ad effectum incurrendi hanc censurā, friuola dicenda sit. Et pro parte affirmatiua arguitur; Appellatio friuola, idem est, quòd appellatio vana, & nullius momenti, vt dicit Miranda loco cit. sed talis est illa, quæ secundū Ius non recipitur; ergo omnis huiusmodi appellatio friuola est. Et confirmatur, quoniam in dict. cap. *Cum appellationibus*, dicitur friuolis appellationibus deferēdum non esse.

Dicendum tamen est non omnem appellationē, quæ secundùm ius non admittitur ad effectum incurrendi censuram huius canonis friuolam esse. Probatur; Friuola appellatio, si propriè loquendum sit non ea dicitur, quæ acceptari, & admitti non debet, sed quę irrationabilis est, & sine legitima causa interponitur; ergo non omnis prædicta appellatio sufficiens est vt censura huius canonis incurratur. Deinde; Iura appellationem in aliquibus casibus remouētia solummodò procedunt in foro externo, vt docet Nauar. vbi sup. §. *Nota tertiò.* ergo in foro conscientiæ in illis appellari licet, atque adeó sic appellans non excommunicatur.

5. Ad argumentum in cōtrarium dicendum est appellationem friuolam non ex eo dici vanā, & nullius momenti quia per eam, eo quòd non acceptatur, effectus intentus non consequitur,

ſequitur, ſed quia non datur iuſta cauſa, vt fiat.

Ad confirmationem cõcedimus friuolis appellationibus deferendum non eſſe: non tamen omnem appellationem, cui non defertur, eſſe friuolam, vt ex dictis patet.

## DISP. LXXV.

### *Vtrùm in aliquo caſu licitus ſit ab executione literarum Apoſtolicarum ad curiam ſæcularem recurſus.*

IN hac celebri, & ſatis agitata difficultate; in qua Summi Pontificis determinatio neceſſaria omnino foret, partem negatiuam, non licere ſcilicet in cauſis Eccleſiaſticis vllo modo ad curias ſæculares recurrere, tenet Azor in Summ. Inſtitut. moral. lib. 5. cap. 12. verſ. *Ex dictis infertur.* & Sayr. lib. 3. de cẽſ. cap. 18. num. 6 & ſequent. quorum ſententia ſuadetur.

Primò; Si in aliquo caſu licitum eſſet ab executione literarum Apoſtolicarum ad curiam ſæcularem recurrere, eſſet in caſu violẽtiæ; ſed neque interueniente violentia id licet; ergo, &c. Minor probatur, tum ex verbis huius Bullæ, in quibus expreſſè continetur, prohibet enim Romanus Pontifex etiam prætextu violentiæ, & grauaminis ad curiam ſæcularẽ in mandatis Apoſtolicis recurrere; tum etiam, quia aliás multis inobedientijs via aperiretur, contemnerenturque Apoſtolica mãdata, preſertim cum vnuſquisq; iuriſdictionem ſuã, data occaſione, regulariter nitatur extendere.

Secundò; Si qua eſſet ratio, ob quam ſæculares iudices Regis authoritate, vel ipſi Reges, & Principes laici in cauſis Eccleſiaſticis ſe poſſent intromittere, eſſet conſuetudo ab antiquo, & immemorabilis; ſed talis conſuetudo nõ datur legitima,

legitima, & quæ possit quietas reddere conscientias; ergo. &c. Minor probatur; Non datur legitima cõsuetudo ad præscribendũ sufficiẽs, cum formali repugnantia, & reuocatione superioris: nam his interuenientibus nec bona fides, nec præscriptio dari potest: sed per hanc Bullam, quę singulis annis promulgatur, reuocatur omnis consuetudo in cõtrarium, cui Summus Põtifex manifestè contradicit; ergo. &c. Et confirmatur; Consuetudo vnius anni nõ sufficit in hac materia ad conferendum ius; plurium annorum non datur, cum hæc facientes singulis annis excommunicentur; ergo. &c.

3. In contrarium huius sententiæ stat consuetudo ab antiquo seruata in regnis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Galliæ: secundùm quã ad curiam sæcularem, & ad Regem fit recursus, quando siue laici, siue Ecclesiastici vi, & censuris ab Ecclesiasticis iudicibus opprimuntur. Hanc consuetudinem approbat Couarru. pract. quæst. cap. 35. numer. 3. Parlador lib. 3. diff. 9. §. 4. numer. 24. Gregor. Lop. in l. 13. titul. 13. Zeuall. pract. quæst. tom. 4. quæst. 897.

Vt tamen in re adeò difficili, & controuersa, quid sentiam explicem, sit prima conclusio; In nullo casu à mandatis Apostolicis licitum est appellare ad curiam sæcularem, & qui appellat censura huius canonis inuoluitur. De hac conclusione nulla dari potest inter Catholicos controuersia: nam oppositum illius odiosum, & scãdalosum est, imò & in fide suspectum. Probatur; Appelatio est à minori ad maiorem iudicem recursus. cap. *Omnis oppressus.* cap. *Si quis.* cap. *Placuit.* 2. quæst. 6. ergo qui á Summi Pontificis mandato ad iudices sæculares per appellationem recurrit, ipsos superiores constituere videtur, quod cum fide Catholica stare non potest. Probatur 4. 1. Cõclusio.

consequentia, quoniam contra substantiam appellationis est, quòd ad æqualem, vel minorem appelletur; iuxta Gloss. in cap. 2. de consuet. in 6. quam sequitur Nauar. in cap. *Placuit.* de pœnit. d. 6. n. 43.

5. 2. Cõclusio. Secunda cõclusio; Quãdo ex literarum Apostolicarũ executione sequitur iniuria irreparabilis, aut quæ difficilè reparari potest, & Sũmus Põtifex lõgè distat, nec est Ecclesiasticus iudex, qui possit, & velit violentiam auferre, licitum est ad curiam sæcularẽ recurrere, vt iniuria, & vis auferatur, & Summus Põtifex verè informetur. Hęc conclusio est Doctorum, quos secundo loco citauimus. Et probatur; Iusta defensio est licita, & de iure naturæ, Clem. *Pastoralis.* de sent. & re iudic. circa finẽ. 23. q. 1 in princip. Gloss. in c. *Quod verò.* eâdem causa q. 3. verb. *Fugiẽs.* Abb. c. *Cũ cõtingat.* de for. cõpet. n. 27. quo in loco dicit etiã diabolo, si ad iudiciũ vocaretur, concedendam esse defensionem, Couar. pract. quęst. c. 23. num. 6. sed in casu conclusionis defensio per recursum ad Regem, & laicam potestatem est licita; ergo qui in tali casu recurrit, non excommunicatur. Minor, in qua est tota difficultas, ostenditur; Si qua esset ratio, ob quam in tali casu nõ liceret ad Regem, & laicam potestatẽ recurrere, ea esset, quia ab Ecclesiastico iudice ad sæcularẽ adire nullo modo licet; hoc autem falsum est, si in omni casu intelligatur: nam, vt habetur. cap. *Filijs, vel nepotibus.* 16. quæst. 7. quãdo Ecclesiastici etiam Episcopi, aut Metropolitani bona Ecclesiæ defraudauerint, Regis auribus intimari non differatur. Vbi Glos. verb. *Regis.* dicit faciẽdũ id esse, vt Rex Ecclesiasticũ corrigat, quia per Ecclesiasticũ iudicẽ corrigi nõ potest iuxta, c. *Petimus.* 11. q. 1. Quod etiam, inquit, habet locũ, quando Ecclesiasticus negligens fuerit. Et cõfirmatur, quia quãdo in mora est periculum, à

regulis

regulis iuris recedimus. l. *De pupillo*. §. *Si quis riuos*. ff. de noui oper. nunciat. arg. cap. *Baptizari*. d. 5. est enim
6 mora vitanda, vbi timetur periculum. c. *Ne quod absit*. de consecrat. d. 4. ergo, si interuenit iniuria tertij, estq; periculũ in mora accedendi ad Pontif. &c. ad laicam potestatẽ recurrere licet.

Probatur deinde; Vel Sũmus Põtif. in expeditione literarũ in præiudicium tertij procedit ex informatione falsa, aut diminuta, vel ex malitia, licèt enim in rebus circa fidẽ, & vniuersalem Ecclesiæ gubernationẽ errare nõ possit, impossibile tamen non est eum moribus deformari, suaq; abuti potestate, atq; adeò literas cũ iniuria tertię personæ expedire; atqui quocunq; istorũ modorũ literę expediãtur, si nõ sit facilis accessus ad Pontif. instetq; malum irreparabile, licitũ est ad laicã potestatem recurrere; ergo. &c. Probatur minor quoad priorẽ partẽ,
7. quoniã literæ, quæ expediũtur, suposita falsa, vel diminuta informatione, subreptitię, vel obreptitię sunt, talesq; falsæ censentur, c. *Ad falsar*. de crim. fals. literę autẽ falsæ, cũ nõ obligent in cõscientia, iustè detineri possunt, & per appellationẽ ad Sũmum Põtif. malè informatũ, ad ipsũ bene informãdũ, impediri. Quòd si per inferiores ministros Ecclesiasticos tali appellationi non deferatur, vis infertur appellãti, à qua per Principis sæcularis auxiliũ se poterit defẽdere, donec Romanus Põtif. verè, & legitimè informetur. Accedit quòd literę subreptitię, vel ipso iure sunt nullæ, vel saltẽ annullandæ, Gloss. in c. *Ad audientiã*. de rescript. & Nau. c. *Si quando*. eod. tit. præludio 1. nu. 1. cum alijs. Quoad secundã partẽ probatur eadem minor; Sũm. Pontif. iniustè, & iniquè procedẽs admonẽdus est humiliter, & charitatiuè corripiẽdus, & si ab iniustitia nõ desistat, resistendum est ei in faciẽ per dominos Cardinales: vbi autẽ hoc, 8.

 occul-

occulto Dei iudicio, non proficeret, & res sit magni momēti, cedatq; in præiudiciū Ecclesiæ, cōuocandū est auxiliū brachij sæcularis, Imperatoris scilicet, vel aliorū Principū. Quę ōnia, cum alijs remedijs, tradūt Turrec. in Sum. de Ecclesia lib. 2. cap. 106. & Vict. in relect. de potest. Papæ & Concilij proposit. 22. Ex quib⁹ cōstat posse ab iniustitia, à Sūmo Pontif. facta, ad curiā sæcularē recurri; ergo multo magis licebit ad illam accedere, vt ipse Sū. Pōtif. verè informetur.

9 Cōclusio. Tertia conclus. In casu violentiæ, & iniuriæ manifestę tenētur Reges defēdere ad ipsum recurrētes, siue laici sint, siue Ecclesiastici, impediendo literarū Apostolicarū executionē, á qua ad Sūmum Pontif. iure appellatur. Probatur; Reges licitè executionē literarū prædictarū impedire possunt; ergo tenētur. Consequētia ex eo est manifesta, quia Reges ex officio tenētur defēdere sibi subditos, vt habetur c. *Principes*. & c. *Regū officium*. 23. q. 5. colligiturq; ex Sacra scriptura. Psl. 81. *Eripite pauperē, & egenū de manu peccatoris liberate*. Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortē; & qui trahūtur ad interitum liberare ne cesses*. Hiere. 21. *Eruite vi oppressū de manu calūniantis*. & c. 22. idē repetitur. Et hinc est quòd multoties imploratur auxiliū brachij sæcularis c. *Christianis* 11. q. 1. c. *Maximianus*. 23. q. 3. c. *Administratores*. 23. q. 5. c. *Licet*. de iur. iur. in 6. & aliás sæpe. 10 Antecedēs probatur; tum, quia, vt cōstat ex 2. cōclus. in casu illius licitum est & Clericis, & laicis ad Regē recurrere; ergo etiam ipsis Regibus licebit eosdē defendere; tū etiā, quia huiusmodi defensio non minuit authoritatē Summi Pōtif. quin potiùs ipsam iuuat, impediēdo iniustā executionē, donec ipse informetur; tū deniq; quia quando iusta appellatio ad Sūmum Pontif. iniustè impeditur, pro Pōtif. authoritate facit qui executionē iniuriosam suspendit, nulli enim Summus

mus Pontifex vult inferre iniuriam. Et confirmatur conclusio ex antiqua consuetudine, quæ satis ostendit habere Reges huiusmodi potestatē, & obligationē, & quia aliás multa incōmoda sequerentur in Republica cum Romanus Pontifex longè distet multoties, ac sæpe plenè non informetur.

11. 4. *Cōclusio.* Quarta conclusio, Quādo iudex sæcularis, siue laico, siue Ecclesiastico violentiam infert, quā supremus Princeps non vult auferre, aut quando ad ipsum facilis recursus non est, & instat in mora periculum, ad Summum Pontificem, imò & ad Episcopū recurrere licet, vt violētiam auferant. Probatur ex cap. *Ex trāsmissa.* & cap. *Licet ex suscepto.* cap. *Ex tenore.* de for. compet. Gloss. fin. in cap. *Qualiter.* de iudic. Ex quib⁹ cōstat, si iudex laicus in administrādaiustitia negligēs fuerit, ad Sūmum Pontific. posse recurri. Quod etiam procedit, quādo iudex sæcularis malitiosè agit, etiā si Rex, qui in temporalibus superiorē nō agnoscit, sic pronunciasset. Quā sentētiam tenet Martha de iurisd. c. p. 3. c. 8. n. 39. & 40. pro qua citat Ioan. Andr. in c. *Imperialem.* §. *Si inter duos.* n. 81. vers. *Vel pone.* de prohibit. & Afflict. in proœm cōstitut. q. 21. Et ratio pro hac sētētia eadē est cū illa, qua secūdā cōclusionē probauimus, nimirū defensionē ab iniuria de iure naturæ esse. quā ōnes, siue particulares personę, siue supremi iudices, cū possūt, auferre tenētur. Cū igitur in casu cōclusionis iudices sæculares iniuriā faciāt, & vim innocēti inferāt, quā Princeps supremus auferre nolēs, simul irrogat, ad Sum. Pōtif. vel ad Episcopū, vt ad superiores in spiritualibus, recurrere licebit.

Ad hoc argum. respōdet Zeual. vbi sup. in Discursu ad Regē n. 50. diuersā esse rationē in recursu ad Regē pro violētia ab Ecclesiastico facta, & in recursu ad Pōtific. pro eádem à sæculari irrogata, quia Ecclesiastici, 12.

quatenus membra Reipublicæ, sunt Regi subiecti; quod de laicis in causis sæcularibus, respectu Ecclesiæ, & Summi Pontificis, dici nequaquam potest, eo quòd priuatiuè Regi subijciantur. Hæc tamen solu-
13. tio nullius est momenti, nam vel intelligit de personis, vel de causis; si de personis, etiam sęculares, licet alio subiectionis genere, Summo Pontifici, & Episcopo subijciūtur; si autem de causis, neque sæculares ad Summum Pontificem, & Episcopum, neque Ecclesiasticæ ad Regem spectant. Vnde quando Pontifex, vel Rex de violentia cognoscunt, nō hoc faciūt, vt ordinarij iudices, sed vt extraordinarij, seu potiùs vt defensores ad auferendā violentiam. Et hinc est, quòd neque à iurisdictione Ecclesiastica ad sæcularem, neque à sæculari ad Ecclesiasticam appellatur. Gloss. in cap. *Quoniā.* dist. 10. & in cap. *Cuncta per modum.* 9. quęs. 3. Quotiescūq; igitur alicui iniuria irrogatur, omnes, etiam particulares, si commodè possunt, sucurrere tenentur. A qua obligatione Ecclesiastici, præsertim Prælati, qui melius quam particulares iniuriam auferre possunt, immunes non sunt. Et confirmatur primò ex cap. *Ad Romanam.* 0. 2. 2. quęs. 6. vbi dicitur ab omnibus, maximè ab oppressis, licitum esse ad Romanam Ecclesiam, quasi ad matrem appellare. Confirmatur secūdó, quia iudex iniustitiam 14.
faciens dicitur spoliare, vt tradunt Crauet. consi. 118. num. 8. Socin. consi. 12. volum. 1. Pōtanus in tract. de spolio, lib. 3. num. 107. & Martha vbi sup. p. 1. cap. 51. num. 28. sed spoliator à quocunque impediri potest; ergo, &c.

Ad primum argumentū 15.
neganda est minor: & ad probationem respondetur Summum Pontificem nō prohibere quemcunque recursum ad curiam sæcularem, sed illum, qui prætextu friuolæ appellationis fit, vt disp. 74. diximus.

Vnde

Vnde etiam patet non aperiri ex hoc inobedientijs viam, cum solùm admittamus recursũ illũ interueniente iusta appellatione ad Summum Pontificem, quæ ab Ecclesiasticis iudicibus iniustè non admittitur.

16. Ad secundum dicendũ est consuetudinem nõ tribuere sæcularibus Principibus in hac materia ius, sed solùm ostendere inesse illis talem potestatem, ratione cuius etiam omni cõsuetudine sublata, violentiam, & iniuriam à sibi subditis propulsare possunt. Sunt autem non solùm sæculares, sed etiam Ecclesiastici membra Reipublicę, vt probant Surdus consi. 1.num.7.vol.3. Velasc. cõsult. 100. num. 2. Bouadilla in sua Polit. lib. 2. cap. 18. num. 67. 181. & 308. Martha de iurisdic. 4. par. centur. 1. nu. 27. cas. 1. Zeuall. vbi sup. in Discursu ad Reg. num. 22. Et hinc est quòd Ecclesiastici Regi fidelitatem iurant.

# DISP. LXXVI.

## *Vtrùm liceat literas Apostolicas examinare, vt executioni mandentur.*

IN hac difficultate Azor lib. 5. suæ Sum. institut. moral. cap. 14. docet nullo modo sustineri posse vsum retinendi, & examinandi literas Apostolicas per laicam potestatem, & quòd Legati suæ legationis literas exhibeant. Pro qua sentẽtia faciunt verba Bullæ, scilicet, *Capi, & retineri faciũt*, & item, *Qui impediũt, & prohibent simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & cõsensu, vel examine executioni mandari*. Ex quibus verbis Azoris sentẽtia manifestè colligi videtur, 1.

In cõtrarium est Couar. pract. quæst. cap. 35. num. 4. quem sequitur Zeual. tom. 4. pract. quæst. quæst. 897. à num. 292. &. 329. & Viuald. in Cand. in explanat.

nat. Bullæ Cœnæ, nu. 102. & sequentibus. Quam sententiã acceperunt á Dricdonio lib. 2. de libert. Christian. cap. 2.

2. *Coclusio.* Pro resolutione sit prima cõclusio; Non est omnino illicitum examinare literas Apostolicas gratiã, vel iustitiam cõcernentes, ad Summum Pontificem omni cum humilitate, & obediẽtia informandũ, de incõueniẽtibus, & damnis, quæ ex earum executione sequi possunt: de hoc tamen non licet legem sancire, nec regulariter illud practicare. Hanc conclusionem, quoad primã partem, tradũt Doctores proximé citati, quibus maximè fauet Caietan. tom. 1. opuscul. tract. 1. cap. 27. §. *Ad secundam rationem.* Victoria in relect. de author. Papæ & Concilij, proposit. 22. Simanc. de Cath. institut. tit. 25. de pœnis, à numero 34. Et probatur ex c. *Si quando*. de rescrip. vbi Summus Pontifex cõcedit, vt quando rescriptum Papæ videtur repugnare, ei exponantur causæ, quare mandatum ipsius non adimpleatur. c. *Cum adeò*. cap. *Ad aures*. eod. tit. cap. *Cum teneamur*. de præben. Ergo ante literarum Apostolicarum executionem, illicitum omnino nõ est videre an aliquid contra iustitiam, & bonum cõmune ex falsa informatione contineant; non semper enim mandatum Papę ad parendum obligat, vt probat Victor. vbi supra proposit. 17. Et confirmatur primó, quoniam, vt notat Gloss. in dic. cap. *Si quando*. verb. *Qualitatem negotij*. ex multis iuribus, quandoque per nimiam importunitatem petentiũ Princeps non concedenda concedit. Et hinc est quòd ea, quæ per nimiam sollicitudinem extorquẽtur, non valent. cap. *Audacter*. 8. quæst. 1. cap. *Vnusquisque*. 22. quæ. 4. Vt igitur malum hoc euitetur, illicitum non erit literas Apostolicas, vt Summus Pontifex de inconuenientibus rectè informetur, examinare

nare. Confirmari secundò potest ex communi vsu, saltem in regnis Hispaniæ, quem Couar. Zeuall. & alij referunt.

4. Secunda pars conclusionis ex eo viro Catholico debet videri manifesta, quia talis lex, & communis vsus maximè derogare videtur authoritati Summi Pontificis, quodammodo enim prædictam legem santientes, & communiter in omni euentu literas Apostolicas examinantes faciunt potestatem sæcularem Ecclesiasticæ superiorem in suoiũ mandatorum exercitio, maximamque occasionẽ exhibent, vt Ecclesia, & Ecclesiastica mandata in contemptum veniant. Et

5. confirmatur, quia opinio communis non est attendenda, quando altera contraria opinio potestati clauium, & iurisdictioni Ecclesiæ fauet; ergo multo minus opinio, quæ à multis reprobatur, & cuius praxis in paucis obseruatur regnis. Consequentia videtur bona. Antecedens docent Hostien. & Ioan. Andr. in cap. *Rursus*. Qui Cler. vel vouentes. Filinus in cap. 1. numer. 54. vers. *Quintò limita*. de constitut. Quos sequitur Martha de iurisdict. 4. part. cent. 2. casu. 164. numer. 1. Et ratio est, quia non magis potest operari communis opinio respectu potestatis, & iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam leges Imperiales respectu eiusdẽ potestatis, & iurisdictionis; sed leges Imperiales, & Principũ sæculariũ contra iurisdictionem, & potestatem Ecclesiasticam non valent. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*. de constitut. ergo neque communis opinio. Nec potest in contrarium adduci consuetudo ab antiquo, tũ quia talis consuetudo singulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur; cum etiam, quia contra libertatem Ecclesiasticam nulla cõsuetudo præscribit, vt tradunt Gloss. in cap. *Clerici*. verb. *Consuetudo*. de iudic. Alexan. *Consil*. 8. vol. 1. Roland.

6. 1.Roland. consil. 23. nu. 9. vol. 2. imò quanto longior afferitur consuetudo, tanto ostenditur periculosior. cap. fin. de consuet. Quæ etiam consuetudines delētur per cap. *Aduersus.* vers. *Irritæ habeantur, nullo vnquā tempore duraturæ.* de immunit. Ecclesiæ, & per hanc Bullam, vt infra patebit.

7. 2. Cōclu sio. Secunda conclusio; Licitum est petere á Legatis Apostolicis literas suæ iurisdictionis. Hanc tenet Zeual. vbi sup. num. 338. Et probatur: Vt aliquis credatur Legatus, literas suæ legationis ostendere debet cap. *Nobilissimus.* 97. dist. & Gloss. ibi verb. *Signatis.* cap. *Cum in Iure.* de potest. iud. deleg. Conrad. Brunus lib. 1. de legat. cap. 8. Pen. in 3. par. Direct. Inquisit. comment. 1. §. *Poterit.* & sic non ligat excommunicatio, quando delegationis copia non datur, vt tradūt Mascaldus, de probationibus, conclus. 491. & Martha de iuridict. 2. part. cap. 35. numer. 1. & 3. ergo cum Legatorum iurisdictio ad multos se extendat, quibus omnibus suæ legationis literas ostendere nec possunt, nec decet, Regi illas exhibere debet, vt cognoscat, an veræ sint. Et confirmatur, quoniam aliàs contingere poterit, vt aliquis per falsas literas, vel sine illis se vt Legatum introducat, sicut in nostro Lusitaniæ regno contigisse fertur, vbi quidam Sayabedra se gessit Legatum Pontificis, & authoritate ficta sanctæ Inquisitionis officium instituit, vt refert Paramus de orig. Inquisi. lib. 2. tit. 2. cap. 15. num. 6.

Tertia conclusio; Quādo Reges literas Apostolicas retinent, vel examināt, non id faciunt vt iudices, sed vt boni communis, & suorum ciuium conseruatores. Prima pars probatur ex eò, quód sæcularis non potest esse competēs iudex inter personas Ecclesiasticas, nec in causis Ecclesiasticis, etiam ex prorogata iurisdictione, cap. *Nullus.* & cap. *Si diligenti.* de 8. 3. Cōclusio.


de foro compet. cap. *Si Clericus.* 11. quæst. 1. sunt enim iurisdictiones distinctæ, nec consuetudo iurisdictionem potest sæculari in Ecclesiasticum tribuere, cum sit omnino incapax. cap. *Causam.* de præscript. Abb. in cap. *Quando.* de consuetud. num. 2. & Zeual. vbi sup. num. 269. Qui num. 142. cum Caualcano de brachio Reg. 1. part. in princip. num. 16. & Oliuan. de iur. fisc. cap. 14. num. 118. secundam partem nostræ conclusionis tenet. Et ratio est, quia ad Regis officium pertinet bonum commune conseruare, ciuesque suos à violentijs defendere.

9. 4. *Cōclusio.* Quarta conclusio; Quādo literæ Apostolicæ violentiam, aut iniustitiam contra tertiam personam non continent, nec aliud, de quo necessarium, vel conueniens sit Summum Pontificem de nouo informari, qui illas retinet, aut approbare, vel examinare intendit, vt non aliter executioni mandentur, censura huius canonis inuoluitur. Hæc ex verbis Bullæ est manifesta, excommunicat enim Summus Pontifex retinentes literas Apostolicas: quod manifestè de illis intelligitur, qui eas sine causa retinent; excommunicat etiam nolentes, vt literæ Apostolicæ sine eorum præuio examine vel approbatione executioni mandentur.

Ad argumentum pro opinione Azoris ex dictis quid dicendum sit constat: intelliguntur enim priora illa verba de retinentibus literas Apostolicas sine causa; nam Summus Pontifex vult vt ei rescribatur, quando in suis mandatis aliquid, quod repugnantiam, vel iniustitiam continere videatur, reperitur, vt constat ex dicto cap. *Si quando.* Posteriora verba explicanda sunt in casu, quo aliquis simpliciter vult, vel determinat ne literæ Apostolicæ executioni 10.

tioni mandentur; vel quando vniuersaliter omnes literas examinare intendit, licèt nihil contra bonum commune, aut particulare contineant, vel quando continent causam spiritualem, aut spirituali annexã, aut etiam quando Summus Pontifex post legitimam informationem circa omnia inconuenientia, literas suas executioni mãdari præcipit. Quotiescũq; igitur literæ Apostolicæ impediuntur, ne sine Regis examine executioni mandentur, quasi ipsum ad talem executionem necessarium sit, censura huius canonis incurrritur. Vnde non placet quod Driedonius, & Couarru. asserunt, licitum nimirum esse Regibus mandare ne literis Apostolicis sine eorum beneplacito, & examine pareatur. Nam, præterquam quòd mandatum hoc scandalosum esset, fideique Catholicæ, & authoritati Ecclesiæ parum consonum, manifestè id erit contra determinationem huius canonis, atque adeò non crediderim prædicto modo literas Apostolicas retineri, & examinari esse in vsu apud Reges Catholicos.

CAP.



# CAP. XV.

## *Contra impedientes literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionũ executionem, & auocantes causas Ecclesiasticas ab Ecclesiasticis iudicibus.*

### TENOR BVLLÆ.

14. *Bull. censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios, authoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarũ, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorumué cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quiuè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos,

contra

contra quos tales inhibitiones emanarunt, á censuris, & pœnis in illis cõtentis absolui, per statutũ, vel aliàs, compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætentionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Conciliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Conciliarij, ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum sæcularum, etiã si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

## *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius cẽsuræ, vt notat Sayr. lib. 3. de cens. cap. 18. nu. 2. post Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 30. est sacrilegium contra Sedis Apostolicæ authoritatem in causarum spiritualium, & spiritualibus annexarũ cognitione, in literarumque Apostolicarum executione. Actiones hoc canone prohibitæ sunt sex. Prima; auocare causas spirituales, vel

vel ſpiritualibus annexas, á quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis. Secunda; impedire earundē cauſarū, curſum & audiētiā, ác perſonas, capitula, conuētus, collegia cauſas ipſas proſequi volentes. Tertia; interponere ſe tāquam iudices de illarum cognitione. Quarta; compellere partes actrices, quæ committi fecerunt huiuſmodi cauſas, ad reuocandum, vel reuocari faciēdū citationes, vel inhibitiones, vel alias literas in eis decretas. Quinta; compellere eaſdem partes ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, abſolui á cenſuris, & pœnis in illis contentis, aut ad cōſentiendū eoſdē abſolui. Sexta; impedire quomodolibet executionem literarum Apoſtolicarum, executorialium, proceſſuum, & decretorū prædictorum. Actiones acceſſoriæ ſunt tres. Prima; præſtare ad prædicta fauorem. Secunda; dare conſilium. Tertia; præſtare aſſenſum. Satis eſt vt cenſura huius capitis incurratur, quòd prædictas actiones aliqua ex perſonis ſtatim nominandis per ſe, vel per alium faciat.

Contra nouem genera perſonarum fertur hæc cēſura. Primum eſt Præſidētes Cancellariarum, Conciliorum, & Parlamentorū. Secundum, Cācellarij. Tertium, Vicecancellarij. Quartum, Conciliarij ordinarij vel extraordinarij quorumcunque Principū ſæcularium, quacunque præfulgeant dignitate. Quintum, Archiepiſcopi. Sextū, Epiſcopi. Septimū, Abbates. Octauum, Commendatarij. Nonum, Vicarij. Vgolin. hoc loco §. 2. verſ. *Tertiò.* aſſerit nomine Eccleſiaſticorum iudicum non intelligi niſi eos, qui ſunt iudices Romanæ Curiæ. Quam ſententiam non approbo, eo quód hæc cēſura eſt in fauorem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ etiam in alijs iudicibus offenditur.

Prætextus, qui ab hac cenſura nō excuſant, ſunt ſex.

ſex. Primò, prætextus quaruncumque exemptionũ. Secundò, prætextus gratiarum. Tertió, prætextus literarum Apoſtolicarum. Quartò, prætextus violentiæ prohibendæ, vel aliarũ prætenſionum. Quintò, prætextus informandi Sũmum Pontificem. Sextó, prætextus ſupplicandi, aut ſupplicare faciendi, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram Summo Pontifice, & Sede Apoſtolica legitimé proſequantur. De hac materia habetur in cap. *Quoniam*, de immunitate Eccleſiæ in 6. & in c. vnic. de his quæ vi met. vè cauſ. fiunt. in 6.

2. Circa illa verba, *Et ſpiritualibus annexas*, notat Graſ. lib. 4. deciſ. cap. 18. numer. 111. adhiberi conformiter ad ius commune, ſecundũ quod adhærentium idem eſt iudicium, quod de principalibus, cui fauet text. in l. *Qua religioſis*. ff. de rei vẽdic. Et hinc eſt, inquit, quod pax facta cum principali intelligitur facta cũ adhærentibus l. 1. §. *Tribus*. ff. de cloacis. l. *Arbor*. §. *De veſtibulo*. ff. commun. diuidun.

Circa illa etiam verba, *Niſi legitimè proſequantur*, notandum eſt ſex modis dici aliquid legitimè fieri. 3. Primó, quando quod fit, non eſt prohibitum, & ſic per abnegationem prohibiti dicitur legitimum; ſecundò ſtrictiùs, quando quod fit. eſt permiſſum, nõ per abnegationem prohibiti, ſed per poſitionem liciti; tertiò, quando quod fit, permiſſum eſt à Iure ciuili, capiendo Ius ciuile largè pro prætorio, & omnibus partibus Iuris ciuilis; quartò, quando, quod fit, conceſſum eſt à Iure ciuili; reſtringendo vt non comprehendat prætorium, ſed omnes alias partes, ideſt Senatus conſulta, Principum placita, & reſponſa prudentum; quintò, adhùc plus reſtringendo Ius ciuile, vt ſolùm accipiatur pro lege duodecim tabularum; ſextò, maximè reſtringendo ſolùm pro lege duodecim tabularum, excluſis

clusis responsis prudentũ, & edictis Prætorum. Ita nonatur in l.vnic.C. Quãdo non petent.par.petent. accres. Quocumque igitur modo supplicationes coram Summo Pontifice, & Sede Apostolica fiant vitatur censura, dummodó modus prosequendi à Iure ciuili concessus, permissus, vel non prohibitus Iuri canonico non repugnet.

4. Nam leges Imperatorum in foro etiam Eclesiástico militant, si Iuri canonicò, aut canonicis sanctionibus nõ obuiant. cap.1. & 2.d. 10.& Gloss. in verb. *Adiuuantur*.cap.1.de.noui oper. nunciat. & ibi omnes Canonistæ, Baldus in Consil. 13. volum. 1.& consil. 135. in fin. & consil. 397. vol. 3.col.2. Alexand. in consil. 122.num. 7.vol.5. Rebuff. in Proæmio concordatorum Franciæ, gloss. 2. vers. *Quartò limita*.num.72.Couarru. pract.quæst. cap.8. nu.5.vers. *Nihilominus*. Marant.disp.8.nu.47.vers. *Ad decimum*. Hęc tamen doctrina intelligenda non est quãdo leges Imperatorũ summũ rigorem cõtinent. c. *Filius*.de testã.& ibi Abb. num.3. Et hinc est, quòd Clerici pœnis ciuilibus nõ puniũtur.c. *Ad reprimendã*. de offic.iudic.ord.

## DISP. LXXVII.

## *Utrùm censura huius canonis tam sæculares quam Ecclesiasticos comprehendat.*

Nauar.in Man.c.27.n. 71. §. *Declaratio prima*. docet hanc clausulam non cõprehendere, nisi eos tantũ sęculares, qui authoritate propria iudiciali, & laica, quę hoc loco vetantur, faciunt. Probat ex verbis Bullæ in quibus de solis laicis mẽtio fit. Hãc sentẽtiã probabiliorẽ iudicat Say.lib.3.de cens.c.18.n.5.in qua etiam est Sebast. Medic in Sum. peccat.capital.tit.9. q.78. n.18.est enim in hoc canone sermo de illis tãtùm, qui causas spirituales á quibuscunque Ecclesiasticis iudicibus auocant. 1

R Contra

2. Contrariam huic sentẽtiam tenet Caietan. in Su. verb. *Excommunicat*. cap. 29. quem sequitur Suares de cens. disput. 21. sect. 2. numer. 76. Horum tamen Doctorum sententiæ sequentibus conclusionibus conciliari possunt.

3. 1. Cõclusio. Prima conclusio; Ecclesiastici, qui à Principibus sæcularibus in iurisdictione laica constituuntur, si authoritate sæculari causas Ecclesiasticas ad se auocant, hanc censuram non effugiunt. Probatur; In hac clausula absolutè ponitur censura contra omnes auocantes causas Ecclesiasticas ad tribunal sæculare, nulla discretione facta inter laicos, & Ecclesiasticos, imò in fine adduntur hæc verba; *Archiepiscopi, Episcopi, &c.* ergo certum est hac excommunicatione implicari Ecclesiasticos, qui causas Ecclesiasticas iurisdictione laica ab Ecclesiasticis iudicibus auocant.

4. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Ecclesiasticus auocans ad se causam Ecclesiasticam authoritate etiam Ecclesiastica, per hanc clausulam non excommunicatur. Probatur: Ea causarũ Ecclesiasticarum auocatio hoc loco prohibetur, quæ Ecclesiasticam libertatem per alienæ iurisdictionis introductionem offẽdit; sed quando ad tribunal Ecclesiasticum per Ecclesiasticã potestatem prædictę causæ auocantur, non offenditur Ecclesiastica libertas introductione extraneæ iurisdictionis; ergo talis auocatio hoc canone non prohibetur. Et in hoc conuenire videntur Doctores citati, quatenus ad hanc cẽsuram incurrendam necessarium esse affirmant, vt causarum auocatio, alia quàm Ecclesiastica authoritate fiat.

5. 3. Cõclusio. Tertia conclusio; Vt cẽsura huius canonis incurratur, necesse est authoritatiuè causam auocari. Ita docent Suar. nu. 75. & Sayr. cit. locis, patetq; ex illis verbis, *Authoritate propria, ac prætextu quarumcunq; gratiarum, exemp-*

*exemptionum*, *ac literarum Apostolicarum*: quæ conceſſiones authoritatem conferunt, atq; adeò, qui earũ prætextu cauſas Eccleſiaſticas ad ſe auocant, authoritatiué id faciunt.

Fundamentum Nauar. non habet locum in hac cenſura, in qua expreſſè Eccleſiaſtici nominantur. Ad aliud ex dictis patet ſolutio, eſt enim contra libertatem Eccleſiaſticam cauſas Eccleſiaſticas authoritate ſęculari auocare.

## DISP. LXXVIII.

## *Vtrùm auocãtes cauſas Eccleſiaſticas prætextu violentiæ prohibẽdæ, aut imformãdi & ſupplicandi Sũmũ Pontificem, hoc loco excommunicentur.*

1. PRO parte huius quæſtionis affirmatiua facit doctrina á nobis tradita c. præced. diſp. LXXV. vbi concedimus ad violẽtiam prohibendam licitum eſſe executionẽ literarũ Apoſtolicarum impedire; ergo maiori cum ratione, ob eãdem violẽtiam vitandam, auocari ab Eccleſiaſticis iudicibus cauſas Eccleſiaſticas licitum erit.

Partẽ tamen negatiuã aſtruere videtur verba Põtificis, quibus expreſſè talẽ auocationẽ prohibet, dicẽs non excuſari ab hac cẽſura auocantes ad ſe huiuſmodi cauſas, quantũcumq; prætextu violentiæ, aut informandi, & ſupplicandi Sũmũ Pontificẽ eas auocent. Hanc partẽ tenet Sayr. lib. 3. de cẽſ. c. 18. n. 6. & ſequẽt. cui fauet Nauar. in Manu. c. 27. n. 71. §. *Secũda.* quatenus dubitat, an contraria ſententia in Iure ſatis fundetur.

Pro reſolutione ſit prima cõcluſio; Si detur violentia ex parte iudicũ Eccleſiaſticorum, ad quam auferendam ſæculares iudices implorãtur, nullo modo licet cauſam auocare, niſi priùs Eccleſiaſtici iudices ſuperiores ad eos qui violentiã 2. 1. *Concluſio.*

 inſe-

inferunt, requisiti succurrere nolint. Probatur; In causis Ecclesiasticis gradatim procedendum est ab inferioribus ad superiores iudices, cap. *Ad reprimēdam.* de offic. iudic. ord. cap. *Sacro.* de senten. excommun. cap. *Antiqua.* de priuil. cap. *Filijs.* 16. quæs. 7. quod etiã tradunt Azor in Summ. lib. 5 institut. moral. c. 14. in 1. part. & Sayr. vbi supra cap. 17. numer. 5. Et probatur, quia contra libertatem Ecclesiasticã est quòd prætermisso sine causa ordinario iudice Ecclesiastico, ad quem vim, & iniuriam auferre pertinet, sæcularis iudex in tali causa se intromittat; cum per hoc ordinarius causarum Ecclesiasticarum cursus impediatur. Quod libertatem, & authoritatem Ecclesiasticam quàm maximè labefactare quis nõn videt? Priùs igitur per supplicationem (quod remedium à Summo Pontifice & conceditur, & assignatur) ad iudicem Ecclesiasticum recurrēdum est, vt violentiam auferat: quam si auferre cõtemnat, ad superiores iudices Ecclesiasticos adire oportet, antequàm sæcularis iudex quoquo modo in auocãda causa se intromittat, aliás enim cẽsura huius canonis implicari dubitandum non est.

3. 2. Cõclusio. Secunda cõclusio; Quãdo, omni medio ordinario præmisso, non est alia via depellendi iniuriam á iudice Ecclesiastico factam, vel quando est periculum in mora, licitum est iudici sæculari causam Ecclesiasticam ad se auocare. Hæc conclusio patet ex dictis cap. præced. disp. 75.

4. 3. Cõclusio. Tertia conclusio; In auocatione causæ Ecclesiasticæ, vel illi annexæ, nullo modo iudici sęculari de meritis causę principalis iudicare licet, sed solummodo cognoscere potest, an detur in ea violẽtia, & iniuria. Hæc cõmunis est. Quam nouissimè tradũt Martha de iurisdictione 4. par. centur. 2. cas. 102. & 146. & Zeuall. tom. 4. pract. quęs. quæst. 897. numer. 103. &

278. & in Discursu ad Regem num. 31. & 36. habeturque in cap. *Qualiter, & quando*. de Iudic. cap. *Licet*. o. 1. & cap. *Ex transmissa*. de for. cōpet. Quanuis igitur iudex Ecclesiasticus iniustam ferat sententiam, nō ad sæculares iudices, sed ad Ecclesiasticum superiorē illi, qui sententiam tulit, illam corrigere pertinet.

5. 4. Cōclusio. Quarta conclusio; Si iudex Ecclesiasticus ad Regis supplicationem violentiam auferre nolit, iustam appellationem concedendo, sitq; periculum in mora accedendi ad superiorem illius, vel ad Summum Pōtificem, & causa magni momenti sit, per bonorum temporalium ablationem compelli potest. Hanc tenet Couar. pract. quæst. cap. 35. num. 3. §. *Aduersus verò*. Pro qua citat Guillelmum Benedic. in cap. *Rainuntius* de testam. verb. *Et vxorem nomine Adelasiam*. secund. decis. num. 460. & Carol. de Grassal. lib. 2. Regal. Franc. iure. 7. column. penultim. Et probatur; quoniam aliás nunquam violentia tolleretur, nec iudices Ecclesiastici Regis supplicationi parerent. Deinde; Vim vi repellere licet; sed in hoc casu iudex Ecclesiasticus vim infert; ergo si aliter ab illa inferenda cessare nō vult, licitum erit vi illum compellere. Minor supponitur in conclusione. Maior habetur in Iure cap. *Significasti*. o. 2. de homicid. cap. *Si verò*. de sent. excommunicat. c. *Ius naturale*. dist. 1. l. 1. §. *Vim vi*. ff. de vi, & vi arm. l. *Scientiam*. §. *Qui cum aliter*. ff. ad legem Aquil.

Dicet aliquis hoc verū esse, si repulsio fiat in cōtinēti, non ex interuallo; vt habetur l. *Idē est*. §. *Cū igitur*. ff. de vi, & vi arm. Cōcedim⁹ sed illud cēsetur fieri in cōtinēti, quādo fit in flagrāti crimine, hoc est, donec animus continuus durat: vt habetur sup. cit. §. *Vim vi*. & in hoc casu certum est iniuriosum iudicis animū durare. Dixi in conclusione; *Et causa magni momenti*, quoniam in rebus 6.

paruis illud facere non expedit, cum maius sit scandalum, quám vtilitas inde secuta.

7. 5. Cóclusio. Quinta conclusio; Si iudex sæcularis inueniat sine iusta causa á Clerico ad ipsum factum fuisse recursum, non potest illum in expensis condemnare, quanuis, si à laico fiat, possit ipsum laicum in expensis condemnare, imò & punire. Prima pars huius conclusionis est cōtra Zeuall. vbi sup. num. 291. & alios, quos ipse citat; meo tamen iudicio est omnino certa, ita vt oppositum tutum non sit. Probatur; Iudex sæcularis in casu violētiæ non constituitur superior ad personam Ecclesiasticam quātùm ad iurisdictionem, nec vlla ratione illius iudex constituitur, sed solùm causam auocat, vt cognoscat, an legitimè ad violētiam auferendam inuocetur; ergo nullo modo personam Ecclesiasticam iudicare potest, cum sit omnino exempta, atq; adeò neque in expensis cōdemnare. Seunda pars videtur certa, cum iudex ad quem fit recursus sit superior respectu sæcularis ad ipsum recurrentis.

Ad argumentum pro parte affirmatiua ex dictis patet quid dicendum sit: concedimus enim in casu violentię posse causam Ecclesiasticam ad sæcularem iudicem auocari, ipsum tamen de meritis illius nō posse cognoscere.

Ad argumentum partis negatiuæ, quod est ex verbis Pontificis, respondet Zeuallos vbi sup. num. 121. ex Corduba in Summ. q. 35. non ligare censuram Bullæ, quando in casu violentiæ auocatio causæ fit, vt Summus Pontifex verè, & plenè informetur, cum in fauorem Ecclesiasticæ causæ cedat, vt iusta ad eūdem Pontificē appellatio fiat. De qua re videri potest idem Author num. 103. & sequentibus, & 145. & 146. Confirmatur ista solutio ex verbo, *Prætextu*, quod manifestè ostendit non prohiberi á Summo 8.

Ponti-

Pontifice omnē re cursum, necomnem causæ auocationem, sed auo cationem, & recursum factum præ textu supplicandi, & informādi. Cum igitur prætextus sit *Velamen*, *quo moueri se quis ad aliquid agendum simulat*, illi cēsentur causam auocare prætextu violentiæ, informationis, & supplicationis, qui sub isto colore, alia tamen non vera, nec iusta ratione ducūtur.

# CAP. XVI.

## *Contra iudices sæculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahunt, quiq; Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant:*

TENOR BVLLÆ.

15. *Bulla censura.* QVI vè ex eorū prætēso officio, vel ad instantiā partis, aut aliorū quorūcunq; personas Ecclesiasticas, capitula, cōuētus collegia Ecclesiarum quarumcūque coram se ad suum tribunal, Audientiam, Cancellariā, Concilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: nec nō qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac

etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliás quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

## *Notationes circa textum.*

1. CAnon hic in duas partes diuiditur. Prioris partis materia, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 29. est sacrilegium, quo offenditur authoritas Sedis Apostolicæ in personis Ecclesiasticis; quatenus earum libertas, quantùm ad immunitatem fori offenditur. Actiones in hac prima parte prohibitæ sunt tres. Prima; ad suum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Concilium, vel Parlamentum trahere. Secũda, trahi facere. Tertia, id directè, vel indirectè procurare. Personæ, quæ ad prædicta tribunalia trahi prohibentur, quatuor sunt. Prima, Ecclesiastici. Secunda, Capitula. Tertia, Conuẽtus. Quarta, Collegia quarumcunque Ecclesiarum. Modus trahendi duplex aßignatur. Primus, ex prætenso officio hæc facere. Secundus, ad instãtiam partis, vel aliorũ quorumcunque. Hoc tamen intelligitur, dũmodo præter Iuris canonici dispositionem fiat. De hac materia habetur in cap. *Si vera*

o.1.de senten.excommun. cap. *Si iudex laicus.* eod.tit. in 6.& in Extrauag. *Ad reprimendum.*

2. Materia posterioris partis,vt notat Caiet. vbi sup. c. 31. est sacrilegium ,quo Sedes Apostolica offenditur, quantùm ad libertatẽ in alijs rebus, quàm in personis. Actiones prohibitæ quatuor numerantur. Prima,statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas,& quæuis alia decreta facere. Secunda, eadem ordinare. Tertia, publicare. Quarta, prædictis iam factis vti, dummodò ex ijs libertas Ecclesiastica tollatur, in aliquo lædatur, vel deprimatur,aut quouis modo restringuatur,aut etiam cum Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iuribus,directè,vel indirectè,tacitè, vel expressè præiudicatur. De hac re agitur in cap.*Nouerit.* & in cap.*Grauem.* de sent.excõmunic. cap. *Ecclesia sancta Maria.* de constit.cap. *Eos.* cap.*Non minus.* de immunit.Eccles. in 6. cap. 1. de iniur.in 6. Authent. *Sacra* de Sacrosanct.Eccles.

Personarum Ecclesiasticarum nomine intelliguntur illę,quæ sub laicorum genere non comprehenduntur, & priuilegio fori gaudent, quales sunt ordinati maioribus, vel minoribus ordinibus, Religiosi tam professi quàm nouitij, & conuersi, Moniales etiam similiter professæ, nouitiæ, & conuersæ, ac in vniuersum omnes in aliqua approbata Religione ad tria vota obligati. De qua re videndus est Syluest.verb. *Ecclesia.* num.6. per totum.Nauarr. in Manual. cap. 27. numer.79. Viuald.in Candel.in explanat.Bullæ Cœnæ.num.122. 3.

## DISP. LXXIX.

### *Quo pacto intelligantur illa verba.* Ordinatis vsi fuerint.

Non

1. NON solùm in hoc canone prohibetur vsus statutorum contra libertatem Ecclesiasticam, sed etiam in Iure canonico c. *Nouerit.* de sentent. excom. in quo Summus Pontifex sub excommunicationis pœna præcepit vt de capitularibus deleantur. Vnde inter hunc canonem, & capitulum illud Iuris est differentia, quòd hic tantùm vsus prædictorum statutorum prohibetur, illic veró vt deleantur de capitularib⁹ iubetur. Ex quo sequitur non incurrere cēsuram huius canonis Principem, vel Rempublicam, qui statuta contra libertatem Ecclesiasticam ab antiquò edita de libris suis non abradunt, sed ad memoriam ea conseruant, dūmodo illis non vtantur. Vtrùm autem talia statuta de capitularibus suis non delentes per cap. *Nouerit.* excommunicentur, controuersum est. Placet cum Caietan. verb. *Excommun.* cap. 31. non incurrere excō municationem nisi eum, qui prædicta statuta, cum non amoueat, seruare facit.

Quid verò si amoueat, seruari tamen faciat? Caiet. citato loco dubitat. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 119. docet vtrumque simul requiri ad censuram dicti cap. *Nouerit.* incurrendam, videlicet, & non delere, & seruare facere. Quam opinionem asserit Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 82. posse in praxi seruari; eo quòd fauorabilis sit. 2.

Cōtrariam sententiam nimirum sufficere ad censuram incurrendam quód quis prædicta statuta obseruari faciat, quanuis ea de capitularibus deleat, tenet Abbas in dict. cap. *Nouerit.* & Syluest. verb. *Excommunic. 9.* excommu. 10. num. 31. quæ meo iudicio probabilior est; & sequenda. Et probatur, quoniam verba illa, *Nisi ea de capitularibus suis infra duos menses. &c. fecerint amoueri,* non ita intelligenda sunt, vt mens illorum contemnatur, vt habetur de regul. Iur. in 6. regul. vltim. vbi sic dicitur. 3.

dicitur; *Certum est eum in legem committere, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*; sed mens Summi Pontific. in præcipiendo, quòd prædicta statuta de capitularibus deleantur, est ne in praxi seruentur; ergo qui illa obseruari faciunt, quanuis de capitularibus deleant, excommunicantur.

## DISP. LXXX.

### *Utrùm vtens consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam, hoc canone excommunicetur.*

1. NON excommunicari vtentem consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam, vt satis probabile, & securum affirmat Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 88. Probat, quia hoc loco non prohibetur vti consuetudine. Nam si propriè loquendum sit, consuetudo non est statutum, ordinatio, cōstitutio, pragmatica, aut decretum: quorum vsus tantùm per hunc canonem prohibetur.

Pro resolutione sciendū est primò consuetudinem accipi dupliciter; primò, vt est quid facti; secundò, vt est quid Iuris. In priori acceptione definitur ex doctrina S. Tho. in 3. dist. 23. quęs. 1. ar. 4. quæstiunc. 2. quòd sit *Frequentia operandi liberè eodem modo*. In posteriori verò, ab Isidoro lib. 2. orig. cap. 10. & lib. 5. cap. 3. & habetur in cap. *Consuetudo*. dist. 1. sic definitur: *Consuetudo est Ius quoddam moribus cōstitutum, quod pro lege suscipitur*. Consuetudo prior est causa posterioris consuetudinis. 2.

Sciendum est secundò, vt frequentia similium actuum consuetudo introducatur, non sufficere frequentationē istam ab vno, vel pluribus fieri, sed requiri necessariò quòd à tota, vel á maiori parte communitatis, vel collegij fiat: priuatorum enim hominū mos 3.

mos ius aliquod commune introducere non valet; vt colligitur ex Sanct. Thom. 1. 2. quæst. 97. ar. 3. traditq; Syluest. verb. *Consuetudo.* num. 1. & 5. Hoc posito, quærimus, vtrùm vti consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam introducta, ad censuram huius canonis incurrendam sufficiat.

4. Cōclu-sio. Prima conclusio; Vti tantùm consuetudine facti contra libertatem Ecclesiasticam, non sufficit, vt huius canonis censura incurratur. Probatur; Hoc loco prohibetur tantùm sub anathemate vsus statutorum, ordinationum, cōstitutionum, pragmaticarum, & aliorum decretorū; sed pura consuetudo facti nullum istorum est, vt patet; ergo qui illa vtitur, ex vi huius canonis non excommunicatur.

5. Cōclu-sio. Secunda cōclusio; Qui sententijs vsu receptis cōtra libertatem Ecclesiasticam vtitur, censura huius canonis inuoluitur. Probatur; Hoc loco excommunicat Summus Pontif. vtentes quibusuis decretis contra Ecclesiasticam libertatem; sed iudicum sententiæ dicuntur decreta in recepta acceptione Iuris; ergo qui illis vtitur, excōmunicatur. Minor habetur in l. *Decreta.* ff. de re iudic. & l. 1. in fin. ff. de access.

6 3. Cōclu-sio. Tertia conclusio; Vtens consuetudine iuris contra libertatem Ecclesiasticam probabilius est in censurā huius canonis incidere, & in praxi sequendum. Probatur; Consuetudo obtinet vim legis, imò est lex non scripta; sed vtens lege contra libertatem Ecclesiasticam excommunicatur; ergo, & vtēs cōsuetudine. Consequentia est bona. Minor etiam est certa: nam nomine statuti, ordinationis, constitutionis, & decreti, intelligitur lex. Maior cum S. Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 3. asseritur á Theologis, & eam docet Panormitan. in cap. fin. de consuetud. Syluest. verb. *Consuetudo.* nu. 3. & Armill. cód.

eod.verbo num. 2. Et probatur; Consuetudo Iuris eatenus obligat, vt citato loco docet Sanct. Thom. quatenus per frequentationem actuum voluntas illorum, qui legem cōdere possunt, declaratur: cōstituitur enim lex per legislatoris voluntatem verbo, vel facto explicatam. Et hinc est, quòd ad iuris cōsuetudinem non sufficit frequentare actus, nisi eo animo frequententur, vt illud idem seruetur in posterum; & secundùm hoc intelligitur illud, quòd habetur. l. 1 §. *Iulianus rectè ait.* & l. fin. ff. de iti. actuq; priua. nimirum, iteratio vsum non inducit; ergo consuetudo iuris veré, & proprié est lex non scripta.

7. Secundo; Qui vtitur iure aliquo communi contra libertatem Ecclesiasticam, excommunicatione huius canonis innodatur, non enim videntur apponi illa verba, *Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quauis alia decreta,* nisi ad explicandum omne ius commune; sed consuetudo, de qua loquimur, est verum ius; ergo, &c. Probatur minor; Qui secūdū compromissum, vel delegationem tenetur pronunciare secundùm iura, potest pronunciare secundùm consuetudinem, vt tradunt Panorm. in Rubr. de consuetud. & in cap. *Cum nobis.* eod. tit. Armil. vbi supra num. 8. Bartolinus in comment. Institutæ Canonicæ lib. 1. titul. 2. §. *Est autem cōsuetudo.* & item, quia consuetudo est species iuris, vt habetur Instituta de iur. natur. §. *Constat.* ergo cōsuetudo est verū ius

Tertiò probatur conclusio; Qui verbo, & non scripto contra libertatem Ecclesiasticam legem statueret, illaque vteretur, proculdubió in hanc excommunicationem incideret; ergo in eandem incidit qui consuetudine cōtra libertatem Ecclesiasticam vtitur: in vtroq; enim casu datur lex non scripta,

&

& æqualis iniuria libertati Ecclesiasticæ infertur.

8. Dicet aliquis; Cõsuetudo vt legis vim obtineat, requiritur, quòd sit rationabilis, vt communis Doctorum sententia declarat; sed consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam introducta rationabilis nõ est: ergo non habet rationem legis, atque adeò, qui illa vtitur, non excommunicatur. Respondetur tamen ad incurrendam hãc censuram non opus esse vti vera lege, idest iusta: nam contra libertatem Ecclesiasticam iusta lex nõ sancitur. Cum igitur sufficiat vti lege iniqua, quæ etiam in rigore vera lex non dicitur, sufficiet quoq; vti iniqua consuetudine.

Ad argumentum Suar. respondetur sub illis verbis, ***Statuta, ordinationes, constitutiones,*** comprehendi consuetudinem, sicut etiam sub illis comprehenditur lex.

## DISP. LXXXI.

### *Vtrùm scribentes statuta, vt publicentur contra libertatem Ecclesiasticam, hoc canone excommunicentur.*

NON excommunicari scribentes statuta ab alijs contra libertatem Ecclesiasticam edita, licet ea vt publicentur scribant, hac vnica ratione probari potest; In hac clausula nõ loquitur Summus Pontifex de leges, vel statuta cõtra Ecclesiasticam libertatem scribentibus; ergo noluit illos excommunicare. Probatur cõsequẽtia, quoniam quando Summus Põtifex huiusmodi scribentes excommunicare voluit, eorum mentionem fecit, vt habetur in cap. *Nouerit.* de sentent. excommunic. vbi excõmunicantur scribentes huiusmodi statuta; ergo cum hoc loco de illis mentionem nõ faciat, eos non intendit excommunicare. Et confirmatur, quia publicare leges, & statuta 1.

ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam dicit authoritatẽ publicàtis;ac proinde, vt cenſura hæc incurratur, requiritur quód actio per eam prohibita authoritatiué fiat, quod ſcribentes minimè faciunt.

2. *Conclusio.* Sit tamen concluſio; Scribẽtes leges, & ſtatuta, vt contra libertatem Eccleſiaſticam publicentur, excommunicatione huius canonis innodantur. Hãc tenet Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. num. 79. Et probatur; Omnes illi dicuntur publicare ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, qui ad talem publicationẽ concurrunt; ſed prædictas leges, vel ſtatuta ſcribentes ad eorum publicationẽ concurrunt; ergo excommunicantur. Probatur minor, quoniam ille ad publicationem ſtatuti cõcurrit, qui neceſſaria ad illius publicationem facit: neceſſarium autem omnino eſt, vt ſtatutum publicetur quòd prius ſcribatur. Et confirmatur primó; quia, vt diximus ſup. diſput. 17. concl. 2. ſcribentes libros hæreticorum, vt imprimãtur, per particulam, *Imprimentes*, excommunicãtur; ergo ſcribentes ſtatuta cõtra libertatem Eccleſiaſticam, vt publicentur, per particulam, *Publicauerint*, excommunicantur. Confirmatur ſecundò; quoniã Summus Pontifex excommunicat omnes qui ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam quomodolibet publicauerint, vt patet ex particula, *Quomodolibet*, quæ cum verbis, *Fecerint*, *ordinauerint*, *& publicauerint*, coniungitur; certum autẽ eſt ſcribentes huiuſmodi ſtatuta illa modo aliquo publicare; eſt enim ſcriptura publicum inſtrumentum, quo lex, & ſtatuta publicantur. Hęc omnia tam de condente ſtatutũ, quã de ſcribente intelliguntur, quando tale ſtatutum promulgatur, aliás cenſura nõ incurritur, cum nulla lex ante promulgationẽ obliget. Sic Vgolin. hic ad illa verba, *Nec non qui ſtatuta*. §. 5. ver. *Tertiò*.

Ad

3. Ad argumentum pro parte negatiua respondetur, quanuis Sũmus Pontif. de scribentibus expressam mentionem nõ faciat, per verbum, *Scribentes*, eos tamen comprehendisse sub verbo, *Publicauerint*, adiuncta particula, *Quomodolibet*. Quòd si in dicto cap. *Nouerit*. illorum expressam mentionem fecit, ex eo est, quia non addebatur particula aliqua, quæ scribentes comprehenderet, qualis hoc loco inuenitur. Ad confirmationem dicẽdum est, scribentes statuta, vt publicentur, authoritate condentis illa, seu legislatoris id facere, iuxta ea, quæ in superioribus dicta sunt cap. 10. disp. 58. cõcl. 3. &, cap. 12, num. 4.

## DISP. LXXXII.

### *Utrúm in aliquo casu personas Ecclesiasticas ad tribunal sæculare trahi liceat.*

Licitũ esse in aliquibus casib⁹ trahere personas Ecclesiasticas ad tribunal sæculare ex hac causula manifestè colligitur: nam Summus Pontif. excommunicans trahẽtes Ecclesiasticos ad tribunal sæculare, addit, *Præter Iuris canonici dispositionem*, vnde secũdùm dispositionem Iuris Canonici non negat prædictas personas ad tribunal sæculare trahi posse, & nõ excommunicari trahentes, vt notat Nauar. in Manu. cap. 27. num. 71. §. *Tertia*. quem omnes sequũtur. Inquibus autem casibus hoc posit fieri, explicandum est. 1.

Primus casus, in quo iudex sæcularis potest Ecclesiasticam personam iudicare, est quando illa brachio sæculari per iudicem Ecclesiasticum traditur: Ita habẽtur in cap. *Cum non ab homine*. de iudic tũc enim potest illam iudicare, & condemnare. Quod in tribus casibus secũdùm Iuris dispositionem fit. Primò,

mò, in casu hæresis, cap. *Ad abolendam*. cap. *Excommunicamus*. de hæretic. Secundò, in crimine falsi. cap. *Ad falsariorum*. de crim. fals. Tertiò, cum propter calũniam, vel contumeliam, quam contulit suo Episcopo, aliquis depositus est, & postea adhùc contumax perseuerat, cap. *Si quis Sacerdotum*. 11. quæst. 1. & notãt Gloss. in dict. cap. *Ad abolendam*. verb. *Relinquatur*. & Pegna in 2. part. Direct. Inquisit. in explicatione dicti capitis *Ad abolendam*. Illud tamen notandum est, si Clericus, vel etiã laicus in crimine hęresis brachio sæculari tradatur, nõ posse iudicem sęcularem iterum processum, & causam examinare, vt tenet cõmunis Canonistarũ sentẽtia, quã tradit Pegna in 3. part. Direct. Inquisit. quæst. 36. cõ. 85. In alijs etiam casibus ex speciali priuilegio potest Ecclesiasticus tradi brachio sæculari, & ab Ecclesiastico iudice puniri: vt contingit in crimine Sodomiæ, vt constat ex Breui Pij V. anno Domin. 1568. 3. Kalend. Septẽb. Pontificatus sui anno 3. vbi absolutè determinat Clericos tam sæculares, quàm regulares, propter hoc crimen brachio sæculari tradẽdos esse. Idem habetur in alijs duobus Breuibus cõcessis Henrico Cardinali Infanti Portugalliæ, quibus sanctæ Inquisitionis ministri in hoc regno vtuntur, vno Pij IIII. anno Domi. 1562. 20. Februar. Pontificatus sui anno 3. altero Gregor. XIII. anno Domin. 1574. 13. Augusti, Põtificatus sui anno 3. Relaxatur etiam Ecclesiasticus in hoc regno brachio sæculari, vt referunt, quando non Sacerdos Missam celebrat, aut non confessarius confessiones audit.

Secundus casus est in causa reconuentionis, cap. *Accusatores*. 3. quæst. 8. & Gl. in cap. 1. vers. *Super suis*. de mut. petit. & in cap. *At si Clerici*. vers. *Non tenet*. de iudic. & in cap. *Multi*. vers. *Sæculari*. 2. quæst. 1. Barth. in Authen. *Et consequenter*. 3.

S col.

colum.fin.C.de ſentent.& interlocuto. omni. iudic. Bald.in l..2. §. *Sed ſi agant.* ff.de iudic. Sylueſt. verb. *Iudex.*1.numer.4. Tolet.in Summ.lib.1.cap.27.§.*Tertius eſt.*Sayr. lib.3. de cenſ. cap.19.num.5.& alij. Quæ ſententia procedit in locis, vbi extat conſuetudo. Ita limitant And.Sicul.in dict. cap. *At ſi Clerici.* & ibidem Abbas,& Dec. num. 165. in fin. & ſequent. & idem Abbas in cap. 1. de mut. petit. & Martha de iuriſd. 4.part.cent.2.caſ.107. nu. 4.qui numero 5.dicit non habere locum hanc ſententiam,niſi ante litis conteſtationem, cum poſtea reconuentioni non ſit vlterius locus. Gloſſ.in Clemét.*Sæpe.*§.*Verum.* in verſ. *Exordio.* de verb. ſignific. Si tamen laicus iniuriam faceret Clerico, tunc ipſe conuentus à Clerico coram iudice ſæculari, non poteſt Clericum coram eodem iudice recõuenire, quia interuenit fraus, quæ laico prodeſſe non debet.cap.*Relatum.* §. *Ad hoc.* de iur.patron.& ibi Gloſſ. verb. *Coram ſæculari iudice.* & l.2 §. *Quod ſi agant.* ff. de iudic.Abbas. in c. *Dilectus.* column. 3. ad fin. de arbitris. Non procedit etiam reconuentio in cauſa ſpirituali, vel ſpirituali annexa, quia hæc ad iudicem Eccleſiaſticum remittenda eſt, cap. *Tuam.* de ord. cognit. cap. *Lator.* qui filij ſint legit. Abbas cap. *At ſi Clerici.* ſupra citato num. 20. & Martha vbi ſupra n. 10. Nec procedit quando agitur de crimine contra Clericum, etiam ſi ciuiliter agatur ad pœnam pecuniariam, cap. vnico de Cleric. coniug. in 6. Abbas vbi proximè. Nec etiam procedit quando manus iudicis ſæcularis in Clericorum perſonas apponenda eſſet. Archidiac. in dict.cap. vnico de Cleric. coniug. & Martha numer. 13. In quibus caſibus cum iudex ſæcularis contra Eccleſiaſticos procedere non poſsit, cenſuram huius canonis incurret,ſi procedat.

Ter-

4. Tertius casus est in causa feudi, vt habetur cap. *Ex transmissa*. de foro compet. & colligitur ex cap. *Cæterũ*. de iud. Gloss. Summaria, quæ ponitur. 11. quæst. 1. verb. *Quòd Clericus*. Innocentius in cap. *Verum*. nu. 1. de foro compet. Felinus in dict. cap. *Cæterum*. num. 3. & ibi Dec. probat esse cõmunem opinionem. Clarus in §. *Feudũ*. quęst. 9. vers. *Sed quid si vassaili*. Sayr. vbi supra. & Martha de iurisd. 2. part. cap. 6. nu. 45. Hoc tamen non intelligitur, si agatur cõtra Clericum ad amissionem feudi criminaliter, vel ciuiliter propter crimen, tunc enim remittenda est causa ad Prælatũ suum: vt tenent Ioan. And. & Abb. in dict. cap. *Verum*. & Martha loco citat. 4. p. cent. 1. cas. 16. num. 13.

5. Syluester verb. *Iudex* .1. num. 4. quem sequitur Tolet. vbi supra §. *Secundus*. ponit alium casum, in quo iudex sæcularis potest Clericum iudicare, interueniẽte scelicet proprij Episcopi authoritate, ad quod citant cap. 2. de iud. sed certè in eo cap. id non habetur, imó ibi disponit Eugenius Pap. vt laici Ecclesiastica negotia tractare nõ audeãt, nec Episcopi de eisdem negotijs laicorum disponant iudicio. Glossa tamen ibi in verb. *Non præsumat*. tenet posse Episcopum delegare laicis causam pecuniariam Clericorum. Quam sentẽtiam sunt qui asserant verã esse, quando Ecclesiastici idonei non inueniuntur.

6. Dicendum tamen existimo neq; de cõsensu proprij Episcopi posse laicum Ecclesiasticum iudicare. Probatur ex c. *Significasti*. de foro compet. vbi determinatur non posse Clericum in iudicem nõ suum consentire, *Nisi fortè sit persona Ecclesiastica, & Episcopi Diocæsani voluntas accedat*. Quod tenet ibi Glossa verb. *Clerici*. & habetur cap. *Si diligenti*. eod. titul. Bald. in l. 1. circa fin. C. de indita viduit. Stephanus Aufred. in repet. Clemen.

1.numer.86.de officio Ordin.Barth.in l. *Siquis pro eo.* ff. de fide iuss.

7. Quartus casus, quando pro defensione innocentis necessarium est Clericum apprehendere, licitum id erit iudici sæculari, illum tamen iudicare non poterit, sed Prælato suo tradere tenetur. Et ratio est, quia defensio innocentis est de iure naturæ, nec est alia via, qua defendi posit, vt supponimus. Vnde si non est aditus ad Prælatum, vel est periculum in mora, sine timore censuræ comprehendi potest. Hanc sententiam tenet Salzedo in pract. Criminal. canon. cap. 122. citans Innocentium in cap. *Si veró.* de sent. excommun. & alios, habeturque manifestè in cap. *Vt fame.* & cap. *Si veró.* de sentent. excomm.

8. Vtrum autem in flagrãti delicto posit comprehendi, controuersum est. Pars negatiua videtur verior, & securior: quia non est textus in Iure cànonico, qui declaret posse laicum iudicem in hoc casu Clericum comprehẽdere, etiam vt ad Prælatum suũ ducat, nisi de ipsius Prælati licentia; & in cõtrarium sunt iura absolutè prohibentia, ne Clericus á laico etiam iudice comprehendatur; quod &, in clausula 19. huius Bullæ in causis capitalibus Summus Pont. prohibet. Quam sententiam cum multis Iurisperitis defendit Martha de iurisdic. 4. par. cent. 1. c. 42.

9. Si quis tamen cõtra hãc conclusionem arguat opponendo sententiam ferè communem esse in contrarium, vt referũt Martha cit. loco, & Salzedo vbi sup. dicendum est illam vel esse intelligendam in defensione priuatæ personæ, vel admittendam non esse, quia fundatur in lege ciuili contra libertatem Ecclesiasticam. Quia tamen in nonnullis locis in praxi seruatur, non auderem condemnare iudicem laicum, qui Clericum in fragranti delicto comprehenderet ducendo

do ad ſuum iudicem, vbi talis conſuetudo ſeruatur. Nec etiam condemnarem comprehendentem Eccleſiaſticum noctu cum armis prohibitis, & præſertim mutato habitu; eo quòd iudex in tali caſu vtilitati, ac tranquillitati Reipublic. conſulit. Plus enim poteſt Reſpublica, quam quælibet particularis perſona; cum ergo particularis perſona poſſit in flagranti delicto defendere innocentem, poterit illud idem & Reſpublica, etiam præuidendo, & anticipando tumultus, & occaſiones, quibus ipſa perturbari poteſt. Huius opinionis eſt Magiſter Bãnes. 2. 2. quæſ. 67. artic. 1. dub. 2. concluſ. 5. Quæ ſententia intelligi debet, dummodo iudex ſæcularis ad iudicem Eccleſiaſticum Clericum ſic incedentem deferat.

(:)

## DISP. LXXXIII.

### *Vtrùm dantes conſilium ad condendas leges contra libertatem Eccleſiaſticam, & cõmunitas illas faciens excommunicentur.*

NON excommunicari dantes conſilium ad condendas leges contra libertatem Eccleſiaſticam ſuaderi poteſt ratione illa ſæpius inculcata, nimirum quia de dantibus conſiliũ Sum. Pont. non loquitur, ſolùm enim faciẽtes, ordinãtes, & publicãtes huiuſmodi leges expreſsit.

1. Excommunicari Communitates, & Reſpublicas prędictas leges condentes, probatur; Si qua eſſet ratio, ob quã Reſpublicæ, & Cõmunitates publicantes, & cõdẽtes leges cõtra libertatẽ Eccleſiaſticã non excõmunicarentur, illa eſſet, quòd ſecundùm Ius Communitas excommunicari

 non

contra libertatem Ecclesiasticam, non excommunicatur per hanc clausulã: si verò sit consilium decisiuum, incurrit excommunicationem. Primam huius conclusionis partem probat primum argumentum in principio factum. Nam censura huius canonis solùm fertur in facientes, ordinantes, & publicãtes leges contra Ecclesiasticam libertatem, quæ de nudo consiliario non verificantur. Secunda pars ex eo patet, quia quando cõsilium est decisiuum verè, & proprié per illud lex fit; ordinatur, vel promulgatur, & dantes consilium decisiuum, authoritatiué leges condunt.

5. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Cẽsores, & consiliarij, quibus Rex committit legem facere, aut approbare, si illã in detrimentum libertatis Ecclesiasticæ ordinent, censura huius canonis innodãtur. Probatur; In hac clausula excommunicantur, qui quomodolibet legẽ faciunt, ex qua libertas Ecclesiastica in aliquo læditur; sed qui ex commissione legem huiusmodi cõstituunt, quomodolibet illam faciunt; ergo excommunicantur.

Contra hanc conclusionem sic aliquis insurget; Vota huiusmodi cẽsorum, & consiliariorum non sunt decisiua, sed consultiua, cum illa approbare, vel reprobare ad Regẽ spectet; ergo iuxta doctrinam primæ conclusionis non excommunicantur, atque adeó prima, & secunda cõclusio inter se repugnant.

Respõdetur tamen verum quidem esse solum Regem authoritate propria posse legem constituere, nihilominus censores, & prę sertim consiliarij Regum, ex commissione suo modo decidunt, & legem ordinant, ac promulgant, & quia quomodolibet legem facientes contra libertatem Ecclesiasticam excommunicãtur, dicendum est prædictos in censuram huius canonis incidere.

S4 Tertia

6 Cōclu Tertia conclusio; Quando lex contra libertatem Ecclesiasticam ab aliqua Communitate sancitur, omnes per suffragium, aut alio quouis modo, ad illam faciendam, vel publicandam concurrentes per hāc clausulam excommunicātur. Hanc tenet Suares de censf. disput. 21. sect. 2. nu. 88. Et ratio est, quia hi omnes quomodolibet legem faciunt, & publicant.

7. Cōclusio. Quarta conclusio; Si lex à Communitate contra libertatem Ecclesiasticam constituatur, non solùm qui ad illam constituendā suffragantur, sed etiam qui se illi subscribunt, quantumcunque ad eam condendam suffragium negauerint, in censuram huius canonis prolabuntur. Prima pars huius conclusionis ex dictis est manifesta. Secunda ostenditur: Lex fit, & constituitur nomine se illi subscribentis, vt in simili docet Graff. lib. 2. decis. cap. 126. num. 16. ergo per hoc quòd aliquis legi subscribitur, illam quomodolibet facit.

Ad primum argumentum initio factum concedimus nudos consiliarios non excommunicari, vt rectè probat: non tamen de habentibus votum decisiuum, aut quasi decisiuum quidquam suadet.

8. Ad secundum dicendum est, quòd esto admittamus Communitatem, & Rempublic. à Summo Pontifice excommunicari posse, nunquam tamen concedemus excommunicari sine expressa declaratione, quæ hoc loco nulla datur, sed tantùm absolutè fertur censura; nam cōmunis Doctorum sententia est Vniuersitatem, Collegium, Capitulum, & Cōuentum collectiuè non excommunicari. Ita Sanct. Thom. in addit. ad 3. part. quæst. 22. art. 5. Alens. 4. par. quæst. 22. memb. 1. art. 4. §. 1. in fin. S. Boauent. in 4. dist. 18. vlt. par. dist. q. 3. num. 69. Mart. Ledesm. 2. 4. quæst. 24. art. 4. Nauarr. in Man. cap. 27. n. 13. & lib. 5. consil. consil. 24. Sylues. verb.

verb. *Excommunic.*1. num. 7. & verb. *Excommunc.* 9. nu. 10. Couarru. lib. 2. variar. resolut. cap. 8. numer. 9. & in cap. *Alma mater.* 1. part. §. nono. num. 3. vers. *Hæc, & alia multa.* de sentent. excõmunic. in 6. & colligitur ex cap. *Romana.* §. *In Vniuersitatem.* de sentent. excommunic. in 6. Gloss. in cap. *Quanquam.* verb. *Vniuersitas.* de sensib. in 6. Et ratio est, quia excommunicatio ligat solùm personam verã *P. & G.* de offic. Delegati; Communitas autem non est persona vera, sed repræsentata l. *Mortuo.* ff. de fidei iussor. Vnde manifestum est sine speciali Summi Pontificis declaratione nõ excommunicari Communitates. Excommunicantur igitur per hanc clausulam omnes de Communitate, qui ad condendas leges contra libertatẽ Ecclesiasticã quomodolibet concurrunt, alij verò ab excommunicatione liberãtur.

(:)

## DISP. LXXXIIII.

### *Quando lex, & statutum contra libertatem Ecclesiasticam censeatur.*

VT quæ in hac disputatione decenda sunt, intelligi possint, explicãdũ prius est quid, & quotuplex sit libertas Ecclesiastica. Libertas Ecclesiastica, vt ex Gofre. docet Syluest. vers. *Immunitas.* 1. nu. 1. est idem, atq; Ecclesiastica immunitas; quę à Lancelotto in sua institut. canon. lib. 2. tit. 20. sic definitur. *Immunitas est à muneribus indulta exemptio.* In qua difinitione verbum, *Immunitas,* largè accipitur pro quolibet Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum fauore, indulgentia, rigoris remissione, & priuilegio, quorum ratione non subijciuntur, nec arctantur: siue hæc á Deò, á Papa, vel ab Imperatore

concessa

concessa sint, vt notant Hostien. in cap. *Nouerit.* in prin. & ibi Innocent. de sentent. excommunic. & Abb. numer. 2. Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 31. §. *Quintò nota.* Tol. in Summ. lib. 1. cap. 37. §. *Libertas autē*. Sayr. lib. 3. de censf. cap. 19. numer. 9. Immunitas sic definita triplex est, vt notat Lancelottus loc. cit. §. *Est autem.* localis silicet, personalis, & realis. Localis est, *Quæ sacris ipsis domibus, aut alicui sacrarum ædium intuitu conceditur.* Cũ enim Ecclesia secundùm Euangelicam veritatem domus orationis esse debeat, meritò à prophanis vsibus esse cõuenit alienã. Personalis immunitas est. *Quæ personis Ecclesiasticis indulgetur.* Nã cũ in Clericorũ ministerio cõstituti nõ nisi altari, & sacrificijs deseruire debeãt, rectissimè cõstitutum est, vt Deo dicati ab omnibus personalibus muneribus immunes reddantur. Personalia munera ea dicimus, *Quæ cum corporis labore, & animi sollicitudine, ac vigilantia principaliter sustinentur.* Realis immunitas est, *Per quam res Ecclesiæ à censu, vel collectis potestatum sæcularium liberantur.*

2. 1. Conclusio. His positis sit prima cõclusio; Tunc statutum, & lex contra libertatem Ecclesiasticam esse cẽsentur, quando per illa libertas seu immunitas Ecclesiastica tollitur, in aliquo læditur, deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur. Hæc conclusio expressè habetur in hac clausula, vbi qui sic per legem, vel statutum libertatem Ecclesiasticam offendunt, excõmunicantur.

3. 2. Cõclusio. Secunda cõclusio; Illud statutum ad effectum incurrendi censuram huius canonis, contra libertatẽ Ecclesiasticam iudicatur, quod ex ipsius statuti intentione illam offendit: secus verò si per accidens contra eam tendat. Hanc tenet Caietan. vbi sup. §. *Nota sextò*. Et probatur; quoniam, quæ sunt per accidens, legem, aut statutũ non violant, sed quæ sunt

per

per se. Vnde licet intentio statuentis sit lædere Ecclesiasticam libertatem, si statutum per se illam non offendat, hanc censuram nō incurrit. Qua procùldubio innodabitur, si statutū, quanuis non ex intentione formali factum, Ecclesiasticæ libertati contradicat, dummodo ignorantia non excuset. Ex materia igitur statuti iudicandum est, quando ipsum contra libertatem Ecclesiasticam sit. Exempla sint: Si præcipiatur, quod decimæ non soluantur, cap. *Reuertimini.* 16. quæst. 1. quòd Ecclesia de spiritualibus ius condere, ac iudicare non posit. cap. *Denique*. cap. *Cum ad verum*. dist. 96. & alia, quæ priuilegia Ecclesiasticorū, aut Ecclesiarum offendūt. Si autem materia statuti non per se, & directè contra libertatem Ecclesiasticam sit, hæc censura non incurritur; vt si Respublica, aut Rex, vt docent Caietan. citato loco, & Graf. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 121. ex Panorm. in cap. fin. de reb. Ecclesiæ non alien. statuant de honore mortuorum, ne excessus dentur, & sumptus augeantur, quòd non fiant sumptuosa sepulchra, quòd tot candelæ apponantur, & similia, quia, cum hæc ad honorem temporalem defuncti ordinentur, per laicam potestatem limitari possunt. Quòd si huiusmodi moderatio aliquo modo Clericis sit nociua, per accidens est. Nec obstat huic doctrinæ dictum. cap. fin. de reb. Ecclesiæ non alien. vbi declaratur esse contra libertatem Ecclesiasticam statuere de mortuarijs, tā quam de annexis Ecclesiasticæ iurisdictioni: cum hoc de ordinatis per se ad Ecclesiam, salutem defuncti, & cultum diuinum intelligatur, non veró de per se ordinatis ad honorem temporalem. 4.

3. Conclusio. Tertia codclusio; Contra libertatem Ecclesiasticam est statutum illud, quo Ecclesiasticis personis aliquid prohibetur, vel iniungitur, quod nec diuino, nec

nec humano iure illis prohibitum, vel præceptũ est, aut quò Ecclesiastici timidiores, & laici audaciores ad nocendum fiunt. Primã huius conclusionis partem ex sententia Felini in cap. *Nouerit.* de senten. excom. tradit Sayr. lib. 3. de censf. cap. 19. num. 9. §. *Sic etiam.* Qui secundam etiam ibid. amplectitur. Quam docuit Barth. quem refert, & sequitur Sylu. verb. *Immunitas* 2. num. 2. Vt si fiat statutũ, quòd interficiens laicum grauiter puniatur, interficiens verò Clericum decẽ aureos soluat. Ratio conclusionis est, quia per hæc Ecclesiastici maximè grauantur.

5. Cõclu. Quarta conclusio; Non solùm censura huius canonis incurritur per statutũ, quo priuilegia Ecclesiæ vniuersali concessa siue in communi, siue in particulari violãtur; sed etiam quo ius quarumcunque Ecclesiarum læditur. Prima pars huius conclusionis communis est. Quam in terminis dic. cap. *Nouerit.* tradũt Caietan. Sylu. & Sayr. citatis locis, estque manifesta. Secunda pars probatur ex verbis Bullæ, in qua, postquam Summ. Pontifex excommunicat violantes libertatem Ecclesiasticam, addit, *Ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus. &c. præiudicatur.* In quibus inter libertatem Ecclesiasticam, & iura particularium Ecclesiarum distinctionem fiat, & vtrũque lædentes excõmunicat. In hoc tamen casu non incurritur censura dic. cap. *Nouerit.* vt citati Doctores affirmant.

6. 5. Cõclusio. Quinta conclusio; Condere legem, vel statutum contra priuilegia á sæculari potestate Ecclesiæ concessa, quando adest iusta causa, non sufficit vt censura huius canonis incurratur; dummodo ab eo, qui priuilegia concesit, aut ab habente æqualem potestatem id fiat, & dicta priuilegia per Romanum Pontif. confirmata non sint. Hanc tenet Vgolin. hoc loco §. 5. vers. *Verum quid de Imperatore.* ad illa verba *Nec non qui*

*qui statuta*. Probatur prima pars; Lex ad libitũ statuentis, præsertim quando spõte facta est, & adest iusta causa, reuocari potest; ergo, & priuilegium etiam Ecclesiæ concessum. Antecedens habetur in cap. *Conquestus*. 9. quæst.3. cap. *Frater*. 16. quæst. 1. cap. 1. de constitut. in 6. illud docét Baldus in l. *Qui se patris*. C. vnde liberi. Iaſon conſ. 1. colum. 7. volum. 1. Felin. in cap. *Quæ in Ecclesiam*. num. 68. de cõstitut. Cursius Iunior consil. 1. num. 18. volum. 1. Nauar. idem docet de priuilegijs etiam in remunerationem concessis in Manual. cap. 27. numer. 73. circa fin. & in c. *Nouit*. de iudic. & in cap. 1. de probat. & de indulgen. & iubil. notab. 28. num. 7. & not. 33. num. 3. qui dicit esse communem. Fulgoſ. qui de priuilegijs Ecclesiæ concessis à Principe loquitur in l. *Si quis Curialis*. C. de Episcop. & Cleric. Abb. in cap. *Ecclesia sancta*. in 1. lect. num. 24. in fin. de constitut. Et ratio est, quoniã qui est causa iuris, potest etiam esse causa reuocationis illius, quod sine iniuria tertij fit, cum adest causa. Nam quando per reuocationem illius, quod prius concessum fuerat, aliquid reducitur ad ius, quod prius competebat antiquitus, conqueri non potest, qui ex tali reuocatione damnum patitur. Glossa in l. *Si vnus*. §. *Pactus ne pereat*. vers. *Quod in specie*. ff. de pactis: cum enim ad ius commune per aliquam dispositionem reuertimur, talis dispositio est fauorabilis. Consequẽtia ostenditur: nam magis impossibilitatur Princeps per priuilegiũ quod concessit, quam legislator per legem á se factam; ergo, si legislator potest legem reuocare, poterit etiam Rex reuocare priuilegium. Vnde, cum reuocato priuilegio non maneant Ecclesiastici quoad illud immunes, non excommunicabuntur, qui fecerint contra illud quod prius concessum fuerat

erat, & nunc eſt reuocatum. Et confirmatur: Si
7. Eccleſiaſticorum libertas Reipublic. pernitioſa ſit, auferri poteſt, vt docet Victoria releɛ̃t. 1. de poteſt. Eccleſiaſ. quæſt. vltim. propoſit. 8. ergo ſi auferatur, non erit lex contra illam. Secunda pars concluſionis, quam cum Hoſtien. tenet Syluest. verb. *Priuileg.* numer. 10. §. *Septimò.* probatur; Priuilegiũ conceſſum ab inferiori, ſi á ſuperiori ex certa ſcientia confirmetur, non poteſt iterum per inferiorem reuocari, cap. *Priuilegia.* 25. quæſt. 2. ergo confirmatum à Papa ab Imperatore reuocari nón poteſt, atque adeò qui contra illud ſtatuit, cenſuram huius canonis incurrit.

8. Contra doctrinam huius cõcluſionis arguit Martha de iuriſdiction. 4. part. centur. 1. cap. 25. á num. 14. Priuilegia à ſæcularibus Eccleſiaſticis conceſſa ab ipſis poſtea reuocari non poſſunt, vt nonnulli Iuriſtarum docent, conſtatque ex Authent. de *Referend.* in princ. vbi dicitur proprium Principis eſſe conceſſa per eum non auferre. Deinde; Priuilegiũ conceſſum non ſubdito reuocari non poteſt: vt inter alios docent Innocent. in cap. *Nouit.* de iudic. Bartholus in l. *Quiſe patris.* C. vnde liberi. & in l. *Si cũ mihi.* ff. de dolo. Cardin. in repetit. cap. *Perpendimus.* in prin. de ſentent. excom. Abb. in cap. *Inter alia.* de immunit. Eccleſiæ num. 19. & in dic. cap. *Nouit.* de iudic. num. 23. Sed Eccleſiaſticus non eſt ſubditus ſæcularibus; ergo priuilegia illis conceſſa á Principibus auferri non poſſunt, atque adeò, qui contra illa faciunt, excommunicantur.

Ad primum tamen iſtorum negandum eſt non poſſe priuilegia Eccleſiaſticis conceſſa auferri, quando adeſt iuſta cauſa; non enim ita eſt propriũ Principis non auferre facta per ipſum, quaſi non poſsit, ſed quia ſine cauſa non decet. 9.

decet. Nam licet priuilegia perpetua firmitate cōstare debeant, cap. 1.& 2. 25.quæst. 2. data causa reuocari possunt, cap. *Suggestum.* de decim. cap. *Non debet.* de consanguinitat. & affinitat. cap. *Videntes.* 12. quæs.1. Causas reuocationis priuilegij refert Gloss. in dict. cap. *Suggestum.* verb. *Priuileg.* Ad secundum eodem modo responderi potest; vel dicendum est illud esse verum in priuilegio, quod habuit perfectionē suam, nec continet actum successiuum, vt docet Panormitan. in dict. cap. *Suggestum.* num. 5. & in cap. *Nouit.* de iudic. numer. 26. Licet tamen maiorem illius argumenti admittamus, dicendum est ad minorem Ecclesiasticos, quāuis non sint subditi sæcularibus Principibus quoad iurisdictionem, esse tamen vassallos, quod sufficit, vt priuilegium eis concessum reuocari posit, si iusta causa adsit.

CAP.



# CAP. XVII.

## *Contra impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione Ecclesiastica vtantur.*

TENOR BVLLÆ.

*16. Bulla censura.*



Ec non, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines, impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumq; vtantur, secundùm quód Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sentẽtias, & decreta, aut aliás fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant Cõsilium, patrocinium, & fauorẽ in eisdem.

Nota-

## Notationes circa textum.

1. MAteria huius cẽsuræ, vt notat Sayr. lib. 3. de cenſ. cap. 20. nu. 2. eſt ſacrilegium, quo Eccleſia offenditur in ſuis Prælatis, & iudicib⁹, quatenus eorũ Eccleſiaſtica iuriſdictio impeditur. De qua re in cap. *Quoniam.* de immunit. Eccleſ. in 6. Actiones principales prohibitæ ſunt ſex. Prima, impedire, ne perſonæ infra nominãdæ ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica cõtra quoſcũq; vtantur, ſecũdùm quòd Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorũ generaliũ, & præſertim Tridentini ſtatuunt. Perſonæ ſũt Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijſuperiores, & inferiores Prælati, & omnes alij iudices Eccleſiaſtici ordinarij. Modi, quibus impediri nõ debent, ſunt, directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtãdo eorũ agentes, procuratores, familiares, cõſanguineos, & affines. Secũda, recurrère ad curias ſæculares, eludẽdo ſẽtẽtias, ac decreta fori Eccleſiaſtici á perſonis nominatis, vel ab eis delegatis latas. Tertia, procurare á curijs ſæcularibus prohibitiones, & mãdata, etiã pœnalia ordinarijs, aut delegatis prędictis decerni. Quarta, hæc eadẽ procurare cõtra illos exequi. Quinta, eadẽ decernere. Sexta, eadẽ exequi. Actiones acceſſorię quatuor numerãtur. Prima, in eiſdẽ dare auxiliũ. Secũda, conſilium. Tertia, patrociniũ. Quarta, fauorẽ.

Prima actio principalis prohibetur in fauorem iuriſdictionis ordinariæ; aliæ veró in fauorẽ iuriſdictionis delegatæ, vt notat Sayr. vbi ſupra numer. 3. Vnde ſequitur impedientes, ne iudices delegati á Prælatis Eccleſiaſticis ſuam iuriſdictionem exerceant, non excommunicari hoc canone: vt notat Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. num. 91. excommunicantur tamen ex vi dict. c. *Quoniã.* ſed cẽſura illa reſeruata non eſt. 2.

T Circa

3. Circa illud verbum, *Eludentes*, notandum est non excommunicari hoc loco recurrentes ad curias sæculares, quando sententiæ ab Ordinarijs latæ violentiam, aut iniustitiam continent: est enim elusorium idem quod vanum, & sine fundamento, vt colligitur ex l. *Si prætor*. ff. de iudic.

4. Circa illa verba, *Secundũ quod Canones, &c.* notandũ est non excommunicari qui Ordinariorũ prædictorum iurisdictionem ordinariam impediunt, quando ipsi contra statuta per canones, constitutiones Ecclesiasticas, & decreta Conciliorum generalium procedunt. An verò excõmunicētur quãdo prędictã iurisdictionem impediunt in processu secũdũ statuta Conciliorum prouincialiũ facto, dubitari posset, eo quòd de Cõcilijs generalibus tantùm Romanus Põtifex mētionē faciat. Respõdetur tamē affirmatiuè, quia nomine cõstitutionũ Ecclesiasticarum intelligitur quæcunque lex Ecclesiastica; est enim constitutio ius in scriptis redactũ, seu ius scriptum.

Verba illa, *Iurisdictione Ecclesiastica*, manifestè ostēdunt non excommunicari hoc loco impedientes ne Ecclesiastici iurisdictionē laicam exerceant, quæ aliquando apud ipsos inuenitur, de sola namque Ecclesiastica iurisdictione loquitur Summus Pontifex. 5.

Notat Sayr. vbi sup. nu. 5. Si Ordinarij Ecclesiastici pro suarum sententiarum, aut decretorum confirmatione ad curias sæculares recurrant, non excõmunicari tunc partes pro decretis illis, aut sententijs tollēdis, vel infirmandis in eadem curia sæculari procurantes: quoniam in tali casu non ipsi sunt qui ad curiam sæcularem recurrunt, & iurisdictionem Ordinariorũ impediunt, cum potius ab illis ad tribunal sæculare deducantur. Videtur igitur in tali casu dari reconuentio, iuxta ea quæ diximus c. præced. disp. 82. cas. 2.

DISP.

## DISP. LXXXV.

### *Vtrúm recurrẽtes ad curias sæculares in causis mixti fori, hoc canone excommunicentur.*

1. PRO intelligẽtia huius difficultatis præmittendũ eſt cũ Gl. 11. q. 1. in. Su. cauſas alias eſſe Eccleſiaſticas, alias ſæculares. Eccleſiaſticarũ cauſarũ triplex eſt genus, quædã enim cauſæ ſunt ſpirituales, quædã criminales, aliȩ ciuiles. Spirituales cauſæ ſunt, in quibus de ſpiritualibus agitur, vt notat Gl. cit. & Arch. 1. q. 1. in prin. vt quãdo agitur de ſacramẽtis, de iure decimarum, & ſimilibus. Criminales, vbi agitur de crimine Eccleſiaſtico; crimẽ autem Eccleſiaſticũ illud dicitur, quod ſola lege naturali, aut ſola Põtificia ſolet eſſe vetitũ, vt dicit Nau. in relect. c. *Nouit.* de iudic. notab. 6. n. 39. verſ. *Peccatũ autẽ.* vt ſunt crimen hæreſis, & vſurarũ. Dicitur etiam crimen Eccleſiaſticũ ſecũdũ Gemin. ſup. 11. q. 1. in Sum. num. 2. illud, quod nõ ponitur per leges ciuiles, vt crimẽ fornicationis. De hoc autem crimine Eccleſiaſticus iudicat etiam laicũ, vt tradũt idem Gemin. in c. *Cũ Epiſcopus.* de offi. Ord. in 6. Ioã. And. in. c. 2. de adulter. & in Rubric. de Sortilegio, & in c. *Qualiter.* o. 2 §. *Ad corrigendos.* colum. 8. de accuſat. Pro quo facit textus in c. *Contra idolorũ.* verſ. *Perpetuas incluſiones.* 26. q. 5. Cauſæ Eccleſiaſticæ ciuiles ſunt, vbi agitur de rebus temporalibus. c. *Frater* 16. q. 1 Cauſæ ſæculares ſunt illæ, vbi agitur de merè ſȩcularibus, quȩ in criminales, & ciuiles diſpartiuntur. Criminales dicũtur, vbi agitur de crimine ſæculari, vt de crimine læſæ maieſtatis, aut vbi agitur de effuſione ſanguinis, vt de morte, & abſciſione membri. &c. Ciuiles dicũtur, vbi agitur de patrimonialibus.

2. Cauſæ ſæculares aliquãdo, propter aliquã qualitatem, de foro Eccleſiaſtico efficiuntur, vt crimẽ rapinȩ, oppreſ-

oppressionis, violentiæ, & similia, c. *Cum sit generale*, c. *Quod Clericis*. c. *Licet ex susceptō*. c. *Ex tenore*. de for. cõpet. & tũc huiusmodi causæ mixtæ, seu mixti fori dicũtur, & si à laicis cõmittãtur, vterq; iudex sæcularis scilicet, & Ecclesiasticus cognoscere potest; vt notat Graff. lib. 4. decis. c. 18. nu. 126. Inter has etiam causas numerãtur vsura. Dec. cõsil. 170. n. 3. sacrilegiũ, sortilegiũ. Abb. in c. *Intelleximus*. n. 1. de adulter. concubinatus, crimẽ sodomiæ, vt colligitur ex textu in c. *Clerici*. de excess. Prælat. Et latè de his Iul. Clar. in sua praxi crimin. §. fin. q. 37. & Doctores in c. *Cũ sit generale*, de for. compet. Dicũtur etiam hæ causæ mixti fori, quia crimina, de quibus in illis agitur, lege naturali, & ciuili, Põtificia, & sæculari simul vetãtur. Abb. in dict. cap. *Cum sit generale*. num. 3. & Nauar. vbi supra num. 40. Fit etiam causa mixta quando simul vterque Ecclesiasticus, & sæcularis cognoscit Authen. *Si verò cõtigerit*. C. de iudic. de quã notatur in cap. *Cum contingat*. de off. Deleg. & in cap. *Per hoc*. de hæret. in 6. vbi Inquisitor, & Episcopus conueniunt in processu contra hæretic. Alijs etiã modis coniunguntur causæ, qui tamen ad nostrum propositum non faciunt.

Præmittendũ etiam est præuentionem esse, *Iurisdictionis appropiationẽ sibi soli in aliqua causa, quæ principaliter, in solidum, & in actu pluribus competebat*. Ita Socin. in cap. *Proposuisti*. de for. compet. & Martha de iurisd. 2. part. c. 2. nu. 2. qui etiam nu. 4. notat quòd iudices aliquando præueniuntur, ne alius se intromittat; aliquando ipsæ partes, ne forum mutent. 3.

His præmissis, dubium est, vtrùm in causis mixti fori impedire iurisdictionẽ Ecclesiasticorum, & recurrere ad curias sæculares, procurando inhibitiones, sufficiẽs sit, vt censura huius canonis incurratur.

Partẽ negatiuã hæc ratio suadere videtur; Censura

huius canonis, cum rigorem contineat, restringenda est, & verba illius secũdum proprietatem interpretanda sunt; sed hæc cẽsura fertur contra impediẽtes Ordinarios, ne sua iurisdictione Ecclesiastica vtãtur; ergo de iurisdictione Ecclesiastica, vt á laica, & mixta distinguitur, interpretãda est, vt detur restrictio. Confirmatur ex communi praxi, secũdũ quam multi á iudice Ecclesiastico præuẽti, & incarcerati ad sæcularem recurrere nitũtur, volentes ab eo iudicari, & iurisdictioni illius submitti.

4. 1. Conclusio. Pro resolutione sit prima conclusio; Præuenire iudicem Ecclesiasticũ in causa mixti fori non sufficit, vt huius canonis censura incurratur. Hãc tenet Vgol. hic. §. 2. vers. *Vel esto causa*. Probatur; Præuẽtio secundùm ius cõmune licita est; vt tradit Graff. lib. 4. decis. c. 18. n. 127. & colligitur ex l. *Si pluribus*. ff. de leg. 1. & l. 1. ff. de offic. Prçsid. sed qui facit quod sibi licet, nõ peccat; ergo nõ excõmunicatur. Et cõfirmatur, quoniã præuenire iudicem Ecclesiasticũ in tali causa, nõ est impedire iniustè iurisdictionis Ecclesiasticæ exercitiũ, qua ratione prohibitio huius canonis intelligẽda est. Nã vterq; iudex plenè, & diuisim in tali causa procedit. Cum igitur causa sit cõmunis, licitũ est vni, vel alteri iudici illam definiendam accipere, & vnicuiq; particulari, vni, vel alteri se submittere.

5. 2. Conclusio. Secunda cõclusio; Qui iudicem Ecclesiasticũ, qui causã mixti fori prçuenit, impedit, ne circa illã procedat, vel sentẽtiã ab eo in tali causa latã eludit, recurrẽdo ad curiã sæcularẽ, procurãdoq; prohibitiones vel mãdata pœnalia contra illum, huius cẽsurç reus efficitur. Probatur; Qui hoc faciunt, impediũt ne iudices Ecclesiastici sua Ecclesiastica iurisdictione vtãtur, ac cõtra illos tali iurisdictione vtentes, prohibitiones, & mãdata pœnalia procurãt; quod expressè hoc canone prohibetur; ergo excõmunicantur.

tur. Probatur antecedens; quoniã iudex Ecclesiasticus, postquã iudicem laicũ præuenit, vtitur iurisdictione sua Ecclesiastica, atque adeò illum impedientes faciunt ne iurisdictione sua Ecclesiastica vtatur. Accedit, quód cum iudex, prę sertim non subordinatus, in causa mixti fori aliũ iudicem præuenit, non potest ille in tali causa se intromittere: vt notat Marth. vbi supra num. 40. ergo tam iudex impediens, quám partes ad laicam potestatẽ in tali casu recurrentes excommunicantur.

6. 3. Cõclusio. Tertia cõclusio; Si causa ad iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem simul pertineat, ita vt vterque simul sententiam proferre debeat, qui Ecclesiasticum prędictis modis impediret, hanc cẽsuram incurreret. Probatur ex eo, quia veré impedit iurisdictionis Ecclesiasticæ iustum concursum, quanuis iudex Ecclesiasticus non sit in tali causa totalis iudex, nisi in defectu sæcularis iudicis. Idẽ dicendum existimo de eo, qui in tali casu sententiam ab vtroque iudice latam eluderet: facit enim iniuriã Ecclesiastico in tali causa iustè procedenti.

7. Ad rationem in contrarium neganda est consequẽtia; neque enim interpretando censuram quòd in causa mixti fori intelligatur, illam extendimus, sed secundùm verborum proprietatem explicamus; cum iurisdictio non ex eo dicatur mixta, quasi media sit inter Ecclesiasticam, & sæcularem, & ab vtraque distincta, sed ideo, quia causa ob diuersas rationes ad diuersos iudices competit. Et licet aliquando non solùm causa, sed etiam iurisdictio mixta dicatur, id totum à causa ipsa prouenit. Ad confirmationẽ respondetur negando dari talem praxim, quæ si alicubi detur, non vsus, sed abusus dicenda est.

CAP.

# CAP. XVIII.

## *Contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunq; Ecclesiasticarũ personarum iurisdictiones, vel etiam fructus earum sequestrantes.*

### TENOR BVLLÆ.

*17. Bull. censura.* QVI vè iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

### *Notationes circa textum.*

1. CAnonis huius materia, vt notat Caietan. in Summ. verb. *Excommun.* cap. 17. est sacrilegiũ, quo Sedes Apostolica, & aliæ Ecclesiasticæ personæ vsurpatione suarum iurisditionũ, fructuum, redditũum, & prouentuum ad eas ratione beneficiorum Ecclesiasticorum pertinẽtium, & eorundẽ sequestratione

offenduntur.

De hac materia habetur in Authen. *Suscepti.* Ne sed. vacant. in Clem. *Religiosi.* de decimis, Clem. *Cupiētes.* de pœnit. cap. *Hoc consultissimo:* de reb. Eccles. non alien. & in Concil. Trid. sess. 22. de reformat. cap. 11.

Actiones principales hoc canone prohibitę duę assignantur. Prima, vsurpare. Secūda, sequestrare. Quæ vsurpari, & sequestrari vetantur, quatuor sunt. Primum, iurisdictiones; secundum, fructus; tertium, redditus; quartum prouētus; dummodò hęc ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ad Summum Pontificem, ad Sedem Apostolicam, & ad quascunque personas Ecclesiasticas pertineant, & sine Romani Pontificis, vel ad id legitimam potestatem habentiūm facultate, quauis occasione, vel causa fiant.

2. Primum quod in hoc canone prohibetur est vsurpatio iurisdictionis. Iurisdictio secundùm Azo, quem refert, & sequitur Sylust. verb. *Iurisdictio.* n. 1. est *Potestas de publico introducta, cum necessitate iurisdicendi, vel æquitatis constituendæ.* In hac definitione loco generis ponitur *Potestas.* quæ, teste Vict. in relect. 1. de Ecclesia q. 1. nu. 2. nihil est aliud quám *Facultas alicuius authoritatem, & eminētiam super alios habentis, ad eorū regimē, & gubernationē.* Particulæ, *De publico introducta,* innuunt potestatē hāc ad publicam gubernationem esse additam naturæ, cōcessáq;, siue à Republica, siue à Deo. Aliæ particulæ, *Cum necessitate iurisdicendi,* &c. significant habētem huiusmodi potestatē posse subditos obligare. Iurisdictio autem sic definita duplex est: Ecclesiastica scilicet, & laica seu ciuilis. Ecclesiastica ad finē supernaturalē, laica verò ad naturalem dirigit hominem.

3. Prohibetur secundó vsurpatio fructuū, reddituū & prouentuum. Fructus dicuntur, *Qui supersunt deductis*

*ductis expensis,quæ gratia fructuum acquirendorum,colligẽdorum,& conseruandorũ fiũt,* vt habetur.l.*Si à domino.* §. *Fructus.*ff. de petit. hæred. &l. 1.C.de fruct. & litium expen.& Gloss.in c.*Grauis.* de restitut. spoliat. Redditus idem sũt, quòd fructus, iuxta l.*Fundi Trebatiani.* ff. de vs.& vs.fruct. leg. & ibi Bart. Nihilominus secũdũ Specul.in titul. de locat.& conduc. §.1. vers. *Illud.* & Gloss.in c.*Generali.* in verb. *Redditus.* de electione in 6. aliqua inter eos est distinctio:nam partus ancillæ inter redditus computatur, non tamen inter fructus l. *In pecudum.*§. *Partus.* ff. de vsur. Instit. de rer. diuis.§. *In pecudum.*l. *Vetus.* §.*In pecudum.* ff. de vsu. fruct. Et ratio est ; quoniam , cum fructus omnes gratia hominis conditi sint,absurdũ est hominem inter fructus computari.Prouentus etiã inter redditus numerantur, secundùm Paulum de Eleas. & Zabar. in Clem. vnic. de excessib . Prælat. Vsurpare est. *Aliquid contra ius, rationem, vsum, vel consuetudinem capere.* Ita ex Alberic. Alexand. Scot.in diction.Iuris verb.*Vsurpare.*

4 Prohibetur tandem prædictorum sequestratio,quę nihil aliud est quàm rei, de qua agitur, vel controuertitur,separatio, aut depositio, aut possessionis interdictio.

## DISP. LXXXVI.

### *Vtrùm vsurpare iurisdictionem sæcularẽ pertinentem ad Ecclesiasticos contra prohibitionem huius canonis sit.*

1 VT hæc difficultas explicetur,sciẽdũ est iurisdictionẽ sæcularem,& quę cũq; alia bona temporalia dupliciter posse ad Ecclesiasticos pertinere: primò, secundùm quòd Ecclesiastici sunt ; secundò, quatenus tales personæ absolutè. Huiusmodi sũt bona á parentibus, vel ab alijs accepta, siue iure hæreditatis,

tatis, siue donatione, siue quocũque alio titulo. Quę eis, quatenus Ecclesiastici sunt, conueniunt, adhuc sunt in duplici differentia. Primi generis sunt, quæ ad illos pertinent ratione Ecclesiarum, Monasteriorũ, aut aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum, in quibus non solum computatur iurisdictio Ecclesiastica, sed etiam laica, cũ multoties Ecclesiastici, ratione beneficij Ecclesiastici, temporalem iurisdictionem habeant, & temporales domini sint. Ad secundum genus spectat patrimoniũ ad suscipiendos ordines. De quo in Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de reformat.

2. 2. Conclusio. Hoc posito sit prima conclusio; Vsurpantes ea, quæ ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum spectát, siue spiritualia, siue temporalia sint, excommunicationem huius canonis incurrũt. De spiritualib⁹, & Ecclesiasticis res est manifesta. De temporalibus, id innuit Caietan. in Summ. verb. *Excommunicatio*. cap. 27. & expresse Suares de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 95. Et probatur; Summus Põtifex loquitur de iurisdictione, quæ ratione beneficij Ecclesiastici ad Ecclesiasticas personas pertinet, nulla facta distinctione quód talis iurisdictio Ecclesiastica, vel sęcularis sit; sed aliquando dominium, & iurisdictio sæcularis ratione Ecclesiastici beneficij Ecclesiasticis conueniunt; ergo qui eam vsurpant iurisdictionem, hoc canone excommunicantur. Et cõfirmatur, quoniam cum huiusmodi iurisdictio Ecclesiastico beneficio coniũcta sit, inter fructus illius computari debet, atque adeò qui illam vsurpat, excommunicatur, sicut qui vsurpat fructus beneficij.

Secunda cõclusio; Qui ea vsurpat, quæ Ecclesiasticis non ex Ecclesia, Monasterio, vel Ecclesiastico beneficio, sed aliunde conueniunt, hac censura non innodatur. Docent hanc 3. 2. Conclusio.

con-

conclusionem Caiet. citat. loco, Nauar. in Manu cap. 27. num. 71. §. *Sexta*. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. nu. 130. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 28. Suar. vbi supra, & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 21. num. 4. Et probatur manifestè; Hoc loco solummodo vsurpantes ea, quæ ratione prædictorum beneficiorũ ad Ecclesiasticos spectant, excommunicantur, de his enim tantũ loquitur Sum. Pontif. sed quæ aliunde conueniunt Ecclesiasticis, non conueniunt ratione beneficij; ergo, qui illa vsurpant, hac censura non plectuntur. Ex hoc sequitur non excommunicari per hanc clausulam vsurpantes Clericorum patrimonium ad cuius titulum ordinantur, cum non spectet ad illos ratione prædictorum beneficiorum, & Summus Pontifex non excommunicet vsurpantes quodcumque bonum ad Ecclesiasticos pertinens, etiam propter Clericatũ, sed vsurpantes ea determinatè, quorum mentionẽ expressam fecit. Quidquid dicat Vgolin. hic. §. 3. vers. *Secundò*. eo quòd habet priuilegium bonorum Ecclesiasticorum iuxta Gloss. in cap. *Episcopi*. de præben. non enim loquitur Summ. Pontif. de bonis Ecclesiasticis absolutè.

Contra hanc conclusionem sic aliquis insurget: Dominium, & iurisdictio tẽporalis non conueniunt Ecclesiæ ratione beneficij, sed aliunde, cum ex donatione Principum ad illam spectent, & tamen excommunicantur ea vsurpãtes, vt prima conclusio asserit: ergo vsurpare quę aliunde conueniunt, ab hac censura non liberat. 4.

Respondetur tamen aliud esse rem conuenire Ecclesiæ aliunde, quàm ex Ecclesiastico beneficio, aliud aliunde, quàm ex eodem Ecclesiastico beneficio Ecclesiasticis personis conuenire. Nam quæ liberè donata sunt Ecclesiæ, facta donatione, Ecclesiastico beneficio coniunguntur, & ratione illius ad Ecclesia-

clesiasticas personas pertinent. Cum igitur in hoc canone non excommunicentur nisi vsurpantes ea, quæ ratione Ecclesiæ ad Ecclesiasticas personas pertinent, manifestè sequitur excommunicari vsurpantes iurisdictionem temporalem, quæ conuenit ratione Ecclesiæ, licet ipsi liberè á sæcularibus donata sit, non verò vsurpantes patrimonium Clericale, siue quodcunque aliud bonum, cum nullo prædictorum titulorum ad illos pertineant.

## DISP. LXXXVII.

### *Vtrúm, vt censura huius canonis incurratur, prædicta bona vsurpare sufficiat.*

1. CAiet. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 77. docet non sufficere prædictos fructus, redditus, & prouentus quomodolibet vsurpare, vt censura huius canonis incurratur, sed necessarium esse, quòd vt res Ecclesiæ sunt, vsurpentur. Ratio illius est, quia verba formaliter intelligẽda sũt. Vnde, cum Summus Pontifex loquatur de vsurpantibus Ecclesiæ fructus, intelligendum id est formaliter, seu secundùm quòd sunt fructus Ecclesiæ. Eandem sententiam sequũtur Nauar. in Manu. cap. 27. num. 71. §. *Sexta.* Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 28. & Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. nu. 96.

Sayr. vero lib. 3. de cens. c. 21. nu. 4. hanc opinionẽ suspectam, & dubiam esse credit, quia, inquit, non videtur necessarium, vt aliquis ad incurrendam censuram huius canonis, bona Ecclesiæ vsurpet sub hac formalitate, quatenus Ecclesiæ bona sunt, cum paucissimi domini temporales sint, qui hac intentione prædicta bona vsurpare intendant. Vnde addit satis esse vt hæc excommunicatio incurratur, quòd quis sciat bona illa esse Ecclesię, &

&nihilominus illa vsurpet.

2. Pro resolutione sit prima conclusio; Vsurpantes prædicta bona, vt prouentus, fructus, & redditus Ecclesiæ sunt, idest tãquã sibi debita, seu ad se pertinentia per hanc clausulam excommunicantur. In sensu huius conclusionis Caietanum explicant Doctores pro eius opinione citati. Et probatur conclusio ex verbo, *Vsurpare*, quod non significat quomodocunque capere, sed quasi iure proprio rem accipere. Et cõfirmatur, quoniam, vt inquit Caiet. hæc censura contra dominos temporales fertur, qui redditus, & prouentus Ecclesiæ vsurpant, quod regulariter faciũt, secũdùm quód existimãt, aut fingũt bona illa esse sibi debita.

3. 2. *Conclusio.* Secũda conclusio; Qui furantur prædicta bona, vt aliena, in hanc censuram non incidunt. Hanc tenent Doctores citati, & ex præcedenti manifestè sequitur, quoniam huiusmodi latrones non accipiunt fructus, & redditus Ecclesiæ, vt ad se pertinentes, & quasi iure proprio, quod, vt diximus, necessarium est, vt hæc censura incurratur. Ex quo infertur milites, & latrones prędictos fructus surripientes non excõmunicari: neque enim est verisimile sub tãta censura velle Summum Pontificem Ecclesiasticorũ bona defendere á latronibus, cum hæc furta non cedant per se in iniuriam Ecclesiæ, aliàs õnia, quæ ad Ecclesiasticos ex quocũq; titulo pertinent, sub hac censura comprehenderẽtur.

Ad fundamentum opinionis Sayr. dicendum est Caietan. & alios Doctores non asserere esse necessarium, vt huius canonis excõmunicatio incurratur, bona illa vsurpari, quatenus Ecclesiæ sunt: ita vt vsurpantis intentio, & ratio motiua sit accipere illa bona ex eo tantùm, quia ad Ecclesiam pertinent. Solùm igitur docent verba illa, vt Ecclesiæ sunt, 4

ſunt, hoc ſignificare, quod accipiens bona, illa ita vt ad ſe pertinentia, capiat, ſicut ad Eccleſiam ſecundùm ius, vel conſuetudinē pertinēt. Vnde falſum eſt, quod addit ſufficere nimirum ad cenſuram hanc incurrendam, quod aliquis ſciens bona illa eſſe Eccleſiæ ea vſurpet. Nam ſi nō vt ſibi debita vſurpet, non excommunicabitur.

## DISP. LXXXVIII.

## *Vtrùm vſurpantes Eccleſiaſticos fructus tēpore vacationis Eccleſiæ excommunicētur.*

1. PArtem negatiuam huius diſputationis tenet Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 27. quem ſequitur Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 28. Probaturque; Summus Pontifex ſolùm excommunicat hoc loco vſurpantes fructus, redditus, &c. ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentes; ſed Eccleſia vacans non eſt perſona Eccleſiaſtica, cū non ſit perſona vera ſed repræſentata. l. *Mortuo.* ff. de fideiiuſſor. Deinde probatur; Summus Pontifex in hac cenſura diſtinctionem facit inter fructus ad ſe ipſum, & ad Sedem Apoſtolicam pertinentes, & eos vſurpantes, ſiue ad vnum, ſiue ad alterum pertineant, excommunicat; hoc autem non fecit inter fructus ad Eccleſiaſticas perſonas, & ad Eccleſias pertinentes, ſed tantùm de ſpectantibus ad perſonas Eccleſiaſticas loquitur; ergo euidens ſignum eſt noluiſſe excōmunicare vſurpantes redditus Eccleſiarum, aliàs enim id expreſſiſſet.

2. *Concluſio.* Sit tamen concluſio; Vſurpantes fructus, & redditus Eccleſiaſticos tempore vacationis Eccleſiæ in cenſuram huius canonis prolabuntur. Hanc tenet Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 71. §. *Sexta.* Quem ſequūtur Suar. de cenſ. diſſ. 21. ſect. 2. numer. 97. Sayr. lib.

lib.3.de cens.cap.21.nu.4. & Vgolin. hoc loco. §. 2. vers. *Quintò.* Et probatur primò; Summus Pontifex per hanc censuram non intendit per se primò personarum Ecclesiasticarum commodum,& vtilitatem, vt personæ particulares sunt, sed conseruationem immunitatis Ecclesiæ; atqui maius periculum est, & faciliùs libertas Ecclesiastica læditur per vsurpationem tempore vacantis Ecclesiæ factam, quàm tẽpore quo pastorem habet, cum pauci sint, qui tunc Ecclesiam defendere nitãtur,& bonum illius curẽt; ergo non solùm intendit excommunicare vsurpantes fructus ad personas Ecclesiasticas determinatas pertinentes, sed etiam ad Ecclesiam spectantes: aliás enim censuræ principalis intentio frustraretur. Et confirmatur, quoniam qui mentem legis offendit, sic punitur, sicut qui mentem, & verba, vt habetur in l. *Si quis.* vers. *Quod si dum proponitur.* ff. de iurisd. omni. iudic. l. *Sed Iulianus.* §. *Mortui.* ff. ad Macedoniã. imò intentio præfertur verbis, cap. *Intelligentia.* & c. *Præterea.* de verb. signif. & Gloss. in cap. *Si postquam.* in verb. *Mẽte.* de electiòne.

Secundò; Si aliqua esset ratio, ob quam vsurpantes vacantis Ecclesiæ fructus non excommunicarentur, esset, quia ad aliquam personam Ecclesiasticam non pertinent; sed hæc ratio nulla est; ergo. &c. Probatur minor: tum, quia nemo dixerit vsurpantes redditus Monasteriorum non excommunicari, qui tamẽ redditus ad nullam determinatam personam spectant; tum etiam, quia fructus vacationis tempore obuenientes pertinent ad successorem, & durante vacatione ad Commendatarium, vel œconomũ, nõ tanquam ad veros dominos, sed tanquam ad depositarios, vel custodes, vt prædictos fructus vero domino suo tempore reddãt; tum denique, quia verbo, *Personas*, etiam fictæ ob paritatem

ritatem rationis intelligũtur.

Ad primum argumentum in contrarium respõdetur primò, nomine personæ hoc loco intelligi etiam repræsentatam, ne intentio legis frustretur. Respondetur secundò, intelligi personam veram, nõ tamen illam solùm, quæ prædictorum fructuum dominium habet, sed etiam habentem ius, siue custodiæ, siue administrationis.
4. Nam ad personam pertinere dicuntur, quæ ad illã aliquo prædictorum titulorum spectant, etiam si illius non sint propria. l. *Verbum illud pertinere*. ff. de verb. significat.

Ad secundum dicendũ est Summum Pontificem ideò Ecclesias non expressisse, quia ex mente huius clausulæ facilè explicari poterant verba illius, scilicet, *Personas*, & *pertinere*; quòd si expresit Sedem Apostolicam, maioris explicationis gratia factum fuisse credendum est.

## DISP. LXXXIX.

### *Utrùm, qui prædicta non authoritatiuè vsurpãt, vel sequestrãt, excommunicentur.*

In resolutione huius difficultatis conueniunt cum Caietan. in Summ. verb. *Excommunic.* cap. 27. Nauar. in Manu. cap. 27. num. 71. §. *Sexta*. Graff. lib. 4. decis. cap. 18. num. 130. Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 98. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 21. nu. 4. asseritq; Caietan. requiri, vt censura huius canonis incurratur, quòd prædicti Ecclesiæ fructus, & redditus, quasi authoritatiuè vsurpentur, vel sequestrentur; quod ex eo colligere videtur, quia hæc prohibentur fieri sine expressa Summi Pontificis licentia, & qui sine licentia facit, quasi authoritatiuè facere censetur. Hi Doctores per, *Vsurpare authoritatiuè*, vidẽtur intelligere 1.

gere illud, quod non est capere, vt fures faciunt, cũ ex defectu huius conditionis latrones, & milites ab hoc censura excusent. Ita Vgolin. hic. §. 3. vers. *Tertió.* Idem igitur est accipere authoritatiuè, atque accipere vt propria, vel sibi debita, iuxta ea quæ diximus disput. 87. Et in hoc sensu quantùm ad vsurpationem fructuum, redditruum, & prouentuum verum dicunt.

2. Vt veró intelligamus quid dicendũ sit quantùm ad sequestrationem, sciendum est sequestrationem aliquando fieri iudicis officio, aliquando de partiũ litigantium cõsensu, l. *Licet.* ff. depositi, & Gloss. in cap. *Examinata.* verb. *Tanquam sequestratã.* de iudic. sequestratio etiam aliquando fit omittendæ possessionis causa, & tunc neuter litigãtium possidet, aliquãdo causa custodiæ, & tunc possessio manet apud possidẽtem. Ita ex Gloss. Alexãd. Scot. in Diction. Iur. verb. *Sequestratio.*

Cum sequestratio fieri non possit nisi authoritate iudicis ex officio procedẽtis, aut de partiũ consensu, nõ habet furtum in sequestratione locum. Vnde sequestrare fructus vt proprios non potest dari in persona particulari, & priuata. Sequestrare igitur authoritatiuè solũ cõtinget, quando iudices, vel domini temporales, siue in causa propria, siue in aliena, Ecclesiasticorum fructuum, reddituum, & prouentuũ sequestrationem faciunt, non habentes ad id authoritatem á Summo Pontifice, vel ab alijs, qui illam concedere possunt. Ex quo sequitur non excommunicari sequestrãtes prædictos fructus de consensu partium litigantium, cum hoc faciãt de consensu eorum expresso, qui in sequestrationem secundùm iura consentire possunt. Aliter tamen dicendum est, quãdo vna pars tantùm in sequestrum consentit, recusante alia, quia tunc nec de licentia Summi Pontificis, 3.

nec de consensu habentiũ potestaté ad sequestrũ cõcedendum sequestrant.

4. Vtrùm autem iudex procedens ex officio, qui sequestrat prædictos fructus in casu, in quo secũdùm Ius non permittitur, hanc cẽsuram incurrat, dubitari potest. Respondendum tamen existimo in censuram incidere. Et ratio est, quia in tali casu non habet authoritatem, non enim ei conceditur potestas ad sequestrandum, nisi secundum iura. Cum igitur sequestratio absolutè prohibita sit l. vnic. C. de prohib. sequestrat. quotiescunque iudex in casu non permisso sequestrat, excõmunicatur.

Quod diximus de sequestrante quoad censuram incurendam, de exequẽte sequestrum intelligendum etiam est. Nam exequens vnum censetur cum mandante, & illius authoritate operatur; delictum enim mandantis, & mandatarij vnum est, vt probat Cynus in l. 1. C. si reus vel accusatus mortuus fuerit. Qui refert idem cõsuluisse Dynum, & sequitur Rainer. super Cyn. per text. in l. *Athletas*. ff. de fals. Idem tenet Barth. in l. *Hoc accusare*. §. *Lege Iulia*. ff. de accusat. Butri. in l. *Hoc obseruare*. ff. de officio Proconsul.

## DISP. XC.

### *Vtrùm censura cõtra vsurpãtes Ecclesiasticorum fructus, tã laicos, quàm Ecclesiasticos comprehendat.*

TAM laicos, quã Ecclesiasticos vsurpantes Ecclesiasticorũ fructus, redditus, & prouẽtus, sub hac cẽsura cõprehẽdi ea ratio suadere videtur, quód vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed Summus Põtifex absolutè loquitur de vsurpãtibus, & sequestrãtibus bona Ecclesiasticorũ; ergo Ecclesiasticos, ac laicos cõprehendit. 1.

Respondendum tamen est ad hanc difficultatem, secun-

ſecundum ea quæ diximus ſupra cap. 15. diſput. 77. nimirum cenſuram hanc ferri tam in ſæculares, quã in eos Eccleſiaſticos qui laica authoritate fungentes, Eccleſiaſticorum fructus ſequeſtrant, vel tanquam ſæculari titulo ſibi debitos vſurpant. Probatur, quoniam Summus Põtifex intendit immunitatẽ Eccleſiaſticam contra laicos per ſequeſtrum, vel vſurpationem illam offendentes tueri. Vnde ſi authoritate Eccleſiaſtica hoc faciant, exiſtimo hãc cenſuram non incurrere.

Ad rationem dubitandi reſpondetur intentionem Romani Pontificis ſufficiẽter declarare verba cenſuræ abſolutè prolata, debere intelligi de ſæcularibus, præſertim cum hic canon pars ſit præcedentis, qui contra laicos ſpecialiter fertur.

# CAP. XIX.

## *Contra imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſijs, Monaſterijs, aut eorum fructibus.*

### TENOR BVLLÆ.

18. *Bull. cenſura.*



VI vè collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus,

 red-

redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirecté prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunq; etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris, quoquo modo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi, nouissimè celebrato, quám alijs Concilijs generalibus, edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

## *Notationes circa textum.*

Materia huius censuræ secundùm Caiet. in Summ. verb. *Excom.* c. 40. est sacrilegium, quo immunitas Ecclesiastica offenditur impositione onerum, à quibus Ecclesiasticorum personæ, & eorum bona exépta sunt. Actiones principaliter prohibitæ tres assignantur. Prima, sine speciali, & expressa licentia Sũmi Põtificis collectas, decimas, talleas, præstantias,

&

& alia onera imponere personis Ecclesiasticis, & eorum, ac Monasterio-rum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, fructibus, redditibus, & prouentibus. Secunda, eadem sine prædicta licentia exquisitis modis exigere. Tertia, sic imposita, etiam á sponte dantibus, & concedentibus recipere. Actiones accessoriæ sunt sex. Prima, per se, vel per alios, directè, vel indirectè prædicta facere. Secunda, prædicta exequi. Tertia, procurare. Quarta, in eisdem dare auxilium. Quinta, dare consilium. Sexta, præstare fauorem. Comprehendit hæc censura omnes cuiuscunque status, dignitatis, præeminentiæ, etiam Pontificali dignitate insignitos.

2. Innouantur super his decreta per sacros Canones, tam in Concilio Lateranensi nouissimè celebrato, quam in alijs Concilijs generalibus edita, cum censuris, & pœnis in eisdem contentis. Statuta Conciliorum Prouincialium, & Pontificum specialia decreta, quæ in Iure non continentur, non videntur innouari, cum de solis decretis per sacros Canones, & Concilia generalia textus loquatur. Et licet verbum, *Canon*, interdũ pro decretis tam Cõciliorum generalium, quã Prouincialium accipiatur, vt in cap, *Canonum statuta.* de constitut. id non videtur hoc loco significare, cum addantur particulæ, scilicet, *Conciliorum generalium*. quæ videntur illud restringere ad vulgarem acceptionem, qua sacri Canones communiter dicuntur ordinationes illæ, quę in Iure continentur.

3. Circa illa verba, *Auxilium, consilium, vel fauorem*, notat Tolet. in Summ. lib. 1. capitul. 29. §. *Aduerte etiam*. huiusmodi verba cõprehẽdere omnia dicta á principio decimæ quartę excommunicationis inclu

 siuè,

siuè; pro quo citat Syluest. verb. *Excommunic.* 7. §. 70. & 71. & 72. & Tabien. verb. *Excommunic.* 6. num. 12. Probat, quia propter hoc hæ censuræ sub vno contextu copulatiuè legũtur. Oppositum tamen dicendum est: nam licèt sub vno contextu prædictæ clausulæ legantur, per diuersos tamen paragraphos distinguuntur, & in vno quoque diuersimodé disponitur. Vnde quæ in vno dicuntur, ad alium accommodanda non sunt; in decimo quarto enim, & decimo sexto exprimuntur dantes cũsilium, auxilium, & fauorem, quod in decimo quinto, & decimo septimo non fit. Quòd si leguntur sub vno contextu, ex eo est, quia omnia illa ad immunitatem Ecclesiasticã spectant. Quod veró attinet ad Sylu. & Tabien. nihil de hac re in illis locis dicunt.

(:)

## DISP. XCI.

## *Quò iure Ecclesiastici à laica potestate eximantur.*

IN hac difficultate, & cũ hæreticis, & cum Catholicis est nobis controuersia. Nam hæretici affirmãt Ecclesiasticos esse subiectos, subijcique debere potestati sæculari, præterquã in causis merè Ecclesiasticis. Hunc errorem tenuere Caluin. lib. 4. instit. cap. 11. §. 15. Petrus Martyr in c. 13. epist. ad Rom. qui addit non potuisse Principes concedere Ecclesiasticis priuilegium, ne Magistratibus politicis subijcerentur, cum id sit contra ius diuinum. Brent. in prologom. etiam in rebus Ecclesiasticis tribunali laico Clericos subijci asserit. His tamen omissis deliramentis, quę á Bellarmin. tom. 1. controuer. 5. lib. 1. cap. 28. optimè confutantur, quid Catholici sentiant videndum est. 1.

Iuris-

2. Iuristæ nonnulli in alio extremo versantur asserentes Ecclesiasticos, & eorũ bona à potestate laica iure diuino eximi. Hanc sentẽtiam ex parte tenere videtur Driedo lib.1. de libert. Christ. cap. 9. Eam tenet Gloss. in cap. *Tributum*. 23.quæst.8o. & in c. *Quanquam*.vers. *Diuino*. de censib.in 6.in cap. *Si Imperator*. vers. *Discuti*.96.dist.in cap. *Syluester*.11.quæst.1.vers. *Et contra leges diuinas*. Abbas in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. nu. 60. de cõstitut. in cap. *Solita*. num. 4.de maiorit. & obed.in cap. *At si Clerici*. num. 25. de iudic. in cap. *Si diligenti*.de for. compet. in cap. *Literas*. num 14. de restit.spol.in cap. *Proposuit*. num. 14. de concess. præbend.in cap. *Non minus*. n. 17. de immunitat. Eccles. Felin.in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*.num.6.de constitut. & in cap. 2. de maior. & obed Decius in dict. cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*.num. 14.& 16.Corcet.in repetit. cap. *Perpendimus*.de senten. excommunicationis; Gomes. in cap.1. num. 67. de constitut. in 6. Rebuff. in concord. Fran. in titul. de potest. concord. Oldrad. in consil. 83. num.5. Alexand. in consil. 8. in prin. volum.1. Iason in l. *Est receptum*. num.3. ff.de iurisd. omni. iudic. Probant hi Authores suam sententiã.

Primò ex aliquibus sacræ Scripturæ locis, Genes. 47. vbi habetur quòd Ioseph omnẽ terrã Ægypti, præter terram sacerdotalem, Pharaoni tributariam fecit, quòd etiam ministris suis præcepit Artaxerxes. 1. Esdræ 7. Psalm.104. *Nolite tangere Christos meos*. Matth. 17. vbi Christus Dominus sic Petro dixit; *Reges terræ, à quibus accipiũt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis?* Et paucis interiectis, addit: *Ergo liberi sunt filij*. Ex quibus constat Ecclesiasticos iure diuino esse exemptos.

Secundò probant ex iure canonico cap. *Quanquam*. de censib. in 6. vbi sic dicitur; *Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsa-*

*ipsarum non solùm iure humano, quinimo, & diuino à sacularium personarum exactionibus sint immunes. &c.*

Tertio; Si Eccclesiastici solo humano iure á ciuili potestate essent exempti, sequeretur posse Principes sæculares immunitatẽ hanc tollere: quod non videtur dicendum. Nam traditiones seruandæ sunt, iuxta illud. 2. ad Thessalon. 2. *Tenete traditiones.* Quod non solum intelligendum est in spiritualibus, sed etiã in ciuilibus, & criminalibus: dari autem circa huiusmodi immunitatem traditionẽ, negari nõ potest.

2. Pro resolutione huius difficultatis supponẽdum est illud quod cap. 16. disp. 84. præmisimus, videlicet immunitatẽ diuidi in personalem, localem, & realẽ, & cap. 17. disp. 85. scilicet causas alias esse Ecclesiasticas, alias sæculares. Et de his omnibus excitatur præsens controuersia. In qua Victoria in Relect. 1. de potest. Ecclesiæ, q. vltim. Sotus in 4. dist. 25. quęst. 2. art. 2. quos sequuntur Bellarm. loc. cit. Mol. de iust. & iur. tract. 2. disp. 31. Bann. de iust. & iur. quæst. 67. ar. 1. dub. 2. & Salon ibid. controu. 1. asserunt hanc immunitatẽ, & exemptionẽ, quoad aliqua iure diuino, quoad alia verò iure humano introductam esse. Quæ sententia videtur omnino vera, & sequentibus conclusionibus explicabitur.

Prima conclusio; Ecclesiastici in causis Ecclesiasticis á potestate laica iure diuino sunt exempti. Hæc conclusio communis est. Probatur; Regimen Ecclesiasticum iure diuino à sæculari, & politico distinguitur; ergo causæ Ecclesiasticę eodem iure à potestate sæculari separantur. Cõsequentia bona est. Antecedens est etiam certum. Nam potestas laica naturalis est, naturalemque finem respicit, & à Republica Regibus collata fuit, potestas verò spiritualis supernaturalis est, & ad finem supernaturalem ordinatur, Apostolisque, & 3. 1. Coclusio.

præ-

præcipuè Petro data fuit à Christo Domino. Confirmatur ex dicto capitul. *Quanquam*.& ex cap. *Si Imperator*. 96. dist. vbi hæc habentur; *Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates. &c.* De qua re expressè habetur in cap. *Cum ad verum*. cap. *Duo sunt*. eadem dist. & cap. *Solitæ*. de maiorit. & obed. & aliás sæpe.

4. Ex hac conclusione sequitur non posse Summũ Pontificem causas Ecclesiasticas spirituales Principibus sæcularibus absolutè submittere. Ita Cardin. in cap. *Perpendimus*. de sentẽ. excommunicationis, Filinus in cap. 2. de maior. & obed. Est enim hoc priuilegium de iure diuino morali, contra quod Papa nõ dispensat, cap. *Sunt quidam*. 25. quæst 1. Albertin. in repetit. cap. *Quoniam*. quæst. 11. num. 99. de hæret. Cou. in 4. decretal. de sponsal. 2. part. Relect. cap. 6. §. 9. fol. 187. dispensare enim non potest in ijs, quæ sunt contra statum vniuersalis Ecclesiæ cap. *Literas*, & ibi Gloss. verb. *Non potest*. de restitut. spoliat. Nihilominus ex causa potest committere causam particularem, vt tradunt Iason in rubric. ff. de offic. eius. & in l. *Est receptum*. colum. 2. ff. de iurisdict. omnium Iudic. Filin. loco sup. cit. Cardinal. in dict. cap. *Perpendimus*. Archid. in dict. cap. *Sunt quidam*, & in cap. *Præter*. 32. dist. ca. *Mennam*. 2. quæst. 5. in quo casu laicus authoritate delegantis iudicat, capit. *Officium*. 32. dist. Non tamen per viam ordinariæ iurisdict. Gloss. in cap. *Si Papa*. 40. dist. Quã sententiam dicit singularem Abbas in cap. *Significasti*. num. 4. de elect. Nec in contrarium potest allegari præscriptio, cum res hæc sit de iure diuino, cap. finali de consuetud. Ioannes Andr. & Gemin. in cap. 2. de præbend. in 6. Innocent. in cap. *Postulasti*. de for. compet. 5.

2. Cõclusio. Secunda conclusio; Summus Pontifex iure diuino

diuino ab omni poteſtate laica exemptus eſt. Hanc inſinuant Caietan. de poteſt. Papæ, cap. 27. Victor. loco ſupra cit. propoſit. 9. in fine. Dried. lib. 1. de libertat. Chriſtiana, cap. 15. & fauent omnes qui affirmant Summum Pontificē extra caſum hæreſis á nemine poſſe deponi, & iudicari ordinaria poteſtate. Sanct. Thomas in 4. diſt. 19. quæſt. 1. artic. 3. quæſtiuncula vltim. ad 3. Ricar. ibidem diſt. 18. artic. 5. q. 1. ibidem etiam Paludan. quęſ. 2. Caietan. 2. 2. quęſ. 67. art. 1. & ibi. Bann. dub. 3. Salon. controuerſ. 2. & Arag. Eam tenet expreſſe Molin. de iuſt. & iure tract. 2. diſput. 31. concluſ. 4. Probatur; Chriſtus Dominus hanc Summo Pontifici potuit conferre poteſtatem; ergo de facto illam contulit. Probatur conſequentia, quoniam ea, quæ conferibilia erant, & capiti Eccleſiæ conferri congruebant, contulit Chriſtus Dominus; alias enim nō haberet Eccleſiæ caput totam illam perfectionem, quæ tantum caput decet, eſſetque minus perfectum, maximè autem cō- gruebat caput Eccleſiæ in nullo genere ſuperiorē habere: cum igitur iuriſdictio Eccleſiaſtica ſuperior ſit ciuili, decentiſsimū erat, vt ciuili poteſtati in nulla conſideratione ſubijceretur.

Tertia cōcluſio; Eccleſiaſtici in temporalibus, tam quoad bona ſua quam quoad perſonas exempti ſunt á iuriſdictione laica iure humano, poſtulante id recta ratione iuri diuino maximé congruenti. Hanc præter citatos Doctores tenet Sanct. Thom. in illud ad Roman. 13; *Ideò tributa præſtatis*, patebitque ex argumentorum ſolutionibus. Quoad primam partem colligitur concluſio ex Concil. Conſtant. ſeſſ. 13. & 15. Concil. Calced. can. 9. Concil. Agathen. can. 23. Concil. Carthag. 3. can. 9. Concil. Tolet. 3. cap. 13. & Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 20. de reformat. &

6. 3. Cōclu ſio.

& cap. *Non minus.* de foro compet. in 6. cap. *Sæculares.* 96. dist. cauſ. 11. quæſt. 1. Authēt. *Statuimus.* de Epiſcop. & Cleric. Quoad ſecundam partem ex eo ſuadetur, quia expediens erat, vt Eccleſiaſtici, propter dignitatem ſtatus, & propter ſuperioritatem, quam in ſpiritualibus habent, poteſtati laicæ non ſubijcerentur: ſic enim & authoritas eorum conſeruatur, & ad procedendũ cum maiori libertate in adminiſtrando neceſſaria ad ſalutẽ aptiores redduntur, & liberius ſpiritualibus vacãt.

Ad primum argumentum reſpondetur ſolùm probare eſſe maximè conforme iuri diuino, vt Eccleſiaſtici à laica poteſtate eximantur. Quatenus tamen tertiam concluſionẽ impugnare videtur, dicendum eſt factum Ioſeph nõ eſſe ius diuinum. Quod ſi terram ſacerdotalem à tributis exemit, ideo id feciſſe credendum eſt, quia iuri diuino, & rectæ rationi conſentaneum erat. Eodẽ modo ad factum Artaxerxis reſpondetur. Ad Pſal. 104. dicitur in eo tantùm præcipi, ne Dei miniſtris iniuria irrogetur, in quorum numero etiam Principes ſæculares numerantur. Locus apud Matthæũ de ſolo Chriſto Domino naturali Dei filio intelligitur. Vnde quando infert; *Ergo liberi ſunt filij*, ſolũmodo colligere voluit ſe á tributis eſſe immunem. Nam ſi de filijs etiam adoptiuis id intelligeret, õnes Chriſtiani à ſolutione tributorum eſſent exempti, quod tamẽn falſum eſt.

Ad ſecundum ex cap. *Quanquam.* reſpondet Bellarmin. in eo non definire Summum Pontificem bona Clericorum temporalia iure diuino eſſe exempta, cum verba illa, *Cum iure diuino ſint immunes. &c.* non tradantur per modum definitionis, ſed quaſi obiter dicantur. Ad eandem authoritatem reſpondet Sotus verba illa, *Iure diuino*, intelligi in cauſis Eccleſiaſticis. Et licet Summus Ponti-

Pontifex addat, *Ac res ipsarũ*, intelligi id fortè poterit de decimis, quę iure diuino debentur, vt constat ex Leuit. cap. vltim. Numer. cap. 18. Concil. Lateran. sub Innocent. III. cap. 53. 54. 55. & 56. Horũ igitur occasione Ecclesiasticos in alijs bonis à tributorum solutione exemit, ita vt sit sensus; Cum Ecclesiastici in causis purè spiritualibus, & in aliquibus temporalibus diuino iure exempti sint, iustum est, vt in omnibus alijs eximantur. Respõdetur vltimò verba illa, *Iure diuino*, solùm significare exemptionem illam iuri diuino esse maximè conformem.

Ad tertium respõdetur non posse Principes sæculares tollere immunitatem Ecclesiasticam in ijs, quæ à Summo Pontifice concessa sunt, vel ab ipso approbata post factam concessionem à Principe, vel à populo. In alijs veró quæ confirmata non sunt, ab ipsisque Principibus immediatè dependẽt, stante iusta causa, eam auferre posse non negamus, iuxta ea quæ diximus c. 16. disp. 84. conclus. 5.

## DISP. XCII.

### *Vtrùm in aliquo casu liceat personis Ecclesiasticis tributum imponere.*

Vt hæc difficultas intelligatur, sciendum est duplex esse tributorum genus; quædam enim tributa personalia sunt, quæ scilicet personis imponuntur; quædam realia, quæ cõstituuntur in bonis. Bona autem, quæ ad Ecclesiasticos, vel Ecclesias spectãt, in triplici sunt differentia. In primò loco ponuntur decimæ, quæ iure diuino, & ex iustitia debentur; in secundo agri, domus, & aliæ possessiones, quas Ecclesia laicorum, & præsertim Principum donatione posidet; in tertio sunt alia, quæ ab Ecclesiasticis 1.

ſticis titulo merè ſæculari poſsidētur: quæ in duo adhuc diſtingui poſſūt. Quę dā enim negotiatione cōparantur, alia verò hæreditate, emptione, vel alijs titulis poſsidentur. Eccleſiaſticos, quorum nomine omnes qui gaudent priuilegio fori intelliguntur, abſolutè loquēdo à tributorū onere eſſe exēptos certum eſt, vt ex diſ. præced. patet; an verò ſint aliqui caſus, in quibus eis tributa imponi liceat, modo inquirimus.

2. Licitum eſſe imponere Eccleſiaſticis tributum, vectigal, ſeu gabellam ad reparationem murorum, pontiū, & viarū, tenētAzo in Sum. titul. de oper. public. quem Baldus citat, & ſequitur in l. *Contractus*. C. de fid. inſtrum. Iacob. de Rauen. & Iacob. de Aret. per Cynum relati. in l. *Ad inſtructiones*. C. de ſacroſan. Eccleſ. Dyn. & Oldrad. relati per Alberic. ibidem. Gloſſ. in cap. *Non minus*. verſ. *Reuelandas*. de immunitat. Eccleſiæ. Quorum ſententia probatur ex dict. l. *Ad inſtructiones*. vbi expreſſè habetur ad reficiendos pontes, muros, aquæductos. &c. poſſe Eccleſiaſticos obligari.

Quòd etiam obligari poſsint ad tributum ſoluēdum, quando laicorum bona ad publicas neceſsitates non ſufficiunt, habetur expreſſè in dict. cap. *Non minus*. de immunitat. Eccleſiæ.

In contrarium ſtat prohibitio Summi Pontificis, qui abſolutè, & nulla facta diſtīctione, aut exceptione tributorū impoſitionem, quoad Eccleſiaſticos prohibet: imò addit quòd imponi nō poſsint ſine expreſſa Summi Pontif. licentia. 3.

Pro reſolutione ſit prima concluſio; Clericus negotiator tenetur pro rebus ſuæ negotiationis lucratiuæ gabellam ſoluere. Ita habetur in cap. *Quanquam*. de cenſib. in 6. Clement. *Præſenti*. eod. tit. iuncto ca. vltim. de vit. & honeſtit. Cleric. Habetur etiam in Ordin. huius Regni Luſitaniæ, lib. 2, tit. 11. §. 1. Eadē con- *1. Concluſio.*

conclusionem tenēt Speculator in tit. de immunit. Eccles. in fin. Card. in Clement. *Præsenti*. numer. 9. de censib. & in Clement. 1. num. 16. de vit. & honest. Cleric. Felin. in cap. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ*. num. 105. de constitut. Syluest. verb. *Gabella* 3. §. 1. Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 29. Hæc tamen conclusio intelligenda est, quando negotiatio Ecclesiasticis prohibetur, aliás tributum soluere non tenentur. Illud tamen ex c. *Ex literis*. de vit. & honest. Cleric. notandum est cum Lopense in instruct. part. 2. cap. 41. Emman. Roder. in Summ. tom. 2. cap. 73. num. 11. & Petr. de Ledes. in Summ. tom. 2. tract. 7. capit. 2. conclusione. 27. in casu huius conclusionis non teneri Ecclesiasticos soluere tributa, antequam petantur; præcedere etiam debere trinam admonitionem, ne mercaturam exerceant.

4. Negotiatio lucratiua dicenda non est, quæ datur in casu, in quo Ecclesiasticus bona sua reseruat, vt vendat tempore, quo plus valitura sunt, aut quādo ea mittit ad locum, vbi plus valēt. Vnde ex sacaro, & alijs in quibus Rex Episcopis, & Clericis vltramarinis stipendium soluit, tributum exigi non licet, quā do illa venditionis causa ad hoc Regnum asportantur, dummodo ex hac præcisa ratione, quòd venditionis causa asportentur, exigatur: tum quia, propriè loquendo, hoc non est negotiari, tum etiam, quia merces illæ in ea parte vbi Ecclesiasticis soluuntur, exigui valoris sunt, & si ibi vendantur, in magnum eorum detrimētum cedit.

Secunda conclusio; Si antequam possessiones ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos pertinerent, habebant onus reale, ex illis soluendum est, quamuis posteá ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas deueniant. Hanc conclusionem tenēt Innocent. & Panorm. in cap. *Non minus*. de immunit. Ecclesiæ. Syluest. verb. *Immu-* 5. 2. Cōclusio.

*Immunitas*. 1. numer. 19. & habetur in ordinat. huius Regni Lusitaniæ, lib. 2. tit. 18. §. 6. & titul. 11. §. 1. Et ratio est, quia per hoc quód merces illæ ad Ecclesiam, aut Ecclesiasticos deueniunt, ius quod quis super illis habebat, non amittitur, nulli enim per hoc, quòd res aliqua Ecclesiæ vnitur, fieri debet iniuria.

6 3. Cõclusio. Tertia conclusio; Ecclesijs, & Ecclesiasticis, nisi de cónsensu Summi Pontificis, ad reparationem murorum, pontium, viarũ. &c. licitum non est tributa imponere, etiam cum laicis communia. Hæc habetur expressè in hac clausula, & in Concil. Lateran. sub Alexand. III. ca. *Non minus*. de immunitat. Eccles. Concil. Lateranen. sub Leon. X. cap. *Aduersus*. de immunit. Eccles. Alex. VI. cap. 1. de immunit. Eccles. in 6. & Bonif. VIII. c. *Quanquam*. de immunitat. Eccles. in 6. & in cap. *Clericis*. eod. tit. Habetur etiam in iure ciuili. l. *Placet*. C. de sacrosanc. Eccles. l. 2. C. de Episcop. & Cleric. Quæ leges eximunt Ecclesiasticos, & eorum bona ab omnibus collectis, gabellis, & similibus. Authent. *Nulla communitas*. C. de Episcop. & Cleric. vbi collectas ab Ecclesiasticis exigi prohibetur. Tenent hanc conclusionem Acurs. in l. *Ad instructiones*. C. de sacros. Eccles. Barth. ibid. Gloss. in cap. *Generaliter*. §. *Nonarum*. 16. quæst. 1. Ioan. And. in dict. cap. *Non minus*. vbi Abb. idem in cons. 3. vol. 1. Host. in Sum. titul. de immunit. Eccles. §. *In quibus*. vers. *Ad extraordinaria*. Et ratio est illa, quæ habetur ex Apostolo. 1. Corint. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et confirmatur: Laici sunt liberi à multis oneribus Ecclesiæ, cap. *Quatuor*. cap. *De redditib⁹*. cap. *Vulteranæ*. 12. quæst. 2. ergo æquum est, vt Ecclesiastici, & eorũ bona ab oneribus laicorũ liberentur. 7.

Quarta conclusio; Quãuis bona laicorum ad eorũ, 4. Cõclusio.

de

de quib⁹loquitur pręcedēs conclusio, reparationē nō sufficiant, non sunt Ecclesiasticis tributa, vel quæuis onera inconsulto Summo Pontifice imponenda, nisi tanta sit necessitas, & pietas, quód sine periculo, aut scandalo ad illum recurri non possit, tunc enim sufficit Episcopi cum Clericis consensus. Prima pars habetur in cap. *Aduersus*. de immunit. Eccles. Secundā partem tenet Abb. cap. *Non minus*. de immunit. Eccles. col. penult. Sum. Angel. verb. *Immunitas*. nu. 37. prope finem. Syluest. verb. *Immunitas*. 1. num. 20. Mol. de iust. tract. 2. disp. 672. Pet. Ledesm. in Sum. tom. 2. tract. 7. cap. 1. concl. 27. Et ita definitum fuisse á Clemente VIII. anno Dñi. 1600. quòd Ecclesiastici de mandato Ecclesiæ soluant tributum, quando laicorum bona non sufficiūt, refert Marth. de iurisd. 4. part. cent. 1. cas. 1. num. 52. & ita determinatur in illis duobus capitibus, *Non minus*. & *Aduersus*, Tributum autem hoc, de quo loquitur secunda pars conclusionis, tunc imponi potest, quando causa ob quam statuitur, immediatè respicit Ecclesiasticos. Nam si solùm generali quadam ratione Ecclesiasticos cōcernat, imponendum non est, aliàs enim semper ab Ecclesiasticis, sicut à laicis tributum exigeretur, cum nullum ferè sit, quod, quatenus in bonum cōmune ordinatur, in Ecclesiasticorum vtilitatem non cedat. Ita Syluest. loc. cit. ex sententia Barth. Panorm. & aliorum.

Vgolin. hic §. 4. vers. *Quartò*. docet non excommunicari imponentē onera Ecclesiasticis, quando onera rē ipsam sequuntur, vt si Ecclesiasticus habeat domum iuxta plateam, tenetur ad reparationē cloacæ, quæ per eam transit: pro qua sententia citat aliquos Doctores. Hoc tamē placitum iuxta ea, quæ in præcedentibus conclusionibus diximus, non videtur admittendum, cum talis

casus nõ sit iure canonico exceptus, & prohibitio sit absoluta.

Restat respondere argumentis initio factis. Ad primum ex l. *Ad instructiones*. dicendum est legem illã per Authent. *Item nulla cõmunitas*. C. de Episcop. & Cleric. abrogatam esse.

Ad secundum ex c. *Non minus*. respondetur in eo c. non haberi quod tributum Ecclesiasticis imponatur, sed quòd, volentibus Episcopo, & Clericis, subsidia per Ecclesias conferri poterunt. Et qua ratione hoc sit intelligendum, ex dictis patet.

8. Ad tertium dicendum est Summum Pontificem per hanc Bullam non intendere Iuri communi derogare, & illud tollere, secundùm quòd in casu necessitatis sufficit Episcopũ consultare, imò si ad ipsum adiri facilè non possit, & necessitas communis nimis vrgeat, vt quando hostes ciuitatem obsident, eo inconsulto imponi potest Ecclesiasticis tributum.

## DISP. XCIII.

### *Quando recipiens tributũ ab Ecclesiasticis sponte soluẽtibus excõmunicationẽ incurrat.*

IN hac clausula non solũ excommunicat Sũmus Pontifex imponentes Ecclesiasticis tributa, sed etiã ea exigẽtes, & accipientes, etiam à sponte dantibus. Prohibitionẽ hanc, quoad vltimam partem, quatenus de sponte soluentibus loquitur, non esse iustam suadere quis posset. Primò: Summus Pontifex bonorum, quæ ad Ecclesiasticos pertinent, dominus non est; ergo eorum liberas donationes impedire nõ potest, præsertim quando ex se illicitæ non sunt, sed in bonum publicum ordinãtur, atq; adeò, cum Ecclesiastici in subsidium boni cõmunis bona sua possint expendere, non peccabit illa recipiens, nec excommunicationem incurret.

Secundò; Si acceptio tributi ab Ecclesiasticis sponte soluentibus iusté prohiberetur, ex eo esset, quia in tali solutione aliquid inuoluntarium inuenitur, cum Ecclesiastici non, nisi supposita tributi impositione, soluant; ex hoc autem sequeretur nullius tributi exactionem licitam esse, cum nullus sit qui illud soluat, nisi illius impositione supposita.

1\. Pro resolutione tamen huius difficultatis aduertendum est ea sponte fieri, quæ non coactè fiunt, vt docet Aristot. 1. Rheto. c. 10. Vnde spontaneum idẽ est quod voluntarium. Voluntarium autẽ est duplex: vnum dicitur voluntarium omnino; & est illud, quod sine violentia, ignorantia, aut metu fit: aliud dicitur volũtarium mixtum, quia & voluntarium, & inuoluntarium quodammodo includit, & hoc simpliciter quidem voluntarium est, aliquid tamen inuolũtarij inuoluit. Et hinc est quòd non est per se voluntum, sed aliquo supposito, metu scilicet, ignorantia, aut vi: vt quando aliquis in tempestate proijcit merces in mare, ad vitandum periculum.

2\. Hoc posito sit prima conclusio; Quando tributum imponitur absolutè, nulla de Ecclesiasticis facta mentione, nec ad eos obligandos, si Ecclesiasticus illud nõ rogatus soluat, qui acceperit, non excommunicabitur. Hanc tenẽt Viuald. in explanat. Bull. Cœn. num. 117. Suares de cens. disput. 21. sect. 2. nu. 99. & Sayr. lib. 3. de cens. cap. 22. num. 10. Probatur, quoniam Bulla Cœnę non loquitur, nisi in casu, quo tributum Ecclesijs, aut Ecclesiasticis imponitur, sic enim habet; *Aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt.* Vnde particula, *Sic*, refert præcedentia, nimirum onera Ecclesiasticis, aut Ecclesijs imposita. Ex hac conclusione sequitur, si custodes alicuius pontis, portus, vel fluminis pedagium; 1. Coclusio.

gium, gabellas, aut alia onera à transeuntibus Ecclesiasticis petant, vel ipsi voluntariè soluant, hanc censuram non incurrere, nisi talis gabella, vel pedagium etiam Ecclesiasticis impositum esset.

3. 2. Coclusio. Secunda conclusio; Quando tributum Ecclesijs, aut Ecclesiasticis imponitur, siue ipsis tantùm imponatur, siue simul cum laicis, qui illud accipit, etiã á sponte dante, hac censura innodatur. Hanc conclusionem astruunt Doctores citati; & constat ex verbis Bullæ in præcedenti conclusione citatis. Quanuis igitur Ecclesiasticus, sciens se ad tributi solutionem non teneri, illud tamẽ exactori soluat, non potest exactor illud accipere, hoc enim à Summo Pontifice in fauorem Ecclesiasticæ libertatis prohibetur, ne quis fortè suspicetur Ecclesiasticum ex vi impositionis illius tributi ad illud soluendum teneri. Nam adeó odiosa est lex, & statutũ laicorum de Ecclesiasticis expressam faciens mentionem, quòd etiam si priuilegium concedat, non valet, capit. *Bene quidem*. dist. 96. Quòd etiam incurratur censura, quando tributum laicis, & Ecclesiasticis simul imponitur (licet hoc loco de solis Ecclesiasticis mentio fiat) ex eo patet, quoniam imponi simul laicis non tollit quominus etiam Ecclesiasticis impositum sit; quod hoc loco expressè prohibetur. 4.

Ad primum argumentum dicendum est verum quidem esse posse Ecclesiasticos, absolutè loquendo, de rebus suis disponere, non verò stante iusta prohibitione superioris, qualis hoc loco datur, vt ex dictis constat.

Ad secundum respondetur non ideo acceptionem illam tributi prohiberi, quia donatio non est omnino voluntaria, sed propter legem, quę ad libertatem Ecclesiasticam attendit. Deinde negãda 5.

est sequela, eo quòd inuoluntariũ, ad effectũ inualidandi actum, vel contractum, illud tantũ est, quod, interueniente rationabili causa, datur: hæc autem non inuenitur in solutione tributi repectu illorum, qui ad illud soluendum iustè obligantur.

## DISP. XCIIII.

### *Vtrùm censuræ hoc canone innouatæ, sicut & aliæ Summo Pontifici reseruentur.*

1. IN hac clausula innouat Summus Pontifex decreta per sacros canones, & Cõcilia generalia edita, cum censuris, & pœnis in eisdem contentis. Vt hoc autem intelligatur, videndum priùs est quid in Iure, & Cõcilijs generalibus de hac materia dispositum sit.

InConcilio Lateranensi sub Alexandro III. vt habetur cap. *Non minus.* de immunitat. Eccles. excommunicantur imponentes collectas Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis, nisi propter necessitatem, vel vtilitatem communẽ, quando ad eam laicorum bona non sufficiunt. Vt hæc tamen censura incurratur, necesse est, quòd huiusmodi collectas imponentes admoniti ab earum impositione desistere nolint. Et in hoc casu tam ipsi, quam eorum fautores excommunicantur, nec absolui possunt, donec priùs satisfecerint. Hæc tamen cẽsura absolutè reseruata non est.

2. Postea in cap. *Aduersus.* de immunitat. Ecclesiæ, prædicta exceptio ablata fuit, & absolutè similium collectarum impositio, absque Sedis Apostolicæ licentia, prohibetur. Et additur, quód, quando imponens prædictas collectas tempore sui regiminis non satisfecit, eius successor satisfaciat, & si id non fecerit, infra mensem eádem maneat excommunicatione inno-

innodatus, cum succedat in onere, qui in honore sucedit. Sed nec ista cẽsura, sicut & præcedens reseruatur.

Successit deinde Bonifacius VIII. qui in ca. *Clericis.* §. *Nos igitur.* de immunit. Eccles. in 6. dictam censuram sibi reseruauit, à qua nullus, nisi in mortis articulo, absque Sedis Apostolicæ authoritate, absolui possit. Quam etiam censuram ad prædictas collectas soluẽtes, promittentes, aut soluere consentientes sub quouis titulo extẽdit, & vniuersitates in hoc culpabiles interdicit: illam item extendit ad accipientes, quocunque prædictorum titulorum præfata onera soluantur: tandem ad dantes in prædictis cõsilium, auxilium, vel fauorem, publicè, vel occultè.

3. Hæc tamẽ á Benedicto XI. in Extrauag. *Quod olim.* de immunit. Eccles. reuocata sunt, ita vt non habeãt vigorem, nisi circa exigentes, & ad exigendum dãtes auxiliũ, cõsiliũ, vel fauorẽ.

Horum tamen duorum Pontificum decreta reuocauit Clemens V. in Clement. *Quoniã.* de immunit. Eccles. omniaque ad terminos cap. *Non minus*, & c. *Aduersus.* reduxit, addens tamen quòd à Bonifacio, & Benedicto constitutum iam fuerat, scilicet velle, vt etiam ad dantes auxilium, consilium, vel fauorem, ad prædicta ab Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis exigenda, extendantur.

Hæc sunt iura circa materiam huius canonis innouata, vnde decretum Bonifacij suam vim habet quoad omnia in eo contenta, ac si reuocatum non esset. Duplex tamen ex prædictis dubium oritur. Primum est, vtrùm decretũ Bonifacij, quoad Ecclesiasticos prædictas collectas soluentes, innouatum censeatur, ita vt etiam nunc, si ea soluant, excommunicẽtur. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 29. §. *Postremò*. partem tenet negatiuam; quia, inquit, non innouantur canones, nisi 4.

quantùm ad ea, quæ in hac Bullæ clausula continentur: in qua nulla de Ecclesiasticis tributa soluentibus mentio fit. Hæc sententia videtur vera, & hoc denotant particulæ, *Super his*. Cui consonat quod notat Suar. de cēs. disp. 21. sect. 2. num. 100. nimirum non esse innouatam ex vi huius Bullæ illam extensionem dicti cap. *Aduersus*. ad successorem non restituentem, cum de illo Summus Pontifex hoc loco nō loquatur.

5. Secundum dubium est, an censuræ, & pœnæ hoc loco innouatæ eandē vim, & reseruationem, quam aliæ huius Bullæ censuræ, sortiantur. Partem affirtiuā innuit Tolet. vbi sup. §. *Hic postea*. Quæ sententia confirmari potest ex illo vulgari, *Omnia nostra facimus, cuius authoritate facimus*, vt habetur. l. 1. C. de veter. iur. enuclean. cap. *Si Apostolica*. de præbend. in 6. atqui innouatio prædictorum iurium fit per Bullam Cœnæ; ergo eandem vim sortiuntur, quam illius censuræ habent.

Hæc tamen sententia mihi non placet, quoniam si vim verbi, *Innouantes*, attendamus, nihil aliud significat, quám de nouo reducere rem ad pristinū statum, & nihil ad valorem & statum antiquum addit. Solùm igitur reponit legem in pristino statu, ac si reuocata, & antiquata non esset. 6.

Ad argumentum pro opinione Toleti respondetur proloquium illud intelligi circa confirmationem gratiæ ab inferiori concessæ, quæ si authoritate superioris confirmetur, perinde se habet, ac si ab eodem concessa fuisset, non verò intelligitur circa innouationem alicuius legis, vel statuti, quæ solùm per innouationem ad pristinum statum reducuntur. 7.

(:)

# CAP. XX.

## *Cõtra iudices sæculares, qui in causis criminalibus cõtra Ecclesiasticas personas se interponũt.*

TENOR BVLLÆ.

19. *Bullæ censura.* ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponẽtes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequẽdo, sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

## *Notationes circa textum.*

1. MAteria huius cẽsuræ est sacrilegium, quo offenditur immunitas, & libertas Ecclesiastica in cognitione causarũ capitalium, seu criminalium contra Ecclesiasticas personas. Actiones prohibitæ sunt sex. Prima, quomodolibet se interponere in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas. Secunda, illas processare. Tertia, bãnire.

Quarta, capere. Quinta, ſententias contra illas proferre. Sexta, exequi. Dummodó hæc ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia fiant. Perſonæ, contra quas hæc cenſura fertur, ſex numerãtur. Prima, quicũq; Magiſtratus. Secunda, Iudices, Tertia, Notarij. Quarta, Scribæ. Quinta, Executores. Sexta, Subexecutores. Siue huiuſmodi ſint Conſiliarij, Senatores, Præſidẽtes, Cancellarij, Vicecancellarij, ſiue quouis alio nomine nuncupentur.

Ab hac clauſula ablata ſũt quædã verba, quæ erãt in alia Bulla à ſanctiſsimo Domino Noſtro Pap. Paulo V. promulgata, anno Domini 1609. iuxta exemplaria quæ ad manus noſtras deuenerunt, nimirum, *Quique eiuſmodi ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur.*

2. Circa particulam, *Quomodolibet*, ſciendum eſt cõiungendam eſſe cum omnibus actionibus hoc loco prohibitis. Dicitur etiam quód excommunicantur prædicta facientes, dummodo ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ea faciãt. Quæ licentia debet eſſe ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, id eſt peculiaris, & propria. Vnde non ſufficit, quòd concedatur per verba generaliſsima, aut generalia. Debet etiam eſſe expreſſa. Vnde implicita, & virtualis non ſufficit. Ex quo ſequitur neceſſariam eſſe declarationem delicti, & perſonæ in ſpecie. Vtrũ autem neceſſaria ſit in indiuiduo, tam quoad perſonam, quám quoad delictum, dubitari poteſt. Sua. de cenſ. diſput. 21. ſect. 2. numer. 103. exiſtimat ſufficere licentiam ad cognoſcendum de delicto in ſpecie, etiam ſi ſit generalis quoad perſonas; vnde non credit reuocata eſſe priuilegia ſub hac forma alicui conceſſa. Quæ ſententia probabilis eſt: verba enim illa, *Speciali, ſpecifica, & expreſſa,*

*pressa*, rem in indiuiduo nō significat.

In præcedentibus clausulis egit Summus Pontifex de ijs quæ in causis ciuilibus ad libertatem Ecclesiasticam tuendam spectant: hoc veró loco de illis tantum sermonem facit, quæ in capitalibus seu criminalibus ad eundem finem pertinent.
3. Causa capitalis illa est, in qua de crimine capitali agitur. Quod secundum iura est illud, ex quo damnato, vel mors, vel ciuitatis amißio, vel seruitus contingit, vt habetur l. *Rei capitis*. ff. de pœn. l. *Edicto*. ff. de bonor. poss. l. *Licet capitalis*. ff. de verbor. significat. Largé tamen, & improprié causa capitalis dicitur illa, in qua agitur de existimatione, dict. l. *Licet capitalis*. & ibi Gloss. verb. *Videatur*. ex l. *Hos accusare*. §. *Omnibus*. ff. de accusat. Causa criminalis illa censetur, in qua agitur ad vindictam, & ad pœnam applicandam fisco, non verò si applicanda sit parti, quia tunc dicitur agi ciuiliter, vt docent Gloss. & Barth. in l. 3. ff. de sepulc. violat.

In secunda actione prohibet Summus Pontifex contra personas Ecclesiasticas prædictas causas processare. Processare est contra aliquem inquirere, seu factum alicuius inuestigare.

## DISP. XCV.

*Vtrúm iudex sæcularis faciens informationem in causa criminali contra Ecclesiasticum, vel ipsum in occulto processans, vel eius bona sequestrans, excommunicetur.*

1. GRaff. lib. 4. decis. cap. 18. n. 135. asserit posse iudicem

iudicem laicum capere informationẽ pro facto particulari, in quo sunt aliqui Clerici nominati, quia hoc, inquit, nõ est Clericos processare sed capere informationem de toto facto. Vnde iudex, qui hoc facit, in cẽsuram huius canonis non incidet; neq; item excommunicari iudicem sęcularem docet, qui secretò Ecclesiasticos processaret, animo tamen præsentandi talem processum Summo Pontifici: quod idem etiã erit, si proprio Prælato præsentet.

Viualdus in Cand. in explanat. Bullæ Cœn n. 125. probabile credit nõ excõmunicari iudicem laicum, qui contra Ecclesiasticum informationem facit, quã do aliás recederent, qui in facto criminali illius testes esse possunt: neq; etiam excõmunicari, si bona Ecclesiastici criminosi sequestret, vt tradat Prælato, ne fugitiuus ea secum deferat, quia hęc, inquit, sunt velut, medium necessarium ad finem licitæ comprehẽsionis. Confirmari potest hęc sententia quoad vltimam partem ex Immola in cap. *Postulasti.* de for. compet. & in c. *Nouimus.* de immunit. Ecclesiæ, vbi dicit quód personæ Ecclesiasticæ sunt de foro Ecclesiastico, sed res sunt de foro laicorum.

Pro resolutione sit prima conclusio; Quando nõ est aditus ad Prælatum qui iuridicè se informare possit de facto criminali alicuius Ecclesiastici, & in eo cõtinuatur, & est periculũ, potest iudex sæcularis informationẽ facere, vt Prælato presentet, non verò in alijs casibus. Probatur cõclusio, quoad primam partem, ex eo, quia in tali casu informatio illa habet rationem iustæ defensionis. Quoad secundam verò ostenditur, si quidem nullus est textus, in quo facultas processandi contra Ecclesiasticum iudici sæculari concedatur, imò est maxima prohibitio; ergo. &c. Quando igitur in aliquo facto criminali Ecclesiastici, & sæculares simul concurrunt, 2. 1. Cõclusio.

currunt, eatenus iudex sæcularis poterit circa Ecclesiasticos testium dicta recipere, quatenus id ad procedendum contra laicos necessariũ fuerit, aliàs ab hac censura illum nõ excusaré. Informationem tamen verbaliter, vt Prælato denunciet, non verò iudicialiter accipere, existimo nõ prohiberi hoc loco.

3. 2. Cõclusio. Secunda conclusio; Iudex sæcularis processans etiã occultè Ecclesiasticũ in causa criminali, quanuis intẽtione processum Prælato præsentandi, in censuram huius canonis prolabitur. Probatur; Summus Pontifex non solùm prohibet hoc loco iudicari, & condemnari personas Ecclesiasticas per laicos iudices, sed etiam per eosdem processari; atqui processãs in occulto iuridicè, verè, & propriè dicitur processare; ergo, qui id facit, huius canonis censura innodatur. Neq; animus præsentandi processum Prælato illum excusat, cum res sit absolutè prohibita, nec ipse minister Ecclesiastici iudicis censeatur.

4. 3. Cõclusio. Tertia conclusio; Iudex sæcularis sequestrans Ecclesiasticorum bona, occasione criminalis delicti, ne cum illis fugiat, in excommunicationẽ huius Bullæ incidit, nisi fortè ex tali fuga cum illis bonis damnũ aliquod Reipub. vel innocenti sequatur. Prima pars huius conclusionis probatur: Iudex sæcularis nõ potest apprehendere Ecclesiasticum fugientem, neq; etiam, secundùm probabiliorem sententiam, in flagranti delicto; ergo neque bona illius sequestrare. Probatur consequentia, quia in tali casu sequestrare Ecclesiasticorum bona est quomodolibet in causis eorum criminalibus se intromittere. Et confirmatur; Iudex sæcularis non potest Ecclesiasticos in realibus ad suum tribunal trahere; ergo neq; bona eorum sequestrare. Consequentia est bona. Antecedẽs docẽt Iurisperiti. Ioã. Andræ. in c. *Qualiter.* de iudic. & ibi Abb.

Abb.n.8.Archid. in c.1.de Cler.cõiug.in 6. Bouadill. in lib.2. Polit. c.18. n.164. Aufred.de poteſt.ſæcular. reg.2.limit.4.verſ. *Et in Sũma.* Roland.in cõſil.12. n. 37.& ſequenti,vol.2. quos refert,& ſequitur Mart. de iuriſd.4. p.cent.2. caſ.101. n.4. faciunt c. *At ſi Clerici.* de iudic. c. *Si diligenti.* de fo. cõpet. Autẽt.*Statuimus.* Autent.*Clerici.*C.de Epiſc. & Cleric. Socin. in conſil. 12.n.13.& 30.vol.4. Nam, ſi perſona eſt exẽpta; ergo, & res eius. Confirmatur item,quoniam ſi Eccleſiaſticus patiatur ſe cõueniri corã iudice laico,ſiue Clericus, aut laicus traheret Eccleſiaſticum ad laicorũ iudiciũ,cauſam amittit per ſententiam alteri parti, & ſi fuerint concordes applicatur Eccleſiæ c.*Inolita.*c.*Placuit.*12.q.1. Gloſſ.& Innocent.in c.*Si diligenti.* de for.compet.& Mart citat. loc. caſ.126. Secunda pars cõcluſionis eſt manifeſta.

Ad argum. pro ſentẽtia Iacob.de Graff. reſpondetur, quòd licèt capere informationem, propriè, & in rigore loquendo,non ſit proceſſare,eſt tamen quomodolibet in cauſis Eccleſiaſticorum criminalibus ſe intromittere.

Ad argum. pro ſentẽtia Viuald.dicendũ eſt quòd, quanuis recedãt qui teſtes eſſe poſſunt, ad iudicem tamen ſæcularem non pertinet dicta ipſorũ recipere, neque etiam mediũ neceſſariũ ad iuſtã Eccleſiaſtici apprehenſionẽ applicare.

5. Ad cõfirmat.ex Immola negãdum eſt res Eccleſiaſtico:ũ eſſe de foro laicali. Nam,mutata perſona,mutatur, & rei conditio: vt tradũt Bart. in conſil. 180. & Bald. in l. *Placet.* C. de ſacroſan.Eccleſ.

## DISP. XCVI,

### *Vtrùm iudex ſæcularis procedens in cauſa criminali cõtra Eccleſiaſticum iuriſdictioni illius voluntariè ſe ſub-*

*submittentem, excommunicetur.*

1. PRO parte negatiua arguitur primo; Ideò iudex sæcularis procedēs cōtra Ecclesiasticum excommunicatur, quia facit contra priuilegia Ecclesiasticis concessa; ergo, si Ecclesiasticus volūtariè iurisdictioni illius se submittat, priuilegioque renūciet, poterit iudex sæcularis illum iudicare. Et confirmatur, quoniam vnusquisque potest liberè vti priuilegio, vel renunciare, l. *Quod fauore*. C. de legib. regul. 61. de. reg. Iur. in 6. & Nau. lib. 5. cōsil. cōsil. 22. num. 1. quod fecit Apostolus Act. 25. cum ad Cæsarem appellauit.

Secundò; Priuatorum consensus suum potest iudicem constituere l. 1. & l. *Priuatorum*. C. de iurisdict. omni. iudic. ergo etiam Ecclesiastici poterunt se sæcularium iudicum iudicio submittere.

2. *Conclusio.* Sit tamen conclusio; Iudex sæcularis procedens in causa criminali contra Ecclesiasticum, etiam de illius cōsensu, cēsura huius canonis inuoluitur. Hæc conclusio ex eodem canone est manifesta. Nam in eo excommunicantur procedentes contra Ecclesiasticos in causa criminali sine speciali, specifica, & expressa licētia Sedis Apostolicæ; ergo procedens cōtra illos, etiam de illorum consensu, excōmunicatur. Consequentia ex eo ostenditur, quoniam exceptio firmat regulam, Autent. *de non alien.* §. *Vt autem.* & facit l. *Tribunum*. §. vlt. ff. de test. mil. ostendit enim exceptio circa alios casus non exceptos firmam esse, suumq; habere robur, & in hoc casu excipit Summus Pōtifex eos, qui de speciali, specifica, & expressa Sedis Apostolicæ licentia cōtra Ecclesiasticos procedunt.

3. Deinde probatur conclusio; Ecclesiastici nō possunt se submittere iurisdictioni laicorum; ergo neq; laici illos iudicare, aut processare valent. Probatur ante-

antecedens. Laici circà Ecclesiasticos considerantur vt priuati, in quos non potest fieri prorogatio iurisdictionis. Argumento. l. *Sed si manente*. ff. de precar. Iason in l. *Est receptum*. ff. de iurisdict. omni. iudic. Vbi etiam dicit, quòd superior nõ potest prorogare iurisdictionem inferioris, c. *Cũ inferior*. c. *Solitè*. de maiorit. & obed. eo quòd inferior naturaliter exhibet honorem superiori. l. 1. §. *Sicut*. & ibi Glos. de aqua pluui. arcend. Ecclesiastici autem sunt maiores laicis, etiam Principibus, cap. 1. in fine, dist. 27. c. *Quis dubitet*. dist. 96. & c. *Duo sunt*. 12. q. 2.

Probatur tertio; Committere se inimicis est cõtra rationem naturalem; sed laici cõmuniter Ecclesiasticis sũt infesti, c. *Laicos*. 2. q. 7. & c. *Clericus*. de immunitat. Eccles. in 6. ergo circa Ecclesiasticos nõ potest ad laicos prorogatio iurisdictionis fieri, cap. *Quo iure*. dict. 8. Quod habet verum, etiam interueniente expresso Episcopi consensu. c. *Significasti*. & c. *Diligenti*. de for. compet.

4. Tandem confirmatur cõclusio; Priuilegio introducto in fauorem duorum nõ potest vnus, alio inuito, renunciare. Abb. in cap. *Ad Apost*. n. 10. de regul. sed priuilegium Ecclesiasticorũ non vni est concessum, sed generaliter omnibus; ergo ab vno tantùm renunciari non potest.

5. Ad primũ argumẽtum negatur consequentia. Et ratio est, quia priuilegio in fauorem vnius potest idem renunciare, nõ verò in fauoré plurium cõcesso, vel in fauorem alicuius status hominum. Respondetur deinde priuilegia Ecclesiasticorum facta esse per modum legis vniuersalis certas actiones prohibẽtis, cõtra quã ex particulariũ consensu procedere non licet. Ex quibus ad confirmationem patet solutio. Ad illud ex Apostolo respondetur non ideo ad Cæsarem appellasse quasi ad suum proprium iudicem, sed ad Festi tyrannidem de-

declinandam.

Ad secundam dicendũ est tunc priuatorum consensum posse iudicẽ cõstituere, quãdo nõ extat prohibitio in contrariũ, qualis in nostro casu inuenitur.

## DISP. XCVII.

### *Vtrúm iudex sæcularis, qui cũ matre, vxore, filia, vel sorore turpiter inuenit Ecclesiasticum, possit illum retinere, vt á suo iudice, vel Prælato comprehendatur.*

1. PRO parte huius quæstionis negatiua sic arguitur, Iudex sæcularis nec in flagranti dellicto potest Ecclesiasticum apprehendere, vt disp. 82. diximus, sed retinere est quoddam genus apprehensionis; & secũdũ omnes manuũ violẽtarum impositio reputatur; ergo iudex sæcularis, qui Ecclesiasticum in prædicto casu retinet, excõmunicatur. Huic parti fauent asserẽtes occidẽtem Ecclesiasticum in prædicto casu excõmunicationem incurrere, vt Fortunius, quem refert, & sequitur Couar. in 4. Decr. p. 2. c. 7. §. 7. n. 12.

Pro parte tamẽ affirmatiua stat, quòd occidẽs Ecclesiasticum in eo casu, dũmodo in continenti, & sine interuallo id faciat, nõ excõmunicatur; ergo multo minus excõmunicabitur si illum retineat, vel apprehendat. Consequentia videtur bona. Antecedens habetur in c. *Si veró.* o 1. de sent. excom. Quam sentẽtiam tenet Gloss. ibi verb. *Turpiter.* & Host. S. Anton. 3. p. tit. 25. c. 1. §. *Quartò notandũ.* vers. *Septimus.* Syluest. verb. *Excõ. 6.* n. 6. §. *Decimò.* Tabien. verb. *Excom. 5.* cas. 1. n. 31. vers. *Octauus.* Nau. in Manu. c. 27. nu. 84. & alij communiter. 2.

Pro resolutione sit prima cõclusio; Iudex sæcularis, qui inuenit Ecclesiasticum turpiter cũ vxore, matre, filia propria, vel sorore, siue in actu nefario luxuriæ, siue 3. 1. *Conclusio.*

in

in tactibus impudicis, vel signis actui propinquis in loco suspecto, si ipsum ad breue tēpus detineat, vt á proprio Prælato apprehēdatur, excōmunicationem huius canonis nō incurret. Hanc tenet Sylu. vbi sup. Phisiarcus lib. 3. de offic. Sacerd. c. 33. notab. 3. cas. 14. Viual. in Cād. in explanat. Bull. Cœn. nu. 124. & Sayr. lib. 3. de cens. c. 27. n. 23. Hi tamē Doctores, Vualdo excepto, non loquūtur in terminis Bull. Cœn. sed secūdùm Ius cōmune. Fauent huic conclusioni Doctores pro parte affirmatiua citati, & ratio pro ea facta. Colligiturq; cōclusio ex æquitate iuris, vix enim possibile est, vt quis tam iustū dolorē cōpescat, Et hinc est, quod lex ciuilis sic inuentū impune occidi permittit. l. *Quod ait lex* §. *Quod ait*. ff. de adult. Breue tēpus reputant Doctores citati viginti horas continuas.

4. 2. *Cōclusio.* Secunda conclusio; Si iudex sæcularis in prędicto casu tāquam iudex, Ecclesiasticū nō ad breue tēpus, aut interuallo facto detineat, vel in carcerē mittat, per hunc canonem excōmunicatur. Probatur; quoniā, vt citati Doctores affirmant, nō excusatur ab excōmunicatione in prædicto casu, qui ex interuallo aut deliberatione Ecclesiasticū occidit, aut detinet, eo quòd cessat ratio, ob quā Sūmus Pōtifex in dicto c. *Si verū*. eum nō excōmunicat. Dixi in cōclusione, *Iudex sæcularis*, quia si persona priuata, vel ipse iudex nō vt iudex, sed vt particularis persona, Ecclesiast: cū detineat, nō excōmunicatur ex vi huius canonis, cū in eo solummodò de Magistratibus, & ministris sermo sit, excommunicatur tamen per aliā iura excōmunicatione Sedi Apostolicæ reseruata.

Ad argu. pro parte negatiua respōdetur, quāuis verū sit detentionē illam ad apprehēsionem reduci, in tali casu ob rationem assignatam excusari retinētem Ecclesiasticum ...

CAP.

# CAP. XXI.

*Contra occupantes bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.*

TENOR BVLLÆ.



Tem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directé, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnū Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Cāpaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq; Terras, & loca, ac Terras specialis cōmissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitaté Castelli, Tudertū, Ferrariā, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictęq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, nec non supremam iurisdictionem in illis Nobis, & 20. Bullæ censura

eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare, varijs modis præsumunt, nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

## *Notationes circa textum.*

1. MAteria hui⁹ cẽsuræ, vt not. Caie. in Sũ. verb. *Excom* c. 17. est sacrilegiũ, quo offenditur Sedes Apostolica in suis locis, & terris, ac in suprema in illis iurisdictione. Actiones principales prohibitæ sunt octo. Prima, præsumere inuadere per se, seu alios directè, vel indirectè, in totum, vel in partem, sub quocumq; titulo, vel colore, terras Ecclesiæ Romanæ, quæ in cõtextu exprimuntur. Secunda, easdem destruere. Tertia, easdem occupare præsumere. Quarta, easdẽ detinere. Quinta, in eisdẽ terris, & locis iurisdictionẽ de facto vsurpare. Sexta, eã perturbare. Septima, retinere. Octaua, vexare. Actiones accessoriæ sex numerantur. Prima, adhærere. Secũda, fauere, seu fautorẽ esse. Tertia, defẽdere. Quarta, dare auxiliũ. Quinta, dare cõsilium. Sexta, dare fauorẽ, quomodolibet hoc fiat.

Canon hic in tres quasi partes potest diuidi, vt notat Say. lib. 3. de cens. c. 24. nu. 4. In prima continẽtur offendentes terras, loca, & ciuitates Curiæ Romanæ: in secunda, offendentes iura ad eandem Curiam pertinentia: in tertia, eiusdem Curiæ iurisdictionem supremam lædentes. Iurisdictio, & iura, de quibus hoc loco Summus Pontifex loquitur, temporalia sunt. Inuadere est hostili animo aggredi. Destruere est quod 2. structum erat diruere, & vastare. Occupare est captum

tum vi tenere. Detinere est sponte, postquam aliquid quis est adeptus, tenere. Adhærentes dicuntur, qui pactione non interuenien-te, sed mera voluntate, factionem alicuius sequũtur, & differunt á cõfæderatis, quia hi pactiones ineunt.

3. Excommunicantur hoc loco quocunq; titulo prædictas terras, & loca inuadentes: quod intelligi debet de iniustè, non verò iustè inuadentibus. Vt si quis aliquam terram habet in feudum, quæ ab aliquo iniustè occupetur, poterit illam inuadere, quia Ecclesia non fouet iniustitiam. Ita Vgolin. hic §. 1. vers. *Nã primò*. ex cap. 2. de re iudic. in 6. & l. *Meminimus*. C. vnde vi. Vnde inuadentes, vel vsurpantes de facto, nõ autem de iure excommunicantur, cap. *Non ne*, de præsump. & l. *Cum prætor*. ff. de iudic.

4. Caietan. vbi sup. quem sequitur Nauar. in Manu. cap. 27. num. 73. & Suar. de cens. sect. 2. num. 105. aduertit inuasores ciuitatum, & locorum Ecclesiæ, vt excommunicẽtur, non opus esse, quòd illa animo posidẽdi, & á potestate, & iurisdictione Ecclesiæ auferendi, inuadant, sed sufficere quomodolibet inuadere. Sicut quando in ciuitatib⁹ Papę sunt factiones, & altera factio extra existẽs ciuitatem inuadit, vt ibi principatũ teneat, eo modo quo potest, & alij in illis principantur. Excommunicãtur autem huiusmodi inuadentes: tũ quia re vera inuadunt ciuitates, quod absolutè, & nulla facta distinctione, hoc loco prohibetur; tum etiam, quia talis inuasio re vera est ciuitatibus nociua, & in aliqualẽ eorum destructionẽ cedit; tum deniq;, quia per hoc cõmuniter, & regulariter liberum talium ciuitatum regimẽ Romanæ Ecclesiæ subtrahitur, eoquòd in ciuitatibus, vbi factiones regnant, titulare potius dominium, quam cũ effectu Ecclesia Romana habeat.

Dubitari posset hoc loco, vtrùm, qui actu posident

terras aliquas, de quibus in hac censura mentio fit, excõmunicationem in ea latã incurrãt. Ad quam difficultatem (quia nostri instituti nõ est examinare speciales titulos, quibus Catholici Principes terras illas posſident) ſolùm dicimus cũ Caiet. in Sũ. verb. *Excom.* c. 31. verſ. *Quartò.* & Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 2. n. 105. nõ excõmunicari, ſi bona fide poſsideant, dũmodo neceſſariam diligẽtiam, vt veritas manifeſtetur, adhibeant; ſicut in ſimili docet Victor. de iur. bell. nu. 25. bona autẽ fides eſt, *Iuſta ignorantia rei alienæ, ſecundùm quam aliquis de ſuis actibus bene iudicare ſolet*, vt ſignificat textus in c. *Quærat.* verſ. *Et ſi fides.* de pœnit. diſt. 3. & in cap. *Omnes.* verſ. *Illud.* 28. q. 1. in c. vlt. de præſcript. & in c. *Literas.* verſ. *Porro.* de reſt. ſpol. Bona tamen fides orto dubio ſine ſufficienti diligentia ſtare non poteſt.

# CAP. XXII.

## *De duratione Bullæ Cœnæ.*

POst prædictas viginti cenſuras aliquæ clauſulæ addũtur per paragraphos diſtinctæ, quæ ſigillatim à nobis explicãdę ſunt.

### TENOR BLLVÆ.

VOlentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcũque his literis contenta, quouſq; alij huiuſmodi proceſſus à Nobis, aut Romano Põtifice, pro tẽpore exiſtente, fiant, aut publicẽtur, durare, ſuoſq; effectus õnino ſortiri.

### *Notatio circa textum.*

In

In hoc paragrapho determinat Summus Pontifex durationem Bullæ, vsque ad alterius à se, aut à Romano Pontifice, pro tempore, factionem, aut publicationem. De qua re disp. 1. & 2. huius materiæ aliqua tractauimus.

# CAP. XXIIII.

## De reseruatione casuum Bullæ Cœnæ.

### TENOR BVLLÆ.

CÆterum á prædictis sententijs nullus per alium, quám per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiā tunc, nisi de stādo Ecclesiæ mādatis, & satisfaciēdo, cautione pręstita, absolui possit, etiā prætextu quarūuis facultatum, & indultorum quibuscūque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorūuis Ordinum, etiam Mendicantiū, ac Militiarū regularibus, etiā Episcopali, vel alia maiori dignitate prędìtis, ipsisq; Ordinib⁹ & eorū Monasterjis, Cōuētib⁹ & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiā Imperiali, Regali, & alia mūdana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedē, ac cuiusuis Cōcilij decreta, verbo, literis, aut alia quacūq; scriptura in genere, & in specie cōcessorū, & innouatorū, ac cōcedēdorū, & innouādorū:

## Notationes circa textum.

IN hoc §, reuocantur facultates tã concessæ, & innouatæ, quã concedendæ, & innouãdæ ad absoluendũ à casibus in hac Bulla contentis, præterquam in mortis articulo, & tunc dũmodo absoluendus de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautionẽ præstet.

In Bulla Clem. VIII. & Sixti V. post vltima verba huius § hęc adiungebãtur; *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehẽdãtur*; per quæ verba declarabatur, non reuocari õnia priuilegia ad absoluendũ à Bullæ casibus cõcessa, sed ea duntaxat, quæ de huiusmodi casibus in specie mẽtionem non faciebãt, quæ verò generalia erant ad absoluẽdũ à casibus Papæ reseruatis, anullabãtur. Quia tamẽ verba illa in hac Bulla non apponuntur, dubium est, an hoc loco omnia huiusmodi priuilegia, tam in genere, quam in specie cõcessa reuocentur. De qua re infra disputabitur.

DISP. XCVIII.

## Qua ratione in mortis articulo à casibus Bullæ Cœnæ absoluẽdũ sit.

CVm Sũm. Pontif. hoc loco expressè declaret necessariã esse cautionẽ, vt in mortis articulo à casibus huius Bullæ quis absoluatur, in controuersiã vocari nõ potest, an cautio sit necessaria. Illud tamen explicãdũ superest nimirũ quid sit cautio, & quæ in hoc casu necessaria sit.

Cautio igitur, si nominis vim attendamus, teste Cicer. 4. Tusc. nihil est aliud, quàm *Prouidẽtia quadã, qua auertimus, & vitamus, ne quid mali nobis accidat*. Apud Iurisperitos autẽ *Cautio* duobus modis accipitur: primò, pro cautione simpliciter dicta, quæ regulariter pro nuda promissione sũmitur, ex qua inducitur firma obligatio, l. *Sancimus*, C. de verb. signif. l. 2. §, *Quod si*. ff. de iudic. l. *Diuus*. ff. de petit. 1.

tit. hæred. & dicitur nuda cautio ex eo, quód nec pignus, nec fidei iussio in ea interueniũt: nõ tamen dicitur nuda á stipulatione, cum hęc necessaria sit, vt obligatio sit firma, l. pen. §. *Docere*. ff. ne quis eum qui in ius voc. vi eximat, & c. *Relatum*. de Cler. non resid. Secũdó accipitur pro obligatione cũ pignoribus, vel fidei iussoribus, l. *Si mãdato*. §. vlt. ff. mãdati. l. *Habere*. §. *Cautũ*. ff. de verb. signific.

Quòd cautio primó modo dicta sufficiat, nec maior requiratur, sic suaderi potest: Quãdo cautio pro maiori obligatione, quàm promissionis accipitur, sẽper additur aliud verbũ, & dicitur cautio idonea, sufficiẽs, mediocris aut cõpetẽs dict. l. *Si mandatũ*. l. 1. ff. de fidei iuss. l. *Filio*. ff. vt lege. no. caut. sed hoc loco nullũ verbũ additur, & materia est fauorabilis; ergo nulla alia cautio requiritur, quã ea, in qua tantũ stipulatio

2. interuenit.

1. Cõclu sio. Pro resolutione sit prima conclusio; Si satisfactio cõmode fieri possit, non est pœnitens á casibus Bullæ Cœnæ, etiã in mortis articulo, cũ sola cautione absoluendus; si tamẽ absolutio cum cautione impẽdatur, valida erit. Prima pars probatur; Confessarius, vt rectè suo munere fũgatur, tenetur obligare pœnitentem ad satisfactionẽ statim faciẽdam; ergo, si pœnitẽs cõmode potest satisfacere ante absolutionẽ, obligandus est. Et cõfirmatur, quoniam cautio, vt statim dicemus, debet esse sufficiens; ergo si satisfactio cõmodè fieri possit, potiùs est præmittenda. Dixi, *Cõmodè*, nã qui, vt satisfaciat, rẽ suam notabiter viliùs venderet, obligãdus nõ est ad statim satisfaciendum, tunc enim cum sola cautione absolui potest. Ita Nau. in Man. c. 27. n. 49. Secunda pars videtur manifesta ex ipsa Bulla, in qua Sũm. Põtif. nihil aliud, vt pœnitẽs in mortis articulo absoluatur, exigit, quã quód cautionẽ pręstet.

Secũda cõclusio; Si pœnitens in mortis articulo nul 3.

 lam

lam aliá, nisi promissariam cautionē dare pos sit, cū illa est absoluēdus, si autē maiorē, illā præstet, vt bsoluatur. Hāc tenēt Caiet. in Sū. verb. *Excō*. c. 77. Nau. vbi sup. n. 48. Viual. in Cād. in explan. Bull. Cœn. nu. 133. Suar. de cēs. disp. 21. sect. 3. n. 1. Say lib. 3. de cens. c. 25. n. 4. & Gl. in Clem. 1. de hęret. §. *Verū*. vers. *Et tūc*. Probatur, quoad primā partē; Nullus obligatur ad impossibile. l. *Impossibiliū*. ff. de regul. Iur. sed in casu primæ partis huius cōclusionis impossibile est, quód pœnitēs maiorē, quā promissariam cautionē, præstet; ergo nō obligatur ad illā præstādā, atq; adeó cū sola promissoria absolui potest. Secūda pars sic ostenditur; Cautio requiritur ad absoluendū penitentē, secūdū intētionē huius Bullæ, in ordine ad bonū Ecclesię, cuius mādatis stare tenetur, & ad bonū partis, cui facienda est satisfactio; ergo ea cautio exigenda est, per quā bono Ecclesiæ, & partis meliùs cōsulatur. Vnde quę maior prętari possit, exigi debet.

4. Tertia cōclusio; Quādo pænitēs in mortis articulo cōstitutus nec iuratoriam cautionē dare potest, sine ea est absoluēd'. Hāc tenet Say. cit. lo. Et probatur eādē ratione, qua primā partē præcedentis cōclusionis probauimus; eatenus enim cautio requiritur, quatenus possibilis est, neq; mēs est Sūmi Pontificis, quòd qui nullo modo cautionē dare potest, absolutionis beneficio priuetur. 3. Cōclusio.

5. Cōtra hāc cōclusionem sic arguitur; Absolutio facta, nō seruata forma ad absoluēdū perscripta, est nulla, argumēto c, *Cū delicta*. de rescript. & Archid. in cap. *Quoniā*. de immun. Eccles. in 6. vbi cōcludit nō valere absolutionē cōtra prohibitionē factā, sed in hoc casu absolutionis forma pręscribitur, videlicet, quód non fiat, nisi præstita cautione; ergo aliter facta est nulla. Respōdetur tamē hoc nō esse intelligēdū, quādo forma, & modus absoluēdi eatenus requirūtur, quatenus sunt

sũt poſsibiles, qua ratione ad hãc abſolutionẽ faciẽdã exigi credẽdũ eſt; vt apertè colligitur ex periculo extremo, in quo pœnitens eſt cõſtitutus, in quo beneficiũ abſolutionis, ſine iuſta cauſa ei denegaretur.

Ad arg. initio factũ reſpõdetur ex ratione, ob quam cautio exigitur, manifeſtè colligi quęnã adhibẽda ſit, vt abſolutio rectè, & ſine peccato impẽdatur. Ob rationem nihilominus factã videtur aſſerẽdũ validã eſſe abſolutionem, quacũq; interueniente cautione, quã uis confeſſarius peccet.

6. Pro cõplemento huius diſputationis explicãdum ſupereſt, ſub qua forma pœnitẽs ſit abſoluẽdus, & quę ſeruandæ ſint cæremonię. Ad quod reſpõdetur dãdã prius eſſe cautionẽ de ſtã do Eccleſiæ mãdatis, quæ cautio danda eſt ei, qui tũc ad pœnitentẽ abſoluendũ poteſtatẽ habet. Debet igitur pœnitẽs dare cautionẽ de ſtando Eccleſiæ mandatis, id eſt de faciẽdo illud quod abſolutionẽ tribuens prçceperit, & de ſatisfaciẽdo ijs, quos læſit, iuxta Gl. in Rubr. ff. de iur. & fact. ign.

Forma abſolutionis, ſi fieri poſsit, talis erit, vt pœnitẽs virga cædatur adhibita alicuius. Pſ. pœn. recitatione, poſtea addantur preces. *kyrieeleyſon, Chriſteel. kyriel. Pater noſt. Et ne nos inducas. &c.* Verſ. *Saluũ fac ſeruũ tuũ,* Reſ. *Deus meus ſperantẽ in te.* Verſ. *Dom. exaudi. &c.* Reſ. *Et clamor meus.* &c. Verſ. *Dominus vobiſcũ.* Reſ. *Et cũ ſpiritu tuo.* Orat. *Oremus: Deus, cui propriũ eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationẽ noſtrã, & hũc famulũ tuũ, quẽ excõmunicationis catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clemẽter abſoluat. Per Chriſtũ.* &c. Tandẽ addatur forma: *Aſoluo te ab excõmunicatione,* vel *excõmunicationibus, quam* vel *quas cõtraxiſti.* Ratio huius eſt, quia vbi Princeps 7. alicui cõcedit, vt actum faciat, quẽ aliàs de iure non poterat, intelligitur cõceſſiſſe, ſecũdũ formã ſolitam fieri, arg. l. *Si quando.* C. de inof. teſt.

## DISP. XCIX.

### *Vtrũ absolutio facta à casibus Bullæ in mortis periculo sit valida.*

1. VT hæc difficultas, quę valde necessaria est, tũ ad asoluendũ à Bullæ cẽsuris, tũ etiã ab alijs casibus, rectè intelligatur, sciendũ est nõ idem esse, si verborũ vim attendamus, articulũ mortis, & periculũ mortis, licet enim õnis, qui est in mortis articulo, sit in periculo mortis, non tamen id euenitè conuerso. Nã mortis periculũ illud dicitur, vnde mors frequẽter solet accidere, vt in bello, in nauigatione maris vehementer turbati, in fęminis pariẽtibus, in morbo graui, & similibus, de quibus prudẽtis viri arbitrio judicãdũ est; articulus verò mortis ille censetur, cũ mors est verosimiliter euentura, siue á morbo, aut vulnere, aut exteriori vi; vt cũ quis ad mortis pœnam fuerit dãnatus. De his vidẽdus est Cou. in c. *Alma mater*. p. 1. §. 11. n. 8. Vgo. hoc loc. ad illa verba, *Nisi in mortis articulo*. q. 1.

2. Hoc posito dubium est, vtrũ, sicut quilibet in mortis articulo potest à Bullæ casibus, & cẽsuris absolui, possit etiã in mortis periculo. Partẽ negatiuã cũ Cano in Relect. de pœn. 5. p. fol. 144. & Soto in. 4. dist. 18. q. 4. ar. 4. tenet Cou. cit. loc. & probatur.

Primò; Súmus Põtif. nõ loquitur in hoc §. de periculo mortis, sed tantũ de articulo, quod fit, secundũ ius commune, vbi facultas absoluẽdi in mortis articulo cõceditur, c. *Nõ dubiũ*. c. *Quod de his*. c. *Quãuis*. de sẽt. exc. ergo nullus in mortis periculo á prædictis casibus, & censuris absoluẽdus est. Et cõfirmatur, quoniã, vt dicit Emm. Rod. in Sum. tom. 1. c. 59. nu. 1. Bullæ, & Iubilei aliquãdo de articulo, aliquando verò de periculo mortis loquuntur.

Secũdo; Facultas absoluẽdi in hoc casu cõceditur per modũ priuilegij; ergo restrictè interpretãda est. Patet cõsequẽtia ex c. *Priuilegia*

*uilegia*.3. dist. & idẽ docent Ioã. And. & Butr. in c. *Olim*. de verb, signif. Antecedẽs suadetur: Priuilegiũ est quasi priuata lex, dict. c. *Priuilegia*. & est indultũ cõtra Ius cõmune, c. *Abbate*. de verb. signif. sed hæc facultas ita se habet, stat enim in cõtrariũ Ius cõmune, quod à casibus reseruatis nullus absouat; ergo facultas hæc per modũ priuilegij cõceditur.

3. Cõtrariã sententiã, nimirũ quod habẽs facultatẽ ad absoluẽdũ in mortis articulo, si non exprimatur, quòd sit verus articulus mortis, sed absolutè cõcedatur facultas ad absoluẽdũ in articulo mortis possit etiã in probabili mortis periculo absoluere, sequũtur Palud. in 4. dist. 17. q. 2. ar. 5. vers. *Tertius casus*. Adrian. de cõfess. q. 3. vers. *Tertius casus*. Viual. in Cand. in expla. Bull. Cœn. n. 137. Vgo. vbi sup. q. 2. & Emm. Rod. cit. loc. n. 2. qui alios Doctores refert. Quæ sentẽtia his argumentis suadetur.

4. Primò; Priuilegiũ interpretãdũ potiùs est secũdũ intentionẽ cõcedẽtis, quã secundũ verba. c. *Marcion*. 1. q. 1. c. *Sedulo*. 38. dist. c. *Intelligẽtia*. & c. *In his*. de verb. signif. sed mẽs, & intentio Pap. ea est, ne quis discedat à vita ligatus, & impeditus respectu eorũ, quæ ad salutẽ æternã consequendã sũt necessaria; ergo nõ solũ intendit cõcedere facultatẽ ad absoluendum in mortis articulo sed etiã in periculo illius probabili. Cõsequentia ex eo patet, quoniã cõstitutus in periculo mortis potest sine beneficio absolutionis obire.

Secũdò; Scũdũ Iura articulus mortis, & periculũ mortis pro eodẽ accipiuntur; ergo habẽs facultatem ad absoluendũ in articulo mortis, poterit etiã in periculo probabili absoluere. Probatur antecedẽs, quoniã de periculo, & articulo mortis promiscuè loquũtur Iura. Nam in c. *Siquis suadẽte*. 17. q. 4. expressè dicitur posse excõmunicatũ propter Clerici percussionẽ absolui vrgente mortis periculo, & in c. *Ea noscitur*. de

de ſent.exc. habetur poſſe eundẽ abſolui infirmitatis tẽpore timore mortis; cũ tamen in cit. c. *Non dubium.* *Quod de his.* & *Quāuis.* in quibus de eàdem percuſsione ſermo eſt, fit ſolũmodo mẽtio de mortis articulo. Cõfirmatur ex Gl. cõmuniter recepta in c. *Paſtoralis.* de offic. iudic. ord. in verb. *Præterquã.* & Innnoc. Ioã. And. Hoſt. Abb. & alijs in dict. c. *Quod de his.* qui dũ quærũt, quis dicatur mortis articulus, aſſerũt eũ dici cõſtitutum in articulo mortis, qui prœliũ cũ hoſte cõmiſſurus eſt, vel qui naufragiũ periculoſũ patitur, quæ tamen inter mortis pericula nominantur.

Tertio; Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtĩguere debemus, ſed Sũmus Põtif. abſolutè loquitur de articulo mortis; ergo tam de vero articulo, quàm de præſũpto intelligendus eſt.

6. Ex his ſentẽtijs vtraque probabilis eſt, in ſecũdã tamen, quia magis pia, inclinãdũ exiſtimo. Iuxta quã illud tãtũ dicendũ eſt mortis periculum, ex quo probabiliter mors ſequi poteſt. Vnde nõ quæuis tempeſtas ad effectum abſolutionis impendendæ cenſetur periculum mortis, ſed illa, ex qua probabiliter naufragium timetur, nec quilibet obſeſſus in periculo mortis exiſtimandus eſt, ſed qui telis impugnatur, nec quælibet prægnans, ſed quæ eſt in probabili periculo. Ita Sylu. verb. *Abſolutio.* 1. num. 10. & verb. *Interdictum.* 5. nu. 9. §. *Quarta exceptio.* circa fin. qui alios refert.

7. Secundùm hanc ſententiam dicendum etiam eſt poſſe conſtitutum in articulo, vel periculo mortis abſolui, quanuis in facultate ad abſoluendum non exprimatur verbum, *Articulus*, vel *Periculum*. vt probat Vgolin. quæſt. 2. cit. tum quia ſemper talia verba apponi ſolent, & clauſula apponi ſolita in aliquo actu, etiam ſi omiſſa ſit, pro appoſita, & expreſſa habetur, vt probatur per l. fin. in fin. C. de

fide

fide iuſ. & ibi Bald. & Iaſon comuniter hoc receptum ſentit in l. *Inargẽtarius.* num. 7. cum ſequent. ff. de Eden. Felinus in cap. *Cum M.* de conſtitut. tum etiam, quia ſi Romanus Pontifex de hac re interrogaretur, ſic reſpondiſset, cum ſit vicarius illius, qui peccatori ingemiſcenti
8. parcit. Tum denique, quia ſemper in Eccleſia conſuetum fuit, vt nulla eſſet in articulo mortis reſeruatio, vt habetur in Conc. Trident. de pœnit. cap. 7. ſeſſ. 14.

9. Ad primum igitur argumentum primæ ſententiæ dicendum eſt, quòd licèt in rigore, & proprietate verborum articulus mortis, & periculum mortis non idem ſint, hoc tamen loco pro eodem accipiuntur, tum quia loquutio eſt abſoluta, & ſine reſtrictione, & facultas abſoluendi in fauorem animæ conceſſa, quæ non reſtrictè, ſed amplé interpretanda eſt, tum etiam, quia ſic ex intentione Papæ colligitur. Ad confirmationem reſpondetur, quòd quando Iubilæi, & Bullæ abſolutè loquuntur de articulo, vel periculo mortis, ad modum explicatum intelligi debent, niſi aliud aliunde colligatur. Deinde reſponderi fortè poteſt, quòd quando diſtinguunt inter articulum, & periculum mortis, accipiunt periculum ampliori quadam ſignificatione, quàm nos illud accipimus.

Ad ſecundum reſpondetur primò tunc priuilegium eſſe ſtrictè interpretandum, quando aliud de mente concedentis non colligitur, vt in propoſito contingit. Reſpondetur ſecundò priuilegium per modum gratiæ, & in fauorem animæ conceſſum, & quod ſapit beneficium, eſſe latè interpretandum, vt docent Ioan. Andræ. & Butr. in capit. *Olim.* de verb. ſignificat. per l. *Beneficium.* ff. de conſtitut. Princip. relati à Syluest. verb. *Priuilegium.* 10

numer

numer.3.concluſ.4.

## DISP. C.

## *Vtrùm aliquis, præter Romanum Pontifi-cem, à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ abſoluere poſsit.*

1. PARTEM negatiuam tenent Pegn. in 3. part. Direct. Inquiſit. Com. 141. dicens in ſupremo ſanctæ, & generalis Inquiſitionis tribunali ſæpe fuiſſe declaratum non poſſe, nec debere Epiſcopos ampliùs virtute Concilij Trident. abſoluere occultos hæreticos in foro conſcientiæ. Eandem ſententiam tenēt Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 30. Suares de cenſ. diſp. 21. ſect. 3. Qui in caſu hæreſis, quoad conceſsionem Concilij Epiſcopis factam, loquitur. Vgolin. hoc loc. ad illa verba, *Etiā prætextu quarumuis facultatum.* numer. 3. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 275. qui de priuilegijs regulariũ loquitur. Idem tenet Sayr. lib. 3. de cenſ. capit. 25. nu. 5. Azor tom. 1. lib. 8. inſtitut. moral. cap. 19. quæſt. 3. & cap. 10. quæſ. 10. Sanch. in oper. moral. lib. 2. cap. 11. num. 26. qui alios refert. Ducitur hæc ſententia, quia expreſſè in Bulla Cœnæ reuocantur omnia priuilegia ad abſoluendum à caſibus in ea contentis. Et quia Pius V. Gregor. XIII. ita declararunt, vt refert Pegn. cit. loc.

2. Partem tamen affirmatiuam tenent Ban. 2. 2. q. 11. artic. 4. dub. 2. poſt. 2. concluſ. argument. 3. verſ. *Et ſi quis obijciat.* & ibi Arag. artic. 3. verſ. *Sed dubium eſt quiſnam poſsit*. Petr. de Ledeſm. in Summ. tom. 2. tract. 1. cap. 6. poſt. 20. concluſ. difficult. 7. Emmanu. Rod. tom. 1. quæſt. regul. q. 20. artic. 9. Viual. in Candel. in penult. edit. in 1. part. tract. de abſolut. num. 13. & 2. part. in Explanat. Bull. Cœn. nu. 141. & alij non pauci, quos refert

refert Sanch. cit. loc. Probatur hæc sententia; Priuilegium Principis debet esse constans, & perpetuũ argum. Clem. vnic. de renunciat. ergo priuilegium à Papa concessum, sine magna causa non debet reuocari; incõstantia enim maxima esset priuilegium in principio Quadragesimæ concessum in die Cœnæ statim reuocari. Quod etiam videre est in priuilegijs Mendicantium, quæ frustra innouarentur, vt regulariter ab vnoquoque Pontifice fieri solet, si in die Cœnæ forent reuocanda. Confirmatur hoc ex inconuenientibus, quæ ex tali reuocatione sequũtur. Nam si Papa concedat Regulari, vel cuicũq; alteri eunti ad infideles facultatem absoluendi á reseruatis in Bulla Cœnæ, & eo profectò tale priuilegium per solennẽ Bullæ promulgationem reuocaretur, Regularis ille munere suo perfecté fungi non posset, quod quam magnum sit incõueniens, quis non videt?

Deinde probatur; Lex posterior generaliter, & indistinctè loquens limitanda est per specialem antiquiorem, si expresſis verbis illi non contradicat, quanuis in lege noua sit clausula. *Non obstante lege contraria*; quæ non possit cum hac sustineri per aliquam limitationem, vel distinctionem, & hoc vt iurium correctio vitetur, vt cum multis probat Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 24. nu. 6. & in Opere moral. lib. 2. cap. 11. num. 27. ergo cum Bulla Cœnę reuocet facultates absoluendi priùs concessas, potest intelligi per aliquam limitationem, vt non contradicat legi priori Concilij Trident. nempe intelligendo reuocari facultates, quæ concedunt absolutionem casuum in ea reseruatorum, quando publíci sunt. Confirmatur item, tum quia de reuocatione concesſionis Concilij Tridentini, & priuilegiorum Mendicãtium authenticè 3.

non

non constat, & cum res sit magni momenti, publicanda esset in aliquo speciali decreto; tum etiam, quia estò Pius V. & Gregor. XIII. circa Bullas á se publicatas id declarauerint, non id fecerunt alij Pontifices; tum denique, quia per Bullam Cœnæ non cēsentur reuocari facultates Bullæ Cruciatæ ad absoluendum in aliquibus casibus; ergo neque facultates Episcoporum, & Mendicantium.

4. Conclusio. Pro resolutione sit prima conclusio; Delegatus à Summo Pontifice cum speciali facultate absoluendi à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, ab illis absoluere potest. Hanc tenet Suares vbi supra numer. 3. estque manifesta. Nam Summus Pontifex nec potest, nec solet per se ipsum absoluere omnes huiusmodi pœnitentes, sed per Delegatos id præstat.

5. 2. Cōclusio. Secunda conclusio; In mortis articulo etiam simplex Sacerdos à peccatis in Bullæ Cœnæ reseruatis absoluere potest, á censuris veró etiam prima tonsura initiatus. Hanc quoàd primam partem docet S. Thomas in 4. dist. 18. quęst. 2 artic. 5. quæst. 1. Nauar. in Manu. cap. 26. num. 26. & cap. 27. num. 272. Emman. Rod. in Summ. tom. 1. cap. 59. num. 4. & Vgol. hoc loc. ad illa verba, *Nisi in mortis articulo*. quæst. 3. constatque ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de cas. reseru. vbi sic dicitur; *Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Secundam partem tradunt Viuald. in Candel. in explanat. Bull. Cœn. numer. 135. Emman. Rod. vbi sup. nu. 16. Vgolin. loc. citat. §. 3. qui ibidem asserit neutrū istorum á laico præstari posse. Colligitur hæc pars ex Sanct. Thoma cit. loc. artic. 2. quæst. 2. & dist. 19. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. Palud. ibid. dist. 18. quæst. 2. art. 3. Tabien. verb. *Absolutio. 2.* num. 4. Sanct. Anton.

.6 3.part.tit.24.c.77.& Nau. cit.loc.c. 27.num.41.quatenus absolutè affirmant habentem primam tonsuram excommunicare posse. Ex quo sequitur quòd etiam possit absoluere, cū sit par ratio. Fundamentum huius sententiæ est excommunicare, & absoluere ab excommunicatione extra sacramentum, nō esse actum ordinis, sed iurisdictionis, cuius prima tonsura initiatus capax est. Et habet verum hæc conclusio, vt tradit Vgol. vbi supr. etiam si absoluēs sit excommunicatus, suspensus, notorius, aut denunciatus; cum hæc non absoluentium, sed pœnitētiam gratia concedantur; & sic absolutus non est iterum absoluendus, siue moriatur, siue non, cum veram absolutionem recoperit. Ita Vgolin. ex Cou. in cap. *Alma mater*.par.1.§. 11.nu.8.& Nauar.cit.c. 26. num.26.

7. 3. Cōclusio. Tertia conclusio; Ex illis duabus sententijs vtraq; est probabilis, & sustineri tuta conscientia potest, secunda tamen mihi placet magis. Conclusio hæc quoad primam partem sufficienter probatur, & authoritate Doctorum, & rationibus quibus ipsi suas sententias confirmant. Secunda pars ex eo confirmatur, quoniam Summus Pontifex non prohibet absolutè ratione indultorum absoluere, sed eorum prætextu; prætextus autē nō excludit illud, quod fit legitima facultate interueniente, vt diximus disp. 78.ad arg partis negatiuæ, sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur; & secundùm hanc expositionē intelligenda sunt vltima verba huius §. videlicet, *Concedendorum, & innouandorum*. Non enim Summus Pontifex per ea intendit non valere concessiones ad absoluendum in prædictis casibus, & censuris, in specie factas, cū in multis priuilegijs, & Bullis, & in Bulla Cruciatæ conceduntur, aliàs deciperentur fideles. Solū igitur derogat

non constat, & cum res sit magni momenti, publicanda esset in aliquo speciali decreto; tum etiam, quia estò Pius V. & Gregor. XIII. circa Bullas á se publicatas id declarauerint, non id fecerunt alij Pontifices; tum denique, quia per Bullam Cœnæ non cẽsentur reuocari facultates Bullæ Cruciatæ ad absoluendum in aliquibus casibus; ergo neque facultates Episcoporum, & Mendicantium.

4. 1. Conclusio. Pro resolutione sit prima conclusio; Delegatus à Summo Pontifice cum speciali facultate absoluendi à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, ab illis absoluere potest. Hanc tenet Suares vbi supra numer. 3. estque manifesta. Nam Summus Pontifex nec potest, nec solet per seipsum absoluere omnes huiusmodi pœnitentes, sed per Delegatos id præstat.

5. 2. Conclusio. Secunda conclusio; In mortis articulo etiam simplex Sacerdos à peccatis in Bullæ Cœnæ reseruatis absoluere potest, á censuris veró etiam prima tonsura initiatus. Hanc quoad primam partem docet S. Thomas in 4. dist. 18. quęst. 2. artic. 5. quæst. 1. Nauar. in Manu. cap. 26. num. 26. & cap. 27. num. 272. Emman. Rod. in Summ. tom. 1. cap. 59. num. 4. & Vgol. hoc loc. ad illa verba, *Nisi in mortis articulo.* quæst. 3. constatque ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de cas. reseru. vbi sic dicitur; *Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Secundam partem tradunt Viuald. in Candel. in explanat. Bull. Cœn. numer. 135. Emman. Rod. vbi sup. nu. 16. Vgolin. loc. citat. §. 3. qui ibidem asserit neutrũ istorum á laico præstari posse. Colligitur hæc pars ex Sanct. Thoma cit. loc. artic. 2. quæst. 2. & dist. 19. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. Palud. ibid. dist. 18. quæst. 2. art. 3. Tabien. verb. *Absolutio.* 2. num. 4. Sanct. Anton.

6 3.part.tit.24.c.77.& Nau. cit.loc.c. 27.num.41.quatenus absolutè affirmant habentem primam tonsuram excommunicare posse. Ex quo sequitur quòd etiam posit absoluere, cũ sit par ratio. Fundamentum huius sententiæ est excommunicare, & absoluere ab excommunicatione extra sacramentum,nõ esse actum ordinis, sed iurisdictionis, cuius prima tonsura initiatus capax est. Et habet verum hæc conclusio, vt tradit Vgol. vbi supr. etiam si absoluẽs sit excommunicatus, suspensus, notorius, aut denunciatus; cum hæc non absoluentium,sed pœnitẽtiam gratia concedantur; & sic absolutus non est iterum absoluendus, siue moriatur,siue non,cum veram absolutionem receperit. Ita Vgolin. ex Cou. in cap. *Alma mater*.par.1.§. 11.nu.8.& Nauar.cit.c. 26. num.26.

7. 3. *Cõclusio.* Tertia conclusio; Ex illis duabus sententijs vtraq; est probabilis, & sustineri tuta conscientia potest,secunda tamen mihi placet magis. Conclusio hæc quoad primam partem sufficienter probatur, & authoritate Doctorum, & rationibus quibus ipsi suas sententias confirmant.Secunda pars ex eo confirmatur, quoniam Summus Pontifex non prohibet absolutè ratione indultorum absoluere, sed eorum prætextu; prætextus autẽ nõ excludit illud, quod fit legitima facultate interueniente, vt diximus disp. 78.ad arg partis negatiuæ, sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur; & secundùm hanc expositionẽ intelligenda sunt vltima verba huius §. videlicet, *Concedendorum,& innouandorum*.Non enim Summus Pontifex per ea intendit non valere concesśiones ad absoluendum in prædictis casibus, & censuris, in specie factas,cũ in multis priuilegijs,& Bullis, & in Bulla Cruciatæ conceduntur,aliàs deciperentur fideles.Solũ igitur derogat

# CAP. XXIIII.

## *Contra absoluentes à casibus Bullæ Cœnæ.*

### TENOR BVLLÆ.

1. QVOD si fortè aliqui cōtra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto prę-sumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos, spiritualiter, & temporaliter, pro vt expedire nouerimus, processuri.

## *Notationes circa textum.*

IN hoc §. excōmunicat Summus Pontifex præsumentes absoluere à censuris huius Bullæ, determinatque grauiùs contra tale facientes spiritualiter, & tēporaliter se processurū. Quæ autem sint eis pœnæ imponendæ, non declarat, in Bullis tamen antiquis, referente S. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 7. speciales pœnæ addebātur, scilicet suspensio ab officio prædicādi, legendi, audiendi confessiones, & ministrandi sacramenta. 2

Vgol. hoc loco circa illa verba, *Quod si fortè aliqui.* n. 2. docet plures incurrere excommunicationes, qui vna absolutione plures à prædictis Bullæ casibus absolueret: sicut pluribus excommunicatur, qui vna percussione plures Clericos percuteret. Hæc tamē sententia non placet, quoniam

niam sub vna tantùm censura videtur Sũmum Pontificem comprehendisse vnum, vel plures absoluentẽ, vt colligi potest ex illis verbis, *Talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui. &c.* In quibus sub eodem tenore verborum excommunicat absoluentem plures, vel absoluentẽ vnũ; quidquid sit de percutiente plures Clericos. Verum tamen est, qui plures actiones in vna clausula prohibitas facit, plures excommunicationes incurrere, quia super vnamquamque excommunicatio fertur.

3 Vt huius. §. censura incurratur, necesse est quòd confessarius ex præsumptione absolutionis beneficium impẽdat, vt patet ex verbo, *Præsumpserint*. Ex quo sequitur non excommunicari confessarium ex ignorantia non crassa, & affectata, vel ex inaduertentia, & obliuione à prædictis casibus absoluentem, quãuis in absoluendo peccet. Ita Cardin. in Clem. 1. de priuileg. q. 39. Caietan in Summ. verb. *Excommunicatio*. cap. 58. &. 81. Nauar. in repet. c. *Accepta*. de restit. spol. oppo. 8. num. 32. & in Manu. cap. 27. num. 74. vers. *Declaratio prima*. Viual. in Candel. in explanat. Bull. Cœn. num. 138. Vgol. vbi sup. num. 3. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 25. num. 8. & Suar. de cens. disp. 21. sect. 3. num. 6. circa fin.

Non excommunicatur etiam, qui probabili metu, aut vi absoluit, vt si pœnitẽs mortem confessario minatur, nisi eum absoluat. Ita Vgolin. vbi supra ex cap. vnic. de ijs quæ vi met. vé cau. fiu. in 6.

Ab excommunicatione etiam liberantur laici, mulieres, Religiosi conuersi, Ecclesiastici etiã nõ sacerdotes, eo quòd, cum eis nõ conueniat posse absoluere, præsumendum non est à Summo Pontifice sub hac censura comprehendi: nisi aliquis istorum alicuius priuilegij authoritate fretus, quo ab alijs censuris potest absoluere, ab illis quæ in hac 4

hac Bulla continentur absoluere conetur, quoniam in hoc casu iam datur præsumptio. Ita Vgol. cit. loc.

Idem Vgolin. non excōmunicari existimat qui non á censuris huius Bullæ, sed á peccatis, pro quibus sanciuntur, absolueret.

5. Probat, quia Summus Pontifex solùm loquitur de censuris, & inclusio vnius exclusio est alterius, capit. *Nonne*. de præsumpt. l. *Cum prætor*. ff. de iudic. Oppositum tamen dicendum puto, tum quia Summus Pontifex absolutè loquitur de absoluentibus prædictis censuris laqueatos, quod diuersum quid sonat ab eo, quod est absoluere á censuris, tum etiam, quia cum á Romano Pontifice non reseruentur casus nisi cũ censura, perinde est absoluere á censuris Papæ, atque à casibus illi reseruatis; quando simul coniunguntur. Illud vltimò aduertendum est, si quis contra tenorem præsentiũ literarum absoluat, seu potiùs absoluere tẽtet, absolutionem nullã esse, vt potè á non habente potestatem impensam. Tabien. verb. *Excommun*. 6. num. 13. circa fin. Armil. verb. *Excommu*. cap. 87. Viual. num. 139. & Vgolin. nu. 2. cit. loc.

## DISP. CI.

## *Vtrùm censura cõtra absoluentes à casibus Bullæ lata Summo Pontifici reseruetur.*

PArtem huius quæstionis affirmatiuam tenẽt Syl. verb. *Absolutio*. 1. nu. 10. Tabie. verb. *Excõmun*. 6. n. 13. circa fin. Armil. verb. *Ex cõmun*. c. 87. Felin. in cap. *Pastoralis*. §. *Præterea*. col. 3. de offic. Ordin. Caietan. in Sum. verb. *Excõ*. c. 77. Viuald. in Cand. in explanat. Bull. Cœn. n. 140. & Vgol. hoc loc. ad illa verba, *Quòd si fortè aliqui*, n. 4. quorum sententia probatur. 1.

Primò; ex Sixto IIII. in Extrauag. *Et si Dominici*. de pœnit. & remis. vbi sic dicitur; *Et cõtra facientes eò ipso*

*excommunicationis sententiã incurrãt, à qua, nisi in mortis articulo cõstituti, ab alio quàm à Romano Pontifice absolui nõ possint.*

Secundó; Censuræ huius Bullæ, vt in superior. diximus disp. 1. sunt ab homine; ergo ab eo tantùm, à quo sanciuntur, auferri possunt, cap. *Pastoralis*. de offic. Ordin.

Tertió probat Vgolin. ex eo, quia, cum Summus Pontifex dicat se grauiùs contra eos processurum, necesse est, quòd illos in excommunicationem incidisse sciat, vt cõtra ipsos, & spiritualiter, & temporaliter procedat: quod nequaquam fieri potest, si excommunicatio reseruata non sit. Cum igitur sibi reseruet impositionem pœ-

2. næ, reseruat vtique & censuram, eo quòd par ratio est taciti, & expressi.

3. Cõtrariam sententiam tuentur Nauar. in Manu. cap. 27. numer. 74. vers. *Secunda*. Sebast. Medic. in Summ. peccat. capit. tit. 9. quæst. 78. num. 1. Sayr. lib. 3. de cens. cap. 25. num. 7. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 30. & Suares de cens. disput. 21. sect. 3. num. 6. Quæ sententia nobis probabilior videtur.

Prima conclusio; Cen- 1. *Cõclusio.* sura contra præsumentes absoluere à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ hoc canone lata Summo Pontifici non reseruatur. Probatur; Paulus II. in sua Bulla olim censuram hanc specialiter reseruauit, sed hæc reseruatio ab alijs Bullis aliorum Pontificum, & etiam ab ista ablata est; ergo nolunt eam Summi Põtifices reseruare. Deinde; Hæc censura additur post reseruationem factam in præcedenti §. *Cæterum*; ergo reseruatio ibi facta ad præcedentes, non ad sequentes casus extenditur.

4.

Secunda conclusio; Ab 2. *Cõclusio.* hac censura potest absoluere quicunque potestatem habet absoluendi á cẽsuris non reseruatis. Hæc etiam est Doctorum, quos secundo loco citauimus, & patet ex conclusione præ-

præcedenti. Nam si reseruata non est, qui à non reseruatis potest absoluere, poterit etiam ab illa. Et cõfirmatur ex cap. *Nuper.* de sentent. excomm. vbi habetur, quòd eo ipso, quòd excommunicatio reseruata non est, cõcessa cẽsetur.

Ad primum argumentum respondetur cum Syl. verb. *Excommunicatio* . 7. num. 77. Sayr. & Suares citat. loc. extrauagantem illam solùm loqui de absoluentibus ex vi confessionalium eiusdem Sixti. IIII.

Ad secundum dicendũ est cum Nauar. & Tolet. vbi supra excommunicationem ab homine generaliter latam assimilari excommunicationi à iure, quæ si expressè reseruata non est, reseruata non censetur.

Ad tertium respondetur grauiores illas pœnas, quas Summus Pontifex absoluenti minatur, esse ei imponendas, si constet ipsum absque legitima facultate absoluisse; vt colligitur ex verb. *Processuri*, quod denotat agenda in foro iudic. nõ verò in foro pœnitentæ.

# CAP. XXV.

## *Declarationes quædam circa absolutionem à censuris Bullæ Cœnæ.*

### TENOR BVLLÆ.

DEclarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub

ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs á præmiſsis, cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi, deſtiterint, ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerātiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum, quantocunque tempore continuatam, in præmiſsis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. vndecūque, & quandocunque quęſitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari poſſe, aut debere.

## *Notationes circa textum.*

IN hoc §. declarat Summus Pontifex, ac proteſtatur nullam abſolutionem, etiam ſolennem, per ipſum factam prædictis excommunicatis prodeſſe, niſi priùs à præmiſsis cum vero propoſito ſimilia non committendi deſtiterint, quod intelligitur, tam de abſolutione ſolenni, quam non ſolenni, ſiue generaliter,

liter, siue specialiter impendatur, vt patet ex illis verbis, *Quamcunque absolutionem.*

2. Declarat etiam non prodesse absolutionem ijs, qui contra libertatem Ecclesiasticam quæcunque statuta fecerint, nisi ea prius publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, seu capitularibus locis, aut libris deleuerint, Summumque Pontificem de tali reuocatione certiorē fecerint. Hæc publica reuocatio facienda erit, quando de statuti factione populo constiterit, per præconem, significando ei ipsũ iam esse reuocatum, aut in concilio dum senatus habetur.

Tandem protestatur Summus Pontifex per nullam absolutionē, aut quoscunque alios actus contrarios, nec per patientiam, & tolerantiam, quantocunque tempore continuatam, Sedis Apostolicæ iuribus præiudicari.

3. Dubitari potest hoc loco, an valeat absolutio illa, quæ ad actum aliquem tantùm gerendum tribuitur, qua absolutus ipso iure in eandem incidit excommunicationem, & quæ hac forma verborum conceditur; *Teque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes.* &c. Respondetur tamen cum Rebuffo in praxi benefic. in declarat. nou. prouis. §. *Teq; absoluentes.* & Vgolin. hoc loco numer. 3. valere, excepto in casu hæresis, iuxta cap. *Excommunicamus.* o. 1. de hæret. & alijs casibus à Iulio III. exceptis, quos refert idem Rebuffus loc. citat. num. 12. cuius Pontificis verba hæc sunt; *Statuit, & ordinauit huiusmodi absolutionem non suffragari non parentibus rei iudicatæ, incēdiarijs, violatoribus Ecclesiarum, falsi-*

*falsificatoribus, & falsificari procurātibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis vtentibus, receptatoribus, & fautoribus, eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & nuncios, vel executores Sedis Apostolicæ, & eius officialium eis commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à iure, vel ab homine, per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscunque alijs, qui censuris aliquibus etiam alijs, quàm, vt præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.* Ratio quare absoluantur ab alijs Bullæ casibus ad actum gerēdum est quia hæc absolutio propriè, & in rigore loquendo, absolutio non est. Intelligitur tamen hæc sententia dummodò absoluendus à culpa, ob quam excommunicatus est, cum vero proposito similia nō committendi desistat.

# CAP. XXVI.

## *Reuocantur priuilegia, quæ impediunt ne in aliquibus censuræ huius Bullæ locum habeant.*

### TENOR BVLLÆ.

NON obstantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint,

fuerint,etiam ſi,vt pręmittitur,Pontificali,Imperiali,Regali,ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana pręfulgeant dignitate,vel eorum Regnis,Prouincijs, Ciuitatibus,ſeu locis à prędicta Sede, ex quauis cauſa etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs conceſsis,etiam continentibus quód excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſsint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs,cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, nec non conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac pręſcriptionibus quantumcunque longiſsimis, & alijs quibuslibet obſeruātijs, ſcriptis, vel non ſcriptis,per quæ contra hos noſtros proceſſus,ac ſententias, quominus includantur in eis,ſe iuuare valeant,vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores,ac ſi ad verbum,nihil penitus omiſso, inſererentur, pręſentibus pro expreſsis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus,cęteriſq; contrarijs quibuſcunque.

## *Notatio circa textum.*

IN his duobus, §§. reuocat Summus Pontifex omnia priuilegia cuiuſcunque ſint qualitatis, & cuicunque perſonæ conceſſa,etiam per viam contractus,

tractus, aut remunerationis, quatenus contra processus huius Bullæ esse possunt, ita vt prædicta priuilegia prodesse eis non possint, quominus excommunicentur, & loca interdicantur, si aliquid contra prohibitiones prædictas fecerint. Vnde quoad alia, priuilegia prædicta in suo ãtiquo robore perseuerãt.

## DISP. CII.

### *Vtrùm Summus Pontifex reuocare possit priuilegia per viam contractus, & remunerationis concessa.*

Pars negatiua sic potest suaderi; Talis reuocatio est iniusta; ergo est illicita. Probatur antecedẽs, quoniã priuilegia per viã contractus, & remunerationi nõ sunt meræ gratiæ, sed solutiones, vel cõpẽsationes debiti, atq; adeò si auferantur, inęqualitas cõstituitur.

Secundo; Lex naturalis iubet pacta seruari, l. 1. ff. de pact. Quod etiã habet verũ in Principibus. c. 1. de probat. & c. 1. §. 1. qui feud. dar. pos. nec enim inferiores possũt contra legẽ superioris. c. *Inferior.* 21. dist. & c. *Cũ inferior.* de maior. sed Papa est inferior Deo, cuius lex naturalis prohibet non stare pactis; ergo.

Sit igitur cõclusio; Stãte iusta, & rationabili causa potest Sum. Põtif. reuocare priuilegia, etiã per modũ cõtractus, & remunerationis cõcessa. Hãc conclusio nẽ tenẽt Abb. in c. *Nouit ille*, n. 26. de iud. & ibi Inno. & Felin. & idẽ Fel. in c. 1. de probat. in 6. Bald. in l. fin. ff. de senat. & Immol. post Butr. in c. *Cũ M.* de const. Nau. in c. *Nõ liceat.* 12. q. 2. §. 18. n. 2. & in cõm. de indul. notab. 27. n. 7. & not. 33. n. 3. & Syl. verb. *Priuilegiũ.* n. 10. Et ratio est, quoniã Papa tenetur in cõscientia prouidere bono cõmuni, & in ordine ad illud tollere õnia impedimẽta, quę ei aduersari possũt, disponereq; etiã de bonis particulariũ; ergo quãdo priuilegia etiã per modũ cõtractus, & remune- 2. 1. *Cõclusio.*

muneratiōnis cōcessa, ratione circūstantiarum occurrētium bono communi cōtradicūt, reuocari licité possunt.

3. Ad primū arg. respōdetur quód stante iusta, & rationabili causa nulli particulari in reuocatione priuilegij fit iniuria, cū bonū cōmune particulari præponderet. Nō negauerim tamen aliquando faciendā esse compensationem ob priuilegium ablatum, quādo per talem ablationem

4. ille læditur, cui tanquam solutio debiti priuilegium concessum fuerat.

Ad secundū dicendum est, licèt, absolutè loquēdo, pacta secūdùm ius naturæ seruanda sint, aliquando rescindi posse, cum scilicet iusta, & rationabilis causa interuenit, quia hoc etiam ipsum ius naturæ dictat; quando autē ius naturæ affirmatiuū cū alio iure concurrit, attendendū est ad circūstantias, & illud seruādum, quod magis obligat, imò potiùs quod obligat minus in tali casu cessat. Licèt igitur Papa sine rationabili causa priuilegia per modum contractus, & remunerationis concessa reuocare non possit, ipsa tamen cōcurrēte, ei licere negandum non est.

# CAP. XXVII.

## *De publicatione Bullæ Cœnæ per Summ. Pont. facta, & per Prælatos facienda.*

### TENOR BVLLÆ.



T verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ Sa. Io. Lateranensis.

nensis, & Basilicæ Principis Apost. de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos Processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cũ non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, vt Processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eó fiant notiora, quo in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, postquàm eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent;

## *Notationes circa textum.*

1. IN hoc §. continetur publicatio Bullæ, & appensio illius ad valuas Ecclesiæ Sancti Ioan. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostol. de Vrbe; quod ex eo ibi fit, quia ad Ecclesias illas propter multitudinẽ reli-

reliquiarum magnus solet esse populi concursus. Publicatio, & appensio hæc ideo fit, ne horum processuum detur ignorantia, per quam transgressores excusari velint. Cōtinetur etiā præceptum, quo Prælati obligantur semel saltem in anno in Ecclesijs suis Bullam hanc publicare.

2. Quanuis Summus Pontifex per huiusmodi publicationes excusationes, & ignorantiam, quas quis allegare posset, in horum processuum transgressione, tollere intendat; nihilominus, si quis inculpabiliter eos ignoret, censuras in eis contentas non incurret, cum ignorantia inculpabilis, siue sit iuris siue facti, in foro animæ à peccato excuset, sine quo non incurritur censura cap. *De his.* cap. *Sæpe.* dist. 50. capit. *Sicut dignum.* de homicid. cap. *Si quis non iratus.* 15. q. 1. cap. fin. qui matri. accus. poss. cap. *Cognoscentes.* de const. l. fin. ff. de decret. ab Ordin. faciend. & quæ in istis locis à Iurisperitis notantur, & Syluest. verb. *Ignorantia.* num. 11. & 12. Imò & in foro externo volens probare ignorantiam audiendus est, dict. l. fin. & dic. cap. fin. & cap. *Siquis incognitus.* 17. quæs. 2. Intendit igitur Summus Pontifex, ne prædictæ leges, & prohibitiones ob ignorantiam violentur, ac etiam ne in foro externo ignorantiæ excusationes facilè admittantur.

Circa hunc §. notat Sayr. lib. 3. de cens. cap. 25. num. 12. præceptum in eo positum non obligare eos Prælatos, qui potestatē laica impediūtur, quominus legem istam publicent. Hæc tamen sentētia, licèt in eo casu, in quo à Sayr. traditur, vera videatur, scilicet quando publicatio nullius esset fructus, imò ex ea maxima perturbatio sequeretur; absolutè tamē non est admittenda, sed attendendum est ad circunstantias, qualitatem periculi, scandalum, & necessitatem, vt publicetur. Nam si in odium, & iniuriam 3.

riam fidei, & Ecclesiasticæ authoritatis publicatio á sæculari potestate impediatur, non dubitauerim publicandam esse, etiam cum probabili vitæ periculo, eoquòd bonum fidei, & Ecclesiæ particulari bono præponderat.

4. Vgolin. hoc loc. ad illa verba, *Insuper vt processus.* num. 3. aduertit sub hoc præcepto non comprehēdi Episcopos titulares, quia ex quo Ecclesia caret, & subditis, verba illa eos non comprehēdunt, cum de prælatis iurisdictionem habentibus solummodo loquatur. Vnde sequitur non obligare alios Clericos iurisdictionem non habentes, vt simplices Parochos, cum Prælatorum nomine tantùm habentes iurisdictionem intelligantur.

# CAP. XXVIII.

## *Quòd quicunque audiunt confessiones, apud se has literas habeant.*

### TENOR BVLLÆ.

1. Æterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alijque locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac Presbyteri sęculares, & quorumuis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones, quauis authoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes

penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij, Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quę ipsis pręsentibus adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quartodecimo, sexto Kalend. Aprilis Pontificatus Nostri Anno nono.

## *Notationes circa textum.*

IN hoc vltimo §. dicit Summus Pontifex, quòd omnes, qui confessiones audiunt, Bullam hãc apud se habeant; deinde quód transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudi-

 cis

cis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ munitis, & in iudicio, & extra iudicium fides adhibeatur. Cætera omnia in eodem §. contenta solummodo sunt omnium actuum in hac Bulla expressorum recapitulatio. Tandem concludit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum incurrere, qui prædicta temerario ausu infringere, & eis cõtradicere attentauerit.

2. Per Bullam Pij V. obligabãtur cõfessarij sub mortali peccato hos processus apud se habere. Hoc tamẽ præceptum in alijs Bullis, & in ista positum non est, sed solùm dicit Summus Pontifex quòd Bullam hanc confessarij apud se habeant, quæ verba consilium tantùm sonare videntur. Nihilominus, quia cognitio casuum in hac Bulla contentorum necessaria omnino est confessarijs, non excusantur saltem regulariter à mortali culpa qui illos ignorauerint, iuxta doctrinam Sancti Thomæ 1.2. quæst. 76. artic. 2. Quanuis igitur ignorans casus Bullæ non peccet cõtra præceptum aliquod in ea contentum, peccat tamen contra obligationẽ sui status ignorando ea, sine quibus munus suum rectè exercere non valet.

Contra hoc tamen stat Vgolin. hoc loco, qui docet teneri confessarium sub mortali hanc Bullam apud se habere, tum quia materia grauis est, tum etiam quia Summus Pontifex non solùm vult, vt confessarij penes se habeant hos processus, verũ etiam vt in illis studeant, & eos diligenter legant, & percipiant. Quæ verba mortale peccatum sonare videntur. Respondetur tamen iuxta ea, quæ diximus, cum præceptum in Bulla Pij V. positum fuerit, & ablatum ab alijs, signum esse manifestum non dari de facto. Verba autem illa ad nihil aliud ordinantur, quàm ad monendos, & exhor-

exhortandos confessarios, vt casus Bullæ non ignorent, ne ex tali ignorantia contra sui officij obligationem delinquāt.

Concludit Summus Pontifex incurrere indignationem Omnipotentis Dei contra hanc Bullam facientes. Pro quo est notandum tribus modis contra illam veniri posse; primò ipsam frangendo, & cōscindendo; secundò cōtra ipsam committendo, nimirum, quæ in ea vetantur; tertiò, negando Romanum Pontificem, quæ in ea continentur facere, & ordinare potuisse. Hæc de Bulla Cœnæ.

Cæterum quæcunque diximus Matris Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ iudicio, correctioni, & censuræ probanda, & examinanda, magna cum humilitate submittimus, quemamodum oportet, & decet probos filios, precamurque, vt nobis veniam præbeat; si quid fortè nolentes excessimus ea tractando, quæ ad veritatem intelligendam, explicandas difficultates, pacādasque cōscientias maximè pertinere visa sunt.

(::)

FINIS.

*Acabouse de imprimir este liuro em Lisboa no Conuento de Sāō Domingos, aos 20. dias de Julho, anno 1615. Por Pedro Crasbeeck.*

# INDEX CAPITVM, ET DISPVTATIONVM.

Dispu-

Disputatio XXVI.

*Vtrùm latrones maritimi discurrentes mare Pontificis, nihil tamen deprædantes, excommunicentur.*

Disputatio XXVII.

*Vtrùm deprædantes in fluminibus, aut in locis maritimis iuxta mare Pontificiū, aut in naui, in qua ipsi sunt, excōmunicentur hoc loco.*

Disputatio XXVIII.

*Vtrùm ex instituto officium piratæ non exequentes, si aliquam nauem deprædentur, maneant excommunicati.*

Disputatio XXIX.

*Vtrùm titulo belli in mari Pontificio deprædantes sub hac censura comprehendantur.*

Disputatio XXX.

*Vtrùm deprædatores infidelium hac censura inuoluantur.*

Disputatio XXXI.

*Vtrùm remigantes apud piratas per hanc clausulam excommunicentur.*

Disputatio XXXII.

*Vtrùm dantes consiliū piratis ad deprædandū cēsuræ huius canonis subijciantur.*

CAPVT V.

*De quarta excommunicatione Bullæ contra rapientes bona Christianorum naufragantium.*

Disputatio XXXIII.

*Vtrùm per solum actum surripiendi bona naufragantium, huius Bullæ censura incurratur.*

Disputatio XXXIV.

*Vtrùm accipiens ab alio bona naufragantium hoc loco excommunicetur.*

Disputatio XXXV.

*Vtrùm surripiētes bona infideliū naufragantiū hac clausula excommunicentur.*

Disputatio XXXVI.

*Vtrùm surripiētes bona, quæ tēpore tēpestatis, ad exonerādā nauim, iaciūtur in mare, aut statim peritura, hoc canone excommunicentur.*

Disputatio XXXVII.

*Vtrùm accipientes bona ex naui, quæ vetustate, aut igne periit, censura huius canonis innodentur.*

Disputatio XXXVIII.

*Quid de bonis naufragantium faciendum sit, & an leges, quæ de ipsis disponunt, iustæ censeri debeant.*

*fidelibus, & nuncius illas deferens, aut verbaliter denuncians, excõmunicentur.*

Disputatio LI.

*Vtrùm deferentes prohibita ad infideles, vel Christianorũ secreta eis reuelantes à censura huius canonis aliquãdo excusentur.*

CAPVT IX.

*Contra impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.*

Disputatio LII.

*Quænam sub hac censura non impediri præcipiantur ad Curiam deferri.*

Disputatio LIII.

*Vtrùm, qui, sine animo inferẽdi damnum Curiæ Apostolicæ, impedit prædictorũ delationem, excõmunicetur.*

Disputatio LIV.

*Vtrùm nolens vendere victualia, ne ad Curiã deferãtur, hac censura puniatur.*

Disputatio LV.

*Vtrùm spolians pecunia deferentem victualia ad Curiam Romanam hac censura inuoluatur.*

Disputatio LVI.

*Vtrùm obligantes eos, qui victualia deferunt, ad soluenda pedagia, excommunicẽtur.*

CAPVT X.

*Contra lædentes eos, qui ad Curiam Romanam veniunt, vel ab ea recedunt, & sine iurisdictione vexãtes eos, qui ibi commorantur.*

Disputatio LVII.

*Quinam dicantur venientes, recedentes, & morantes in Curia.*

Disputatio LVIII.

*Vtrùm exercentes per alios actiones hoc canone prohibitas, & qui aliorum nomine illas exercent excommunicentur.*

CAPVT XI.

*Contra lædentes Romipetas, ac peregrinos, etiam in vrbe morantes, vel ab ea recedentes.*

Disputatio LIX.

*Vtrùm percutiens morantem Romæ deuotionis causa excommunicetur.*

CAPVT XII.

*Contra offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.*

Disputatio LX.

*Vtrùm interficientes Cardinales, qui nondum habent capellum*

Dispu-

ris

INDEX



# INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HAC RELECTIONE CONTINENTVR.

In quo litera c. designat caput, d. disputationem, n. numeros in capite, vel disputatione positos.

## A

Absoluere.

*Adhæren-*

*Consilium*

Exceptio.



Excommunicare.



Excommunicatio.

Falsitas.

Igno-

*Piratæ*

quos

S.

Sacramentarij.



Sæcularis.



Schisma, & Schismaticus.



Scribens.



Securitas.



Sententia.



*Senten-*

D Ven-

# V.

Vendere,& Vendentes.



Votum.

# F I N I S.

*Determinaçoẽs, que se tomarão por mandado del Rey nosso Senhor, sobre as duuidas, que auia entre os Prelados, & iustiças Ecclesiasticas, & seculares.*



V el Rey faço saber aos que esta prouisaõ virem, que os Prelados de meus Reynos se me enuiaraõ aggrauar de meus Desembargadores, Corregedores, & mais justiças, dizendo que lhe não deixauão a elles, nem a seus officiaes conhecer de muytos casos, & cousas, de que conforme a Direito, & ao sancto Concilio Tridentino lhe pertencia o conhecimento, & se offendia nisso a liberdade Ecclesiastica, & a immunidade da Igreja, & impedião o castigo dos delictos. E desejando eu de mostrar como nunca foy minha tenção, nem võtade, que meus Desembargadores, & Iustiças offendessem, nem agrauassem em cousa algũa a immunidade da Igreija, nem a liberdade Ecclesiastica, nem impedissem a jurdição dos Prelados, mas antes procurei ategora, tanto como he rezão ajudalla, & fauorecella em tudo, com a mesma vontade & zelo, com que os Reys destes Reynos meus antecessores sempre o fizeraõ, & mayor, se mayor pode ser: E conformandome com o modo, que elles tiueraõ na determinação de semelhantes casos, & duuidas de jurdiçaõ, quando os Prelados se lhe enuiaraõ queixar de suas Iustiças, mandei ajuntar, sobre os apontamẽtos, que os ditos Prelados destes casos me fizeraõ, algũs Letrados de meu conselho, de cujas letras, & experiencia me pareceo, que com rezão podia confiar a determina-

ção

ção dos casos, & duuidas, que se continhaõ nos ditos apontamentos. Os quaes, depois de se ajuntarem por muytas vezes, & de estudarem, & examinarem cõ muita consideraçaõ os casos, pontos, & duuidas dos ditos apontamentos, tomarão acerca dos ditos casos, & duuidas assento, & determinaçoẽs, que conforme a Direito acharaõ que se deuião de tomar; das quaes me deraõ conta, sendo presentes os de meu conselho do estado, com que tambem o communiquei. E visto tudo por mim, mandei que se cõprissem as ditas determinaçoẽs, que saõ as seguintes.

No primeiro apontamento dizem, que as justiças seculares tomão conhecimento se he adro, ou não o lugar, a que se acolhem os culpados; dizendo que somẽte conhecem se o adro chega, ou não, ao lugar, onde estão os culpados, a que chamão questão de facto, sendo a mesma cousa, & pertencendo este conhecimento somente aos juizes Ecclesiasticos por ser espiritual, & desta maneira tiraõ os acolhidos aos adros das Igrejas, ainda que os Prelados digaõ que os taes lugares saõ & sempre foraõ auidos por adros. Neste apontamento se determinou que quando se trata se he adro ou não, para effeito de valer a immunidade da Igreja, ou não valer aos acoutados a ella, o conhecimento pertence ao iuiz Ecclesiastico, juntamente com o secular, assi como lhes pertence o conhecerem se val a immunidade ou não, como antecedente necessario, sem o qual a duuida da immunidade se não pode determinar; & sendo differentes o iuiz Ecclesiastico, & o secular, guardarsea na determinaçaõ da tal duuida o mesmo que a ordenaçaõ destes Reynos no liuro segundo, tit. 3. dispoem, quando ha differença sobre valer a immunidade ou não. E quando se tratar se he adro ou naõ, para todos os outros effeitos, o conhecimento pertence ao iuiz Eccle-

siastico conforme a Direito.

No segundo apontamento dizem que as justiças seculares não consentem, que os juizes Ecclesiasticos conheçaõ do vtil dominio dos beẽs Ecclesiasticos que os seculares trazem, & confessaõ ser das Igrejas. E allegão que lhe saõ, ou deuem ser emprazados, de que sempre conheceraõ conforme a direito. Neste apontamento se determinou, que quando a Igreja pede algũs beẽs, que diz serem seus, & lhe pertencem, sem allegar outra qualidade: & o leigo demandado confessa o direito senhorio ser da Igreja, mas que o vtil he seu, em tal caso o conhecimẽto pertence ao juizo secular, & nelle deue o leigo ser demandado; & porem se no dito caso a Igreija em seu libello allegar tal qualidade, que cõclua a cousa demandada não somente ser sua, quanto ao direito senhorio, mas tambẽ o vtil estar com elle consolidado, por o leigo possuir a tal cousa por força sem titulo, ou pella possuir com titulo, que he nullo conforme a Direito canonico, ou por as vidas do prazo serem findas, ou por ter caido em commisso, ou por outros casos de semelhãte qualidade, ou pedir restituição na forma do Direito, cõtra o titulo, q̃ o leigo tem; em taes casos o conhecimento pertence ao juizo Ecclesiastico, onde ha de responder o leigo, & o juiz Ecclesiastico irá pella causa em diante ate final, posto q̃ as partes demandadas neguẽ as ditas qualidades, & achando q̃ as ditas qualidades se prouaraõ, pronunciarà em final como for justiça, & achando que se não prouaraõ, se pronunciara como não juiz, & o conhecimento lhe não pertencer, & remittirà a causa ao juiz secular, & condenarà o autor nas custas, & na pena da ordenação do liuro segundo titulo primeiro. §. desalete, que foy feita pellos Reys antigos destes Reynos, de consentimento dos Prelados. E em caso q̃ o leigo peça renouaçaõ de algum pra-

zo Ec-

zo Ecclesiastico, que pretenda lhe deuer ser feita por Direito, se a pessoa Ecclesiastica a que quizer obrigar, não for exempta da jurdição ordinaria, & tiuer Superior ordinario no Reyno, perante elle a deue requerer, & as justiças seculares se não entremetaõ em tal caso, porem se a pessoa Ecclesiastica for exempta da jurdição ordinaria, & não tiuer superior ordinario no Reyno, as justiças seculares tomaraõ conhecimento do tal caso, conforme a ordenaçaõ do liuro segundo, titulo primeiro no principio.

No terceiro apontamento dizem, que as justiças seculares tomão conhecimento do direito dos padroados da Coroa, dizendo que saõ beẽs della, & o mesmo fazem dos beẽs das mesmas Igrejas, pertencendo isto á jurdiçaõ Ecclesiastica. Neste apontamento se determinou, que o conhecimento da causa do direito do padroado pertence ao juiz Ecclesiastico; & porem quãdo a duuida for entre a Coroa, & as pessoas que della o pretendem ter, ou entre dous donatarios da Coroa, ou outras pessoas, que delles tiueraõ causa, ou sobre força, o conhecimento pertence ao juiz secular; & pello mesmo modo, se a causa for sobre algũs beẽs, a que se pretenda ser annexo o direito do padroado, o conhecimẽto pertẽce ao juiz secular, q̃ por via de declaraçaõ pronunciará se està annexo, ou não.

No quarto apontamento dizem, que estando os Prelados em posse antiquissima de dar licença para se tirarem esmolas por fora das Igrejas para pobres, catiuos, & outras necessidades de obras pias, & pertẽcẽdolhes isto por Direito, de pouco tẽpo para cà os officiaes seculares lhe vão a mão, & auexão os que pedem com sua licẽça, & os prendem, & lhe tomão as esmolas. Neste apontamẽto se determinou, q̃ a ley do Reyno por bõ gouerno, & por tirar abusos, & em fauor da redẽpção dos catiuos,

defende os petitorios, a qual ley sempre se guardou, & conuem guardarse pellas ditas rezoẽs; & os Prelados poderão dar as licenças que lhes parecer, para pedirem dentro da Igreja, & dos adros.

No quinto apontamento se aggrauão, que na Alfandega se leuão direiros às pessoas Ecclesiasticas das cousas, que mandão trazer para suas casas, se as não alealdão no mez de Ianeiro, não sendo a isso obrigados, nẽ a lealdar, & estando isto asi determinado na mesa da consciencia pelos Deputados della, & por outros Letrados. Neste apontamento se assentou que neste caso se guardasse o que se determinou no despacho da mesa da consciencia pelos Deputados della, & outros Letrados, que pera isso foraõ juntos no mez de Nouembro do anno de quinhentos & sesenta, & sete. s. que posto, que as pessoas Ecclesiasticas não alealdem na Alfandega, não as obriguem a pagar direitos, justificando perante os officiaes da Alfandega, que as cousas que mandaraõ trazer de forã, saõ pera suas casas, & familias, & não alheas, nem pera negociar.

No sexto apontamento se aggrauão, que na Alfandega dão juramento às pessoas Ecclesiasticas, pera se certificarem do que mandão trazer pera suas casas, não o podendo fazer, & não lhes querem guardar sobre isto as certidoẽs, que offerecem de seus Prelados, em que o affirmão, como o jurão perante elles, & fizeraõ certo, que auião mister as ditas cousas para suas pessoas. Neste apontamento se determinou, que não he contra a liberdade Ecclesiastica o nelle conteudo, & que deuẽ jurar perante os officiaes da Alfandega, se as cousas, de que pretendem não pagar direitos, saõ para seu vso, casas, & familias, & não pera outras pessoas, nem pera negociar, conforme ao q̃ fica dito no apontamento precedẽte, porq̃ asi se achou ser conforme a Direito.

No

No ſeptimo apontamento ſe aggrauão, que o meſmo regimento de alcaldar fazem guardar no paço da madeira ás peſſoas Eccleſiaſticas,& lhes dão juramento,& fazem outros exames, ſem terem conta com as certidoẽs,que apreſentão de ſeus Prelados, & tẽdo em tudo ſatisfeito ao dito argumento,ſem ſerem niſſo obrigados,lhes não cõſentem que deſembarquem ſua madeira no cais commum a todos, ſe não em outras partes, & que logo a leuem para ſuas caſas, no que tudo recebem muita vexaçaõ. Neſte apontamento ſe determinou que ſe deuia guardar o que fica dito nos dous apontamentos precedentes,que he conforme a dita determinação da meſa da conſciencia.

No oitauo apontamento ſe aggrauão, que ſe faz pagar as peſſoas Eccleſiaſticas, da obra dos tanoeiros,que compraõ para recolherem ſuas nouidades, o direito q̃ os leigos pagaõ. Quanto a eſte apontamento na determinação que ſe tomou na dita meſa da conſciencia no anno de ſeſenta,& ſete,ſe aſſentou que ſe não offendia a liberdade Eccleſiaſtica, em ſe pagar meia ciſa pelas peſſoas Eccleſiaſticas,que comprauão aos tanoeiros,& officiaes,por ficar a dita meia ciſa em parte de preço,em que ſe concertaõ as partes.

No nono apontamento dizem, q̃ o Almotace mór, & as Camaras dos lugares tomão o paõ aos rendeiros das Igrejas,& não lho deixão tirar como ſaõ obrigados, o que he em muyta diminuição, & perjuizo das ditas rendas,& ainda compellem os meſmos Eccleſiaſticos nas rendas,que por ſi recolhem,ſendo tudo contra Direito. Neſte apontamento ſe determinou, que em ſe tomar o paõ dos celeiros,ou ſe embargar o que pretence aos rendeiros,não ſe offende a liberdade Eccleſiaſtica per ja o dito paõ não ſer beẽs Eccleſiaſticos, ſe não de peſſoas leigas,alem de ſer neceſſario fazer ſe aſsi, pello

bem

bem commum. E quanto aos dizimos q̃ as pessoas Ecclesiasticas recolhem de suas rendas, que não tẽ arrendadas, não entendo q̃ se lhes tomão, nem embargão cõtra suas vontades, & se se faz não o hey por bẽ feito; & daqui em diante mando, que se não faça mais.

No decimo apontamento dizem, que se lança siza sabida nas rendas Ecclesiasticas, antes de se arrendarem, que em effeito he obrigarem os Ecclesiasticos a pagar siza, porque tanto menos lhe dão, os rendeiros pellas suas rendas, quanto vem esta lançado, para auerẽ de pagar de siza. Neste apontamento se determinou, que se não offende a liberdade Ecclesiastica em se lançar siza aos rendeiros dos beẽs Ecclesiasticos, ainda que se lãce antes dos arrendamentos feitos, pois se não deue, nem leua, se não aos rendeiros leigos.

No onzeno apontamento dizem que nas duuidas q̃ se mouem entre os Iulgadores Ecclesiasticos, & seculares ouuem meus officiaes, como juizes aos Ecclesiasticos, & se não querem estar pello que elles determinão, procedem contra elles, & os auexão contra Direito. Neste apontamento se determinou, que o Iuiz dos meus feitos he cõpetente para conhecerse a jurdição pertence a minhas justiças, quando o aggrauante he leigo, porq̃ tem fundada sua jurdição em Direito cõmum, & como tal pode mãdar notificar ao Iuiz Ecclesiastico a rezão q̃ tem para tomar conhecimento do tal caso, por asi ser conforme a direito, & sempre se praticar, & vsar nestes Reynos. E quando no juizo de meus feitos se determina o conhecimẽto pertẽcer a minhas justiças, & não ao Ecclesiastico, & o Iuiz de meus feitos naõ faz mais, q̃ declarallo asi, & encõmendar por suas cartas aos juizes Ecclesiasticos, q̃ não procedão, & mandar a minhas justiças, q̃ não guardem seus mandados como de juizes incõpetentes, & quando os Prelados, & Iuizes Ecclesiasti-

Ecclesiasticos sem embargo das ditas cartas não querẽ deixar de proceder contra os leigos, nem desistir do q̃ tem procedido, eu como Rey, & senhor os chamo per cartas per mim asinadas, para me darem rezão de como asi tomão minha jurdição, & para sobre isso serem ouuidos perante os meus Desembargadores do Paço.

No duodecimo apontamento dizem, q̃ os officiaes seculares impedem as visitaçoẽs, & effeito dellas, com q̃ os culpados fauorecidos se deixão estar em seus peccados publicos com muito escandalo, porque estando os Prelados em vso antiquisimo em amoestarẽ tres vezes à estaçaõ as pessoas que per visitaçaõ achaõ em estado de peccados publicos para satisfazerẽ ao escandalo q̃ tẽ dado, & por esta penitencia, que elles temem nestes tempos, em que as penas deuião crecer, pellos peccados publicos estarem no estado q̃ se vè, o não consentem, & impedẽ este tão antiquisimo costume: dizendo, q̃ estes peccadores publicos os não deuẽ amoestar á estação, se não secretamẽte, & q̃ se lhes hão de fazer tres distinctas amoestaçoẽs em suas pessoas, & não se emendando que haõ de vir com libellos contra elles nas audiencias, onde poderaõ ser condenados, & não pellas visitaçoẽs, de q̃ se seguem muitos inconuenientes, que se apontaraõ, & taxaõ o modo, em que estas amoestaçoẽs particulares se haõ de fazer, & ainda q̃ despois os achem reincididos, não consentem que sejão presos, & condenados em degredo, cõforme ao Cõcilio. O q̃ tudo he cõtra a jurdição Ecclesiastica, & bem das almas. Neste apontamẽto se determinou, que o costume, de que nelle faz menção, se não deue guardar, por ser contra Direito natural, que não consente condenarse, nem infamarse publicamente pessoa algũa, sem ser primeiro ouuida & conuencida por sua confissaõ, ou judicialmente. E pello grãde escãdalo, & perturbaçaõ, q̃ se segue na Repu

blica

blica do tal costume, oppressaõ, & danno que se faz a meus vassallos, a que como Rey, & senhor tenho obrigação de acudir. Pello que nesta parte os Prelados, & seus officiaes não tem rezão de se queixar, & deuẽ guardar em suas visitaçoẽs a forma do Direito Canonico. E quanto a dizerem que minhas justiças lhe taixão o modo em que as amoestaçoẽs particulares se deuem fazer, não acho que tal seja, nem o hey por bem; por onde os officiaes Ecclesiasticos deuem guardar a forma do decreto do Concilio Tridentino, não procedendo a prisaõ ou degredo contra os barregeiros casados, ou solteiros, sem procederem primeiro as tres amoestaçoẽs do dito decreto, as quaes deuem fazer com o interuallo de tempo que lhes parecer, que conuem, para bem das almas; & nos outros casos, fora destes, em que o dito Cõcilio lhes dá faculdade para prenderem, ou penhorarẽ os leigos, por se euitarem censuras, deuem guardar a forma delle, não prendendo, nem penhorando senão nos casos, em que procedem judicialmente. Porem se os Prelados nestes crimes, ou em outros, de que conforme a Direito podem conhecer, quiserem proceder ordinariamente, sem prisaõ, penhora, ou degredo, antes de final sentença, podelloaõ fazer, & minhas justiças lho não impediraõ.

No trezeno apontamento dizem, que quando os Prelados mandão, que se fação fintas para repairo, & edificaçaõ das Igrejas, & necessaria sustentaçaõ dos ministros, & cousas pertencentes ao culto diuino, tomão conhecimento da necessidade, que hà de fazerem as ditas cousas, & conhecem, & determinão, se os seculares deuem contribuir para ellas, pertencendo este conhecimento somente aos Prelados, & seus officiaes, & com isto, & com dizerem que o ordenar das fintas não pertence aos Prelados impedem totalmente o effeito

das

das ditas obras; de maneira, que ſendo mandado per viſitaçaõ, que ſe faça a Igreja de Sanctos o velho na cidade de Lisboa, & mandandoo eu por minha prouiſaõ, & commettendo a execução ao Corregedor Chriſtouão Borges vay em quatro annos, ategora ſe não pode dar principio a eſta obra, & a cauſa pende na caſa da ſupplicaçaõ. Neſte apontamento ſe determinou, que eu não entendo, que minhas juſtiças tomem conhecimento da neceſsidade que ha de ſe lançarem eſtas fintas, antes lhe mando, que niſſo ſe não entremetão. E em tudo o mais, que toca a eſte apontamento, mando que ſe guarde o que tenho ordenado pella ley extrauagante do liuro ſegundo tit. 2. l. 13. que entendo eſtar feita conforme a Direito, com declaraçaõ, que ſe os Prelados pretenderem obrigar os leigos a fabricar as Igrejas, ou a ſuſtentarem os miniſtros dellas, fundandoſe expreſſamente que os dizimos não ſaõ baſtantes conforme ao decreto do Concilio Tridentino, em tal caſo minhas Iuſtiças ſe não entromettão niſſo, porque o conhecimento pertence ao juizo Eccleſiaſtico, poſto que o leigo negue aquella qualidade de naõ baſtarẽ os dizimos.

No quatrozeno apontamento, dizem que as Iuſtiças ſeculares impedem aos viſitadores Eccleſiaſticos tomarem conta, & viſitarem as Confrarias, que os Prouedores leigos viſitaõ, conſtando pella ley extrauagante, que eſtas não ſaõ de minha immediata proteiçaõ, & nas q̃ ſaõ de immediata proteiçaõ não conſentem que viſitem o ſpiritual, como he o ſanctiſsimo Sacramento, ornamentos, & o mais. Neſte apontamento ſe determinou, que os decretos do ſancto Concilio Tridentino ſe guardem como nelle ſe contem, porque eſſa foy ſempre, & he minha tenção, & que nas Confrarias, Hoſpitaes, & Albergarias, em que os Prouedores das Comarcas

entendem,

entendem,& fazem correiçaõ por via ordinaria, sem particular commissaõ minha, possaõ os Prelados, conforme aos ditos decretos, tomar as contas, & visitar; porque os taes Hospitaes, Confrarias, & Albergarias não entendo, que saõ de minha immediata proteiçaõ. E isto se entendera não sendo ja os ditos Hospitaes, Confrarias, ou Albergarias naquelle anno visitadas pellos Prouedores das comarcas; & porem os ditos Prelados poderaõ em todo o tempo visitar os ornamẽtos, & cousas dedicadas ao culto diuino.

No quinzeno apontamento dizem, que nas cousas mixtas, que estão declaradas pella ordenaçaõ extrauagante, de que os Ecclesiasticos conhecem, os officiaes seculares tomaõ conhecimento de qualquer aggrauado; de que os culpados se queixão, dizendo que os Prelados não guardão nisso a ordem diuida, não o podendo fazer; & podendo os culpados queixarse disso, & appellar para os tribunaes superiores Ecclesiasticos. Neste apontamento se determinou, que minhas Iustiças não tomem conhecimento de aggrauo algum, que as partes allegarem serlhe feito pellos Iuizes Ecclesiasticos nos casos do que o conhecimento lhes pertẽcer, saluo quando se aggrauarem de notoria oppressaõ, ou força que se lhes faça, ou de se lhes não guardar o direito natural, porque nestes casos, como Rey & senhor, tenho obrigaçaõ de acudir, como acima fica dito.

No desaseis apontamento dizem, que nestas cousas, & nas mais tem os Desembargadores por estillo porem nas cartas, que passaõ, que se não guardem as censuras, nem euitem aos excomungados, sendolhes defeso por direito, & mandado expressamente pello Concilio, que não impidão as ditas censuras da Igreja. Neste apontamento se determinou, que não se faz offensa a justiça Ecclesiastica, em o Iuiz de meus feitos mandar a mi-

nhas

nhas justiças, que não euitem as taes pessoas, nem lhes leuem penas de excommungados, por quanto sempre assi se custumou, & não se manda senão depois de estar julgado, que o conhecimento pertence a minhas justiças, & não ás Ecclesiasticas, & por não auer outro meio para se não tomar minha jurdiçaõ.

No desasete apontamento dizem, que as justiças seculares não consentem, que os juizes Ecclesiasticos, passado o tempo do Direito & ordenaçaõ, procedão contra os executores dos testamentos, paraque cumpraõ os Legados, & paguem as diuidas declaradas nos testamentos, & contra os herdeiros, que dem para isso o necessario da fazenda dos defuntos; nem consentem, que os Vigairos da vara em seus Accipreſtados, passado o dito tempo, façaõ citar os ditos executores, que venhão dar conta dos testamentos em seu juizo & auditorio, como sempre costumaraõ fazer, dizendo que poderaõ andar pellos lugares por via de correiçaõ, como fazem os Prouedores, mas não trazer os executores fora dos lugares, onde viuem. Neste apontamento se determinou que minhas justiças não deuem impedir às justiças Ecclesiasticas a execução dos testamentos nas cousas, em que a jurdição for preuenta por elles, na forma de Direito, & de minhas ordenaçoẽs. E quanto a minhas justiças lhe impedirem, que os seus Vigairos Padaneos, & Accipreſtes não tomem conhecimento do comprimento dos testamentos, mando que tal não fação, nem lho impidão, porem os ditos Vigairos, & Accipreſtes, & os mesmos Vigairos geraes & Prelados deuem guardar a forma da ordenaçaõ, & não obrigarem os testamenteiros que vão dar conta dos testamentos fora dos lugares, onde viuem, pella muita vexaçaõ, que nisso se dà ao pouo, que he a rezão, porque tenho mandado aos Prouedores das comarcas, que o não fa-

çaõ

ção, & deuemse conformar com o mesmo costume, & com o que a ordenaçaõ dispoem.

No desoito apontamento dizem, que as justiças seculares não consentem que se proceda contra as pessoas leigas, que fazem offensas & iniurias aos Reitores das Igreijas, & officiaes da justiça Ecclesiastica, sobre seus officios, sendolhes isto defeso com pena pecuniaria, & de exõcmunhaõ ipso facto, per prouisaõ do Arcebispo de Lisboa. Neste apontamento se determinou que se o Clerigo de ordẽs sacras, Religioso, ou Beneficiado for ferido, espancado, ou injuriado, ainda que seja verbalmente por algũa pessoa leiga, poderse ha aqueixar, & demandar sua injuria, emmẽda, & corrigimento por ante o juiz Ecclesiastico, ou secular, qual mais quizer, com declaração, que requerendo por ante hum, não podera variar, nem tornar a requerer por ante outro; porem, se o caso for tal, que conforme a minhas ordenaçoẽs minhas justiças ajão de tirar deuaça, & a tirarem, & nella forem culpadas algũas pessoas leigas, liurarsehão per ante ellas, & em seu juizo poderaõ os Ecclesiasticos requerer sua justiça, emmenda, & corrigimento, & não per ante as justiças Ecclesiasticas, por quanto a jurdiçaõ he ja preuenta no secular. Porem, quanto ao sacrilegio, & excõmunhaõ em caso que se nella encorra, se procederá em todo o caso no juizo Ecclesiastico conforme a Direito. E quanto às resistencias, & offensas feitas aos meyrinhos & officiaes dos Prelados nos casos em que podem prender leigos, ou penhorallos, hey por bem por fazer fauor à justiça Ecclesiastica, & paraque seus mandados se cumpraõ como conuem, que as taes pessoas leigas sejão castigadas por minhas justiças, & se proceda contra ellas com as mesmas penas, com que se procede, conforme a Direito, & minhas ordenaçoẽs, cõtra as pessoas

que

que resistem ou desobedecem a minhas justiças.

E mando ao Regedor da casa da Supplicaçaõ, & ao Gouernador da casa do Ciuil, & aos Desembargadores das ditas casas, & a todos meus Corregedores, Ouuidores, Iuizes, Iustiças, officiaes, & pessoas de meus Reynos, & senhorios, que cumpraõ, guardem, & fação inteiramente cumprir, & guardar as ditas determinaçoẽs, como nellas, & em cada hũa dellas se contem, sem acerca disto porem duuida, embargo, nem contradiçaõ algũa, porque assi o hey por seruiço de nosso Senhor, & meu. E assi mando ao Chanceller mòr que publique esta prouisaõ na Chancellaria, & enuie logo cartas com o treslado della sob meu sello, & seu final, aos Corregedores, & Ouuidores das Comarcas, & aos Ouuidores das terras, em que os ditos Corregedores não entrão por via de correição. Aos quaes Corregedores, & Ouuidores mando que a publiquem nos lugares, onde estiuerem, & a façaõ publicar em todos os outros lugares de suas Comarcas, & Ouuidorias, & registar nos liuros das Chancellarias das ditas Correiçoẽs, & Ouuidorias, paraque a todos seja notorio, & assi se registarà esta no liuro da mesa do despacho dos meus Desembargadores do paço, & nos liuros das relaçoẽs das casas da Supplicaçaõ, & do Ciuel, em que se registão as semelhantes prouisoẽs. E hey por bem, que valha, & tenha força, & vigor sem embargo da ordenaçaõ do segundo liuro, titulo vinte, que diz que as cousas cujo effeito ouuer de durar mais de hum anno, passem por cartas, & passando por aluaras não valhaõ. Gaspar de Seixas a fez em Lisboa a desoito dias do mes de Março de mil & quinhentos, & setenta, & oito.

Iose da Costa a fez escreuer.


R E Y.

Simão Gonçaluez Preto. Dom Ioaõ.

E. Foy

Foy publicada a prouisaõ del Rey nosso Senhor atras escrita na Chancellaria mòr, por mim Gaspar Maldonado per ante os officiaes della, & outra muyta gente, que vinha requerer seus despachos em Lisboa a desasete de Iulho de 1578. annos.

FINIS.



# *Errores præcipui qui typographi incuria irrepserunt.*

PAg.19.col.2.lin.15. excommunicatur pro excommunicantur. Ibid. lin.penult. propotur pro proponitur. Pag. 21. col. 1. lin. penult. hæreti pro hæresis. Pag. 67. col. 2. lin. 11. aggrediatur pro aggrediantur. Pag.72.col.1.lin.26. ab pro ad. Pag.98.lin.9. Terracinam pro ad Terracinam. Pag. 104.col.1.lin.26. collegitur pro colligitur. Pag. 108. col. 1. lin. 28. exerceret pro exercerent. Pag. 118.col.1.lin.31. surripiuerint pro surripuerint. Pag 128.col.1.lin. 5. incurrit pro incursũt. Pag. 130. col. 2. lin.13.uauim pro nauim. Pag.140.col.1.lin.14, quonam pro quoniam. Pag.142.col.1.lin.19. censeantur pro censeatur. Pag.156.col.1.lin.21. præsupositiuiuè pro præsupositiuè. Pag.157.lin.12. ferum pro ferrum. Pag. 164. col. 1. lin.24. extendit pro extendi. Pag.186.col.2.lin.vltim. vbi pro ibi. Pag.210.col.1.lin.27. soluti pro solutio. Pag. 211. col. 1. lin.15. census pro consensus. Pag. 217. col.1. lin. 24. Delegatum pro Delegatam. Pag.226.col.2.lin.4. ape pro sæpè. Pag 227.col.2.lin.23.vtriunque pro vtriusque. Pag.238.col.1.lin.13.causulæ pro clausulæ. Pag. 285. col.2.lin.13. fiat pro facit. Pag. 300. col. 1. lin. penult. determitatè pro determinatè. Pag. 301. col.2.lin.25.c.77.pro 27. Pag 322. col.2.lin.13. xltimam pro vltimam.



